HISTORIÆ PERVANÆ

ORDINIS EREMITARVM S. P. AVGVSTINI

NOVEM LIBRI POSTREMI.

Non tantùm rebus ibi per Auguſtinianos egregiè geſtis, ac præclaris præceptis exemplisq; vitæ ſæcularis non minùs quàm Religioſæ, ſed ubere inſuper & amœnâ veteris novaq; Peruviæ notitiâ mirificè referti, tractatur enim de origine Perüanorum, eorum moribus, regimine, Religione, qualitatibus terræ, de eorum ſubiectione per Hiſpanos, ac de Hiſpanorum bellis civilibus ſimilibuſque rebus quàm plurimis, quarum breviarium Index exhibet.

AVCTORE

R[do]. & Eximio P. M. IOACHIMO BRVLIO ſacræ Theologiæ Doctore, Ordinis Erèmitarum S. P. AVGVSTINI per Provinciam Colonienſem ſeu Belgicam Priore Provinciali.



E.Q. delin. I.C.I. ſculp.

NAPOLI

Apud GVILIELMVM IESTEENIVM via vulgo Hoogh-ſtraet dicta, ſub Pellicano aureo. Anno 1652.

Cum gratia & Privilegio.

ILLVSTRISSIMO
AC
REVERENDISSIMO DOMINO
D. ANTONIO
BICHO ABBATI
SANCTÆ ANASTASIÆ
BELGII PRONVNTIO, DESIGNATO
EPISCOPO
MONTALSINENSI &c.

Illuſtriſſime ac R^me^ Domine

NOn potui gratiſsimũ mihi nomen Tuum ab hoc opere noſtro licèt exiguo ſeparare, quod ipſa origo cum *Chiſiis* conjunxit, matre ſcilicet genitus es, quam Illuſtriſsimus ac R^mus^ *Fabius Chiſius*, quem huic operi præfixi, habet ſororem, vt avitus *Chiſianæ* domus ſplendor, nobilitas, præclara in toga & ſago geſta hæreditariâ Tibi ſucceſsione debeātur. Avùs verò Tuus & Pater nobilitatem, quam longâ ſerie à Majoribus traxerant, novis factis mirum in modum auxerunt, vt propterea inſignem apud Magnum Hetruriæ Ducem meriti ſint æſtimationem & fauorem conſecuti: Senis autem præcipuos ſemper geſſerint Magiſtratus.

Verùm ne Majorem gloriam ſæcularium Magiſtratuum adminiſtratione, quam Religione familia Veſtra obtinuiſſe videatur, fuerunt qui ex ea ad Purpuratum Senatum adlecti, rerum geſtarum meritis habiti ſint tãtæ dignitati æquales. Et ne longè omnia repetamus, habes ex Fratribus duos, qui in Ordine

Equi-

Equitum Melitenſium contra communem Chriſtiani nominis hoſtem Turcamglorioſè dimicantes magna illi damna inferunt, & Chriſtianorum terminos ab eius Barbarie tuentur: vnum autem Sancti Stephani Ordine decorum.

Sed quem maiori jure in hoc numero collocauero quàm Te-ipſum, qui in ea ætate, quæ pleriſq́ue non niſi ad rerum agendarum rudimenta ſeruit, Belgicam Nuntiaturam Vrbani Papæ VIII. authoritate juſſus es adminiſtrare, & eo quidem tempore, quo haud ſcio an præcedenti aut hoc ſæculo fuerit maximarum difficultatum fœcundius. Adminiſtraſti verò eâ ſollicitudine & integritate, vt à præclariſsimis viris Fidelis Ministri appellationem ſis conſecutus, & ab Innocentio Papa X. Epiſcopus Montalſinenſis in patria tua Senenſi deſignatus. Ampla hic ſcribendi eſt materia, ſed nondum extra invidiæ & offenſionis periculum, ne quidem illa, in qua Ordo noſter ſolidum fulcimentum ſenſit. Hoc ego periculum declino, & Te, Ill^me D^ne, humillimè rogo, vt hunc laborem in reverentiæ meæ teſtimonium Tibi inſcriptum benevolo animo accipias, atque adfectum, quem ab ipſo tuo in Germaniam Inferiorem ingreſſu mihi immerenti elargiri cœpiſti, continuare pergas, Vale. Dabam Antverpiæ 23. Auguſti 1651.

Illuſtriſſime ac R^me Domine

Ill^mæ ac R^mæ D. V.

Humillimus & obſtrictiſſimus Servus
F. Ioachimvs Brvlivs *Auguſtinianus.*

HISTORIÆ PERVANÆ ORDINIS EREMITARVM S. P. AVGVSTINI,

LIBER X.

Capitulum Sextum.

CAPVT I.
Acta Capituli.

1. OMNIA hæc Limę, prout pręcedentia omnia, habita Præfectum Provinciæ dederunt P. Audream de Sancta Maria ſeu de Ortegá licèt oblucautem, ut mox in vita dicemus: Definitores RR. PP. Franciſcum de Corral, Ioannem de Bivero, Didacum Gutierrez, Ioannem del Canto. Electionis dies fuit ad X. Kalendas Iulias anni M.D.LXVI. Viſitatores ſeu Vicarii trium membrorum fuerunt, Limenſis P. Franciſcus del Corral, Trugillenſis P. Ioannes de S. Petro, Cuzcenſis P. Ioannes de Bivero eorundem locorum Priores. Acceptatum fuit novam coloniam in vallem de *Paſcamayo* deducere, quam miraculoſa Beatiſſimæ Virginis *de Guadalupe* imago reddidit totâ celebrem Peruviâ.

2. Statuerùnt Conſtitutionum tenorem rigidiſſimè ſervare, ne ſecundùm partes aliquas neglectæ diſciplinæ inducerent diſſolutionē, aut incertis auctæ locis arbitratu nonnullorum, Confratrum inquietudinem aut in vivendi modo inconſtantiam. Et quia omnia in ædificationem præſertim Indorum aut recèns aut nondùm converſorum referebant, dici in omnibus Parochiis (a) noſtrorum curæ commiſſis voluerunt publicè in Eccleſiâ Horas omnes Canonicas, lectione factâ menſam condiri, tres hebdomadatim fieri flagellationes, nullam ad domeſtica miniſteria aut habitationem Indam admitti. Neque cenſendum ullum Religioſorum numerum eſſe exiguum nimis ut hæc ſerventur. Mandatum in meritum ſalutaris obedientiæ in Comitiis Madrigalenſibus anno M.D.LXIV. celebratis, atque à Perüanis acceptatum nemo ut ſcribat recipiatve literas quas non priùs Prælatus legiſſet, Doctoribus à Provincia acceptatis ab hac lege exemptis.

(a) doctrinas

CAPVT II.

Venerabilis P. Andreæ de Sancta Maria ſeu de Ortega vita.

1. NONDVM mihi conſtat ubi & per quos parentes Pater hic Andreas ingreſſus ſit in mundum: vitam autẽ præſtantiorem, quâ Deo, quâ animæ vivitur ſaluti, orſus eſt in Conventu noſtro Salmanticenſi, breviq́ue ad ejus culmen pervenit; quare inter primos duodecim, qui vitam illam in mundum incognitum transferrent, ejus doctores non magis linguâ quàm opere futuri, deſtinatus eſt. (a) Vbi in Comitiis anno M.D. LIV. Limæ habitis renuntiatus eſt Definitor, Magiſter Novitiorum & Grammaticæ Profeſſor, hac occupatione, quàm in Hiſpania fuerat applauſibus populorum concionibus ejus præſentium, lætior, qui omnia ad animæ lucrum dirigebat, quod uberius & à jactantiæ paleis purius ex humilioribus colligitur actionibus. Sequentibus Comitiis anni M. D. LVII. Definitoris dignitati additum Officium Prioris monaſterii Limenſis, quod rebus quidem temporalibus ſed maximè virtutibus auxit, inſtruxitq́ue iis viris, quorum operâ ſuo ductu tam latè bellum dæmoni in mente cordeq́ue infidelium regnanti inferret ejiceretq́ue. Virginum Aſceterium *Incarnationis* dictum, quod fuit in Peruvia primum & reliquorum omnium ſeminarium, perpetuâ ſuâ ſuiq́ue Ordinis gloriâ fundavit, (b) non ignarus fortiora ſæpe ab imbelli ſexu, ſi ſemel divini amoris igne exarſerit, contra hoſtes illos inviſibiles arma ſumi, quàm à virorum robore.

(a) lib. 4. cap. 2. nu. 7.

(b) lib. 7. cap. 5. nu. 5.

2. Tunc ſcilicet Provinciam Vicarius, Præfecto P. Ioanne de Sãcto Petro in Hiſpaniam profecto, adminiſtrabat. At verò anni M.D.LX. Comitia Præfecturam ipſam contulerunt quamquàm obluctanti, Patribuſq́ue ſupplicanti, conſiderarent in quàm indignum munus illud, ſibi onus futurum, contuliſſent. Munus non velut mercenarius ſed ut paſtor verus geſſit, omnibus per ſe non per alios invigilans. Et labi plerumq́ue neceſſe eſt eum qui non niſi auribus audit, oculiſq́ue videt alienis, quos humor ut plurimùm inficit malignus & offert objecta toto cælo diverſa. Prima ei cultus divini cura fuit, ſecunda infirmorum, pauperum tertia. Solidum unum in ſæculares uſus conſumpſiſſe abominatio erat ſolito dicere, *Res pauperum nullum debere vanitatibus cenſum aut tributum, quibus quidquid ex illis impenditur furtum eſt, rapina ac ſacrilegium.* Paupertatem autem ipſe maximam ſervavit cùm potuiſſet abundare, omnibus ſcilicet charus, divitiiſq́ue regni tùm naturâ terræ tùm proſperitate temporis uberrimis. A ſubditis aut eorum conſanguineis munera accipere ita execrabatur ut ne nomen quidem patienter audiret, exemplo prorſus neceſſario, quod noſtræ Conſtitutiones ſub pœnâ privationis Officii in contrarium facientes ſanxerunt. (c) Interire nempe Religionem neceſſe eſt in qua venalis eſt authoritas, licentia, functiones, officia. Abſalonis cæſaries capitis decus vendebatur (d) mulieribus ſervitura: muliebria fiunt omnia dùm officia officiorumq́ue authoritas à Capite Religionis precio æſtimantur, aliàs ejus ornamentum futura. Nihil unquàm Rebuſpub. pernicioſius fuit maximè Religionibus, quarum baſis paupertatis eſt votum. Præcipitium eſt omni adverſitate exitioſius, in quod cupida Prælatorum manus creditas ſibi familias deturbat.

(c) 3. parte cap. 11.

(d) 2. Reg. 14

3. Communes labores ne ſupremus

mus quidem Provinciæ Præfectus declinabat, ad divina officia accedens primus, recedens poſtremus: ſpecialibus inſuper curis laboribuſque ſubditorum commodis & ſaluti intentus. A *Guanbos & Guamachuco Pariam* uſq; quæ tunc Provincia per quadringentarum ampliùs leucarum ſpatium complectebatur, viis nondùm ſatis tritis exiguo commeatu viſitandi causâ pedes excurrit. Vt non immeritò illi à ſuis acclamaretur quod olim Eliæ, (a) *Currus Iſraël & auriga ejus*. Auriga propter laborum communicationem, currus ob commoda ſubditorum. Ex utroque eam apud illos conſecutus eſt venerationem, ut nutum oculorum ejus præceptum reputarent, nec minùs ſedulò exequerentur.

(a) 4. Reg. 2.

4. Termino Præfecturæ poſt tres annos expleto *Chuquiagum* (b) coloniam traduxit firmavitque. Humilitati ſcilicet nihil nimis eſt exiguum declive que, ſed undè ad altiora non niſi difficulter exurgit. Patuit hoc dùm anno M. D.LXVI. rurſus ad ſupremam Præfecturam Patrum ſuffragiis vocaretur. Nam ipſe contra ſeipſum actor factus inſufficientiam ſuam allegavit & perſuadere conatus eſt: Itinera eſſe longa & difficilia, temperiem locorum variam; ætatem gravem & incommodis, quæ comitari ſolent, obnoxiam; exiguum eſſe, quod vitæ ſuæ ſupereſſet; deſiderare ſe ut illud ſine curis, in orationibus ac pœnitentiis exigere liceat. Quibus cùm apud tenaces propoſiti ſuffragatores nihil profeceret, in genua cũ lacrymis provolutus exorare ſtatuit, quod non potuit perſuadere: ſe iſtud in mercedem ſervitii, quod illis impendere conatus eſſet, accepturum; nihil ſe minus ab eorum amore expectare. Iucundum Deo Angeliſque ſpectaculum in pugna indè humilitatis, hinc amoris, quam præcepto in meritum ſalutaris obedientiæ P. Antonius Loçano, qui Comitiis vice Reverendiſſimi P. Generalis præſidebat, diremit.

(b) Chuquiago.

5. Apud Antiſtites Principeſque viros virtutibus & doctrinâ magnam obtinuerat venerationem. Præcipuè verò Didaco Lopez de Velaſco Comiti de Nieva Peruviæque Proregi, atque ejus cum poteſtate eadem ſed non titulo ſucceſſori Lupo Garciæ de Caſtro, (c) in amoribus fuit, qui latere Regem merita Andreæ, experientiam, integritatemq; noluerunt. Qui famâ nominis ejus motus, operamq; ab eo ſperans regno ſuo non inutilem, literas expedivit quibus ad maximas plurimaſque quæſtiones ſibi ab Andrea voluit reſponderi: quæ cùm non niſi poſt mortem ejus eſſent in Peruviam allatæ, reſcriptum illis fuit à P. Ioanne de S. Petro. Literas, materiaſque mox ſubjiciemus cum ejus ex hac vita exceſſum viderimus.

(c) el Licenciado Lope Garcia de Caſtro.

6. Præfecturam acceptare coactus, veriſſimè cenſebat dictum, *Quantò magis ætate progredior tantò difficiliùs arbitror eſſe Remp. gubernare*, non magis ætatis mole prægravante, quàm cognitione clariori, quàm multis ambagibus anfractibuſq; cor humanum ſit tortuoſum, neque ipſum ſibi ſatis notum, ſoli integrè patens Deo, à quo ejus latebras penetrare Andreæ conceſſum videbatur. Nulla corporis pars erat quæ non cruciaretur: exteriùs cilicia, diſciplinæque lacerabant; interiùs labores concionum, itinerum, perpetuarumque curarum conſumpſerant. Trahebat tamẽ debile corpus ad munia Præfecturæ explenda: cumque viſitatis vallibus Trugillenſibus Provinciâque de *Guambos Guamachucum* veniſſet, plurimorũ conſilio magis quàm ſuâ voluntate ad ſaluberrima ac vicina (d) Cajamarcæ balnea deflexit, quartoque ab indè die, receptis Eccleſiæ Sacramentis, Dei ſe-ſe voluntati conformans exceſſit anno M. D. LXVII, menſe Maio. Corpus in Eccleſia Parochiali, quæ Ordinis eſt S. Franciſci, ſepultum, ibi jacuit, donec per R.P. M. Luiſium Lopez Provincialem ad noſtrum Conventum Dominæ *de Guadalupe* transferretur.

(d) diſtant ſolà dietà à Guama. ...

a 2 *Epiſtola*

Epiſtola Philippi II. ad P. Andream de Sancta Maria Peruvia Provincialem.

El Rey. *Venerable y devoto Padre Provincial de la Orden de San Auguſtin de las Provincias del Peru, Porque para algunas efetos neceſſarios à la viſita, que el Licenciado Iuan de Ovanda del nueſtro Conſejo en la ſanta y general Inquiſition haze por nueſtra mandado en el nueſtro Canſejo de las Indias, conviene hazer las diligencias que el os eſcrivira, os encargo mucho, que luego camo eſta recibays, veays el recaudo que os embia ſobre ello firmado de ſu nombre, y con la brevedad diligencia y ſecreta que de vos confio, agays la que para buena direccion y efeto dello convenga, y hecho que ſe aya lo ſobredicho, embiareys lo que dello reſultáre por deſpachos duplicadas en diferentes navios de una miſma flota al dicha Viſitador con la brevedad poſible, para que viſto y conſultado con nos ſe provea lo que mas convenga al ſervicio de Dios y nueſtro y bien de eſas Provincias y naturales dellas. Fecha en Madrid a 23. de Enero de mil y quinientas y ſeſenta y nueve. YO EL REY.*

Por mandado de ſu Mageſtad Martin de Gaſtelu.

Las diligencias y averiguaciones que el muy Reverendo P. Pravincial Fr. Andres de Santa Maria de la Orden de San Auguſtin en la Provincia del Peru a de hazer en cumplimiento de la cedula Real por ſu Mageſtad à el dirigidà, ſan las ſiguientes.

Primeramente con mucho ſecreto y cuydado ſe informara de las perſonas de ſu Orden mas Religioſas y prudentes, y que tengan eſperiencia de aquella tierra y Provincia, à los quales obligara ſo pena de abediencia y con juramenta para que digan y declaren lo que ſupieren, creen, entendieren, huvieren viſto, aido decir, que en qualquiera manera perteneſcan à la viſita del Canſejo de las Indias y de las perſonas que en el an ſido y ſon Praſidentes Oidores, Secretarios, Fiſcales, Oficiales y negociantes en el; y general y particularmente de las coſas y negocios que en el dicha Conſejo ſe an tratada y trasan, praveido y proveen, ſi ſon como canvienen al ſervicio de Dias y de ſu Mageſtad, bien de aquella Republica de las Indias, o ſi ay o a avido algun deſcuydo, o falta, o malicia ſabre que ſe deva proveer y remediar para el bien de aquella Republica, y eſpecialmente en las materias ſiguientes.

En materia de proviſion de Obiſpadas, Dignidades, Prebendas, y atros beneficios, y Oficios Eccleſiaſticos, y cerca de las perſanas proveidas, y de la dotrina de los Indias. Iten en materia de la proviſion de Virreyes, Preſidentes, Audiencias, Oidores, Governadores y otros cargos, y aficias, y oficiales, y de la adminiſtracion de la juſticia, y como ſe adminiſtra. Iten en materia de oficios y aficiales, y adminiſtracion de la Real hazienda, y apravechamienta della. Iten en materia de Oficias y Oficiales de Capitanes Generales y Almirantes, Tenientes de Capitanes de flotas, y de armadas de mar y tierra. Iten en materia de entradas y nuevas poblaciones y nuevos deſcubrimientos. Iten en materia de navegation. Iten en materia de mercedes y gratrificaciones. Iten embiarà particular relacion y deſcriptian de toda ſu Provincia y limites della haſta adonde ſe eſtiende. Iten embiara copia y relacion de las faculdades y breves Apoſtalicos, que los Religioſas de la dicha Provincia tienen para la adminiſtracion de los Sacramentos y enſeñamienta de la dotrina, y como uſan dellos, y relaçian de los que mas ſon meneſter pedirſe a ſu Sontidad, para que mejor ſean dotrinadas por los Religioſas los Indios. Iten embiarà particular relacion de todas los monaſterios de ſu Orden que en la Provincia ay, y el numera de frayles que ay en cada monaſterio, y las calidades de cada Religioſo, y ſi es meneſter que vayan mas. Iten embiarà copia y relacion de todo lo que el Conſejo tiene ordenado y proveido aſi por proviſiones como cedulas de ſu Mageſtad y cartas miſivas a los Religioſas de aquella Provincia, y de lo que dello es guardado, y no ſe guarda, y porque razon, y lo que conviene que ſe provea por el Conſejo. Iten embiarà capia y relacion de lo que

eſta ordenado por los Obiſpos y Sinodos Provinciales y Diocefanos de la dicha Provincia, y lo que dello ſe guarda y no ſe guarda, porque razon, y lo que conviene que ſe pravea por los dichos Obiſpos y Sinodos. Item embiar copia y relacion del Catecíſmo de la datrina Chriſtiana que ſe enſeña, y el orden que ſe tiene en enſeñar, y copia y relacion que tiene en adminiſtrar todas los Sacramentos de la Igleſia, y el que deven tener, y lo que cerca deſto ſe deve proveer. Itẽ aviendo ſe informado con mucho cuydado embiarà particular relacion de todas las leyes politicas, que los Indios de aquella Provincia tenian en ſu infidelidad, y como ſe regian y governavan, y lo que en eſto es neceſſario proveer, para que ſe aumenten y multipliquen, y no diſminuyan, y mejor labren y cultivẽ la tierra. Iten aviendoſe aſi miſmo muy particularmente informado embiarà relacion de todas las leyes y culta de la religion que los Indios de aquella Provincia tenian en ſu infidelidad, y del orden que mejor ſe podria tener para los apartar de ſu idolatria y los traer à la ſanta Fè Catolica, y lo que cerca deſto ſe deve proveer en que aya falta o deſcuydo finalmente aviendoſe informado como dicho es, embiarà relacian de todo lo que conviene darla paraque en reſulta de la viſita del Conſejo Real deſtas Indias mejor ſe provea lo que convenga al ſervicio de Dios y de ſu Mageſtad, y bien de aquella Republica, todo lo qual que de ſuſo dicho es praveyo el dicho Señor Licenciado Iuan de Ovando Viſitador por ſu Mageſtad del Conſejo Real de las Indias en la villa de Madrid, reſidente en ella la Corte de ſu Mageſtad en 23. de Enero de mil y quinientos y ſeſenta y nueve y lo firmò de ſu nombre, El Licenciada Iuan de Ovando, Ance mi Iuan de Ledeſma.

Ex quibus tam diverſis ramque enucleatis quæſtionibus colligas licet, quanto zelo Reges Catholici Religione verá Politiciſque legibus gentem barbaram ſtuduerint inſtruere, ipſorumque commodis ac quieti conſulere. Deindè qua in æſtimatione apud eoſdem Reges fuerint Auguſtiniani, à quibus exquiſiverint tàm difficilium reſponſa quæſtionum; quibus à P. Ioanne de S. Petro ſatisfactum fuiſſe modò meminimus.

CAPVT III.

Elogium P. Franciſci del Corral,

IOSVE Peruanum damus dum P. Franciſcum del Corral damus: caſtitatis ſcilicet ideam & neglectus rerum temporalium. Et 1.
Ioſue quidem invictus ille populi Iſraëlitici dux caſtimoniâ ſuâ præcurrens condemnavit ſecuturis temporibus venturos, qui cogerent nubere, virginitatem obtentu divini præcepti proſcribentes. Sed *jam tempus eſt ut caſtitatis Ieſu vexillum levemus*, ait Sacrarum literarum peritiſſimus Hieronymus (a) qui deinde paucis interjectis: *Quod lex habuerit uxorem, oſtende mihi Ieſum Nave vel uxorem habuiſſe vel filios.* Idem, ipſe cùm optimas maximaſque terras aliis diſtribuiſſet, nullam ſibi ſumpſit, ſed à populo accepit, cui dedit. Franciſcus del Corral illi in utraque virtute, ſi non præferendus, certè comparandus, qui & virginitatis florem uſque ad extremam ſenectutem ſervavit illibatum: & ampliſſimas ditiſſimaſque regiones cum ſuprema poteſtate permeans, animum circumtulit contra opes tam invictum ut nihil admiſerit, quamquàm importunè offerretur, iſto ſanè Iſraëlitico Ioſue major.

(a) Hiero. adverſus Iovin. lib. 1

2. Patria ei fuit *Xerès de la Frontera*: progenitores Inſigni nobilitate illuſtres. Ætatem Cupidinis telis maximè obnoxiam, atque inter occaſiones inſolentiæ, ſeu quas nobilitas ſeu quas Hiſpalenſis adoleſcentiæ conſortia aliaque voluptatum proritamenta miniſtrabant, ſervavit innocentem; generoſos

equos libris, veſtes molles ciliciis, jejuniis ciborum delicias, ſolitudine commutans aliorum ſocietatem. Ordini Auguſtiniano adſcriptus tantos fecit in ſcientiis omnibus virtutibuſque progreſſus, ut juvenis conſilia apud ſenes eſſent in æſtimatione. Et quia cum virtute ſcientiiſque naturalis facultas conſpirabat, Eccleſiaſtes erat facundiſſimus atque optimus, qui egregios ab auditoribus fructus in Hiſpania ac Peruvia collegit.

3. In Peruviam namque ardor propagandæ fidei diviniquè cultus eum abrupit, nequidquam conſanguineis, potenter licèt, obluctantibus. Profectionis annus fuit, qui à nato Chriſto M. D. LXIII. P. Ioanne de S. Petro Peruviæ Provinciali eum ſocioſque deducente. (a) Verùm qui ad convertendos infideles in novum illum mundum penetraverat, Superiorum præcepto Hiſpanæ primùm nationi prædicare juſſus eſt, quæ inſatiabili auri cupiditate inteſtiniſque bellis obduruerat in peccatis, magnum novæ legis obſtaculum, quod ante omnia removendum erat. Fuit contra hoc dictio Franciſci acris, plurimorum notâ converſione & publicâ confeſſione felix. Tùm cōverſionem infidelium aggreſſus eſt, idque in regione, ubi eam difficillimam reddebant peſſimi inhabitantium mores, quos aulæ luxus invexerat. Cuzcum, ſcilicet veteris Monarchiæ decus, cum auctoritate Prioris & Viſitatoris miſſus anno M. D. LXIII. Civitatem illam vicinaſque Provincias Euangelii prædicatione pervaſit. Triennium illi impendit. Anno M. D. LXVI. Limæ Prior cōſtitutus, præſidenſque Comitiis ob mortē Præfecti Provincialis P. Andreæ de S. Maria indictis anno M. D. LXVII. Prioris Limenſis officium uſque ad annum M. D. LXXI. ipſi prorogatum fuit. Tunc Cuzcum Definitor & Prior remiſſus. In quorum officiorum adminiſtratione fulgor quidam perfectionis eminebat. Virtutes, cùm aliorum honoraret, tegebat ſuas. Quippè eo habebatur admirabilis, ſilentio rerum benè à ſe geſtarum, & malè geſtarum à proximo. Enitebat prætereà in eo labor, amor paupertatis prudentia, charitas.

(a) lib. 7. cap. 4. nu. 2.

4. Quæ viri virtutes ipſis etiam Tribunalibus ac Magiſtratibus præcipuis eum venerabilem reddiderunt, quorum relatu Franciſco de Toledo Proregi ab ipſo mox ejus in Peruviam adventu innotuit: deindè ab eo familiariter habitus famam auxit præſentiâ, in tantùm, ut non alius in Peruvia dignior judicatus ſit quem ad miniſterium aſſumeret operis Regibus Catholicis deſideratiſſimi, ſibi glorioſiſſimi, ac Regno Perüano utiliſſimi, ut ſcilicet novus in eo Iuſtinianus legum conditione celebraretur. Verùm Franciſcus noſter oblatū à Prorege favorem conſtanter detrectavit, cellæ eum poſthabens ſolitudini, donec, petente Prorege, in Comitiis Provincialibus Cuzci anno M. D. LXXI. habitis, decreto inter eorum acta relato juſſus eſt Regi, ejuſque Vicario, ac Reip. operam ſuam accommodare. Res, ut divulgata eſt, mira omnibus in initio viſa fuit, neglectis Auditoribus legum peritis potentibuſque viris, Religioſos aſſumi ad arduum iſtud, atque adeò, ut dicebatur ab æmulis, extra ſphæram ſcientiæ Religioſæ opus. Feciſſe tamen magna poſteà Proregis laus fuit, probavitque eventus Religioſos non obtuſa adeò geſtare pectora, aut tam averſo Sole genitos, ut omnis illos fugiat rerum agēdarum ſeu peritia ſeu induſtria: quas illis nebulas mox offundunt potentiâ opibuſque præſtantiores & officia omnia cupiditate devorantes, iſto viſi cùm ſibi tùm aliis capaciores, quod, quidquid libet, liberè effutiant, ipſaque verba ab auro veſtibuſque pondus mutuare videantur. Sed Magiſtratus virum probat, non facit; &, ubi adhuc rationi locus eſt, officia perſonas, non perſonæ officia proſequuntur.

5. Prorex igitur Prælatorum præcepto

cepto Religioſos adeptus, P. Ioannem de Bivero ſibi per viam regiam ſtuto adeſſe voluit, P. Franciſcum autem laterales omnes Provincias longis ambagibus viſitare, attributâ illi ampliſſimâ in cauſas omnes civiles (nam criminales Eccleſiaſticis per canones ſunt interdictæ) juriſdictione, quâ clemēter prorſus, non tamen vitiis blandiens, integrèque uſus eſt; ſæpè ac in multis arbiter magis quàm judex; ita omnia ad pacem, quantùm juſtitia permitteret, referebat, ſatageus inteſtini belli cauſas odiaque, atque ſcandala à ſua gente barbaris data auferre; & ſimul Hiſpanos de Rege benemeritos beneficiis placare. Quare à pleriſque creditus eſt non tam culpas velle inquirere quàm inſtruere ad exercendum inculpatè officium Iudices, à quibus amorem ſui, vindictæ cupiditatem, arrogantiam, negligentiam, cupiditatem ſuo exemplo docuit debere abeſſe. Lucri munerumque etiam minimorum, ſeu ab Hiſpanis offerrentur ſeu Indis, hoſtis acerrimus monſtravit avaritiam legis Euangelicæ non eſſe filiam ſed monſtrum, utpotè quæ paupertatem inter auri argentique acervos, quibus uti, ſi vellet, poſſet innocuè, ſanctiſſimè colat. Atque ut planè videas quàm longè à ſtudio diteſcendi abfuerit Franciſcus, habitum quem inchoaturus viſitationem ſumpſit, retulit planè tritum, & præteteà nihil. Quis iſto majus miraculum deſideret, ambulare inter aurum & illud conculcare? Certè illud ſuâ viſitatione cōſecutus eſt Franciſcus, ut, cum aliqui dignitatis æmuli eſſe potuiſſent, facti ſint omnes integritatis ejus ſanctitatiſque præcones; appellârintque vulgariter *Magnum virum, Sanctum Religioſum.* Inprimis verò Proregem ſibi arctiſſimè devinxit, qui, Franciſco poſt viſitationem audito, cum illo, ac PP. Auguſtino de Coruña, & Ioanne Bivero leges condidit, quæ, ut alibi dictum eſt, (a) factæ ſunt Regiæ: & Regi de Franciſco verbis magnificētiſſimis ſcripſit, quę in hunc modum concluſit *Mas vale un Corral que V. M. tiene que todo el Reyno*; egregiâ ad nomen alluſione, cujus lepor ad aliud nō tranſit idioma: Hiſpani quippè viridarium continendis beſtiis concluſum hoc nomine, *Corral*, exprimunt, ad quod alludens facetè Prorex integrò, ait, regno eſſe præferendum.

(a) lib. 7. cap. 9.

6. Viſitatione per tàm vaſta terrarum ſpatia finitâ legibuſque conditis, ad Cuzcenſe monaſterium, cujus erat Prior, ſe recepit, quantò honoribus propinquior, tātò illos magis declinaturus. Nam à Comitiis ſe anno M. D. LXXV. excuſavit, tùm ne Præſidis Generalis dignitate fungeretur, tùm ut Provinciæ effugeret Præfecturam. Ejus autem loco Cuzcenſi cœnobio præpoſitus fuit P. M. Rodericius de Loayſa magnarum dotum Religioſus, alumnus Limenſis, qui in Hiſpaniam profectus magnis ibidem functus officiis, etiam diem clanſit extremum. Cujus idcircò hìc nomen annotandum putavi, quòd atrociſſimam ejus interrogatio calumniam Franciſco irrogatam detexerit.

7. Nata hæc erat ex opere inſignis neceſſariæque charitatis, adeò nihil eſt tàm ſanctum, cui non aut ignorantiâ hominum aut malitiâ nævus aſpergi poſſit. Erat P. Franciſco Limæ cognatus nomine Elmus Avellanedâ in Gallicia oriundus, cui in *Xerès de la Frontera* jure primogenituræ ampla obtigerat hæreditas, ob quam feſtinatâ profectione in Hiſpaniam illi eundum erat: ſed filium octo dumtaxat menſes natum, qui fuit poſteà egregium Ordinis noſtri decus, dictus P. M. Paulus de Avellaneda, habebat, quem Limæ relinqui oportuit: hunc igitur curæ P. Franciſci, datis ad educationem nummis, commendavit. Nec obſtitit Franciſcus noſter duplici titulo victus, ſanguinis ſcilicet & charitatis: quam tunc etiam majorem oſtendit, cùm abſumptis, quas cognatus reliquerat, pecuniis, cōquiſitis eum eleemoſynis ſuſtentare perrexit, & infantis ſaluti ſimul & matris,

& matris, quæ honeſta incorruptaque habebatur, proſpiciens æſtimationi. Hanc charitatem primùm nonnulli ſiniſtrè interpretati ſunt, deindè vulgatus rumor eſt puellulum Franciſco parente genitum, tantùmque roboratus, ut nec lógis maximiſque Franciſci virtutibus, nec diſtributione eleemoſynarum in eum omninò publicâ, quæ à ſanioribus objiciebantur, obſiſti illi potuerit; dæmonis, credo, indignantis inſtigatione, ut, quem ad fœdas corporis voluptates illicere non potuerat, obrueret infamiâ. Aſtu quo S. Hieronymum & Paulam, S. Baſilium & Theodoram plurimoſque olim & etiam-num ſanctos impetivit. Solum penè Franciſcum hæc calumnia latebat.

8. Deus tandem, ut tam heroïca ejus facta digno præmio coronaret, difficili aſperâque ægritudine infirmari paſſus eſt, quam tulit magno patientiæ & humilitatis exemplo. Confeſſione autem omnium omninò totius vitæ peccatorum ſe ad ſecuriorem mortem præparaturus, eam in aurem dixit P. M. Roderico de Loayſa Priori, qui cùm obſervaſſet nullius prorſùs carnalis voluptatis ab illo fieri mentionem, eſſetque de filio robuſtiſſima tunc calumnia, ultrò memoriam filii ingeſſit. Ad quod inſcius adhucdum calumniæ Franciſcus candidè humiliterque, *Laus Deo*, inquit, *virgo morior, neque unquàm mea mulierem manus contigerunt*. Tùm Aſcetarcha & de ſubditi fama & de Religionis honore ſollicitus, enarrato, qui ſpargebatur, rumore, qui omni tormento debet Religioſo eſſe acerbior, mandavit, publicè ut ſuam innocentiam teſtaretur. Adflixit ſanè Franciſcum non tantùm tàm fœda atque ab ejus moribus tàm aliena calumnia, ſed & Prælati mandatum, anxiumque reddidit. Quid enim? Sileret? obſiſtebat voluntas Superioris, curaque famæ & exempli, quæ Religioſo in hoc genere debet eſſe maxima. Diceret? grave illi erat de virtutibus ſuis publicè loqui. Sed fortior fuit authoritas Prælati, neceſſitaſque exempli. Quare dùm ad eum Sacra Hoſtia deferretur, præſentibus non tantùm Religioſis ſed & aliis, enarravit, quid inter Priorem ſeque, dùm illi confiteretur, actum eſſet, ſuiſſe ſe hactenus, uti „ culpæ expetrem, ita calumniæ ignarum, illam ſibi morte videri graviorem; arbitratum ſe ſemper fuiſſe omnibus conſtare, puellulo iſti Elmum patrem eſſe, ac proindè nullâ ſcandali ſollicitudine ſe proceſſiſſe; rogare ſe veniam non mali exempli, ſed ejus ſimilitudinis, remotiſſimæ quidem, ſed ex qua in dedecus ſuæ Religionis publicus exortus eſſet rumor; dolere ſe injectam ſibi neceſſitatem dicendi quæ hactenus ſtudioſè occuluiſſet. Tùm rogans „ ut Sacram ad ſe Hoſtiam ferrent, jungeoſque illi manum, *Deus*, ait, *cujus ſolius beneficio id acceptum fero, mihi teſtis eſt, virginem me mori, nunquamq; manibus mulierem tetigiſſe: ipſi gloria, cujus ſpero me aſpectu beandum. In viſitatione Regni ne hilum quidem accepi, nec cuipiam debeo: ignoſcoq; omnibus qui me offenderunt*. Quibus cum gaudio ab adſtantibus auditis, actiſque Deo pro atrociſſimæ calumniæ detectione gratiis, ipſe admirabili æquanimitate, fervidiſq; ad Deum adſpirationibus ex hac vita tot malis obnoxia exceſſit ad aliam omnis anxietatis & perturbationis expertem.

9. Hunc P. Franciſcum laudat P. Bonaventura Franciſcanus in ſuo libro quem de Peruvia conſcripſit, illis verbis. *El Padre Franciſco del Corral fue el mas eminente predicador que ſe conocia y por eſo era muy ſeguido de todos. Fue Prior deſte Convento de Lima: convertio muchas animas con ſus ſermones. El Virrey Don Franciſco de Toledo le dio la viſita General de todo eſto Reyno, y aviẽdola acabado a ſatisfacion de todos, llegò a la hora de ſu muerte y confeſsò en ella, que en toda la viſita no avia recibido valia de un alfiler, ny devia un real à nadie, que no es pequeño milagro, como diçe el Sabio, Beatus vir qui inventus eſt ſine macula & qui poſt aurum non abiit,*

abiit &c. Mariò virgen immacu-lado.

Id eſt, *P. Franciſcus del Corral prædicatione præ cæteris excelluit. Illo dicente concia ſemper erat frequentiſſimà & multorum converſione fæcunda. Prior fuit Conventus Limenſis. Prorex Franciſcus de Toledo totius Regni generalem illi viſitationem commiſit, quam ipſe omnium ſatisfactione perſolvit. Morti vicinus confeſſus eſt ne minimum quid in tata viſitatione accepiſſe, neque quidquam debere, quod non eſt exiguum miraculum, dicente Sapiente, Beatus vir qui inventus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit &c. Servatâ virginitate immaculatus ex hac vita diſceſſit.*

CAPVT IV.

De monaſterio Pacasmayenſi (a) ſeu Noſtræ Dominæ de Guadalupe.

(a) *Pacaſmayo.*

1. VALLEM de Chimo fuiſſe à Reguli nomine ita dictam, quod nunc Trugillum vocamus, ſuprà ſcripſimus. (b) Iſti Regulo uxor erat *Chacma* nomine, quod vicinæ valli communicavit, quod temporis corruptione modò *Chicama* ſeu *Chacama* pronuntiatur. Ita nulla unquam gens fuit, quæ non habuerit innatum aliquod perpetuitatis deſiderium, quam quòd à fragili brevique vitâ conſequi non poſſent, nomina ſua indiderunt rebus magis duraturis. Nam neque aliunde generalium Orbis terrarum partium Aſiæ, Europæ, Africæ, Americæ, quam ex hominum ſimili appellatione habemus, & caput orbis Roma à Romulo fundatore dicta nomen invito Nerone flammaſque injiciente, ut rurſus inſtaurata Neronia vocaretur, conſervat.

(b) lib. 8. cap. 4. nu. 2.

2. Regulis porrò Chimo rebus dominationis ſuæ ſtabilitis, ut ſunt mentes hominum, maximeque Principum, inſatiabiles, extendere imperij terminos inſtituit: ideoque exercitum conſcribit atmatque impoſito illi Duce *Pacatnamu*, qui Regis ſui juſſu aliam vallem aliquantò Septemtrionaliorem aggreſſus, variis difficillimiſque cum indigenis prœliis conflixit, & victoriâ, licèt cruentâ, ſuperavit. Poſt quam idem illis Gubernator datus eâ induſtriâ & fœlicitate rexit, ut communis Pater haberetur, &, populo non invito, terræ à ſe ſubactæ inderet nomen ſuum. Quod collis, in quo ipſe palatium ſuum ædificaverat, hactenus ſervat incorruptum, *Pacatnamu* vocatus; at vallis appellatio temporis lapſu variata eſt obtinuitque uſus ut *Pacaſmayo* dicatur.

3. Lata eſt ſex, longa duodecim leucas, ab Æquinoctiali linea verſus Auſtrum remota aliquantò amplius ſeptem gradibus. Solum olim fertiliſſimum fuit & quod centeſimum redderet: quæ quidem fertilitas ad trigeſimum vel quinquageſimum contracta eſt ab anno M. D. L X X I I X. per immodicas nunquamque aliàs ibi viſas pluvias. Fert triticum, maizium, orizam, piſa, aliaque frumenta & legumina ſeu patria ſeu externa. Eandem in fructibus herbiſque ac arboribus fœcunditatem habet, quâ fit ut non formoſa tantùm hominibuſque vallis ſit delectabilis, ſed oves inſuper alat incredibili numero pinguedineque, nullo alio opilionum labore aut ſumptu quàm ut arbores ſuccutiant. Gratâ aëris temperie fruitur, nunquàm plurimum frigidâ, & minùs ſemper, quàm in Hiſpaniâ, calidâ. Fluvio prætereà limpidiſſimo & piſcoſo univerſa irrigatur, *Nec* ab indigenis dicto, quæ communis eſt omnium fluminum appellatio. Vt videatur natura Reginæ cæli

terræque, illuc aliquando venturæ amœna hæc tempe præparaſſe.

4. Quæ quidem amœnitas tantò eſt gratior quòd vallis illa undique cingatur aut montibus aut campis arenarum ſteriliſſimis calidiſſimiſque, &, quod itinerantibus præcipuè eſt importunum, qui nullas ſemitas aut impreſſa veſtigia ſervant. Cui itinerantium incommodo olim ut Ingæ Chimique occurrerent, variis locis conſtituerant, qui eos de itinere edocerent, ſtudio in Ethnicis planè commendando, quod nec eorum exemplo nec legum ſuarum inſtitutione ſervant Chriſtiani: ut vitio incuriâque eorum qui præſunt, infœlicior ſit peregrinorum ſub orthodoxis Regibus quàm fuerit ſub infidelibus, conditio. Optandum ut inhoſpitales illi naturæ inter iſtas arenas ſollicitudinem imitarentur: voluit ſcilicet in aridis ſicciſſimiſque terris in monte quodam velut ſcapham ſemper aquis redundantem herbiſque viridibus ad artificium ornatam, in ſolatium beſtiarum ſeu etiam hominum deviantium exſtare.

5. Occupata vallis *Pacaſmayenſis* dilatandi imperii cupidinem in *Chimis* non extinxit, ſed, velut hauſta abundantiùs aqua hydropicorum ſitim, magis accendit: factumque ut *Chimi* poſteriores dominationis terminos à *Permunga*, quæ triginta dumtaxat leucis *Limâ* abeſt, *Paitam* uſque & *Tumbes*, per octo ferè graduum longitudinem obtinerent, fortunâ, Chriſtianiùs dicam, Divinâ Providentiâ eorum ruinam, quæ nunquàm viciniot eſt quàm in ſumma felicitate, urgente, ordinanteque ſecretis directionibus omnia ad faciliorem novæ legis Euangelicæ promulgationem. Nam una & *Chimi* mandato & populi, ut illi placeret, ſtudio, per longa ſpatia *Limam* uſque lingua pervagata eſt, *Quingnam* dicta, cum alioquin quælibet, non Provincia tantùm aut Reſp., ſed familia propriâ uteretur, magno me herclè humani commercii impedimento: & diſponebatur, ut tranſlato io unum omninò Regem totius terræ imperio, illo per Catholicam gentem ſubacto, omnia ſine contradictione parerent. Iſtud hoc modo corrigiſſe legimus. Chimorum ultimo, cui ob potentiam opulentiamque, quâ majores ſuos longè excedebat, *Chimocapac* populi adulatione nomen tributum, eum Ingarum decimo *Topa Inga Yupangui* (quem Atagualpa à Franciſco Pizarro victus occiſuſque avum habuit) bellum fuit ingens cruentumque, utrimque viribus animiſque ſuffultum: illo pro aris, focis, uxoribus, liberis & vetere belli gloria; hoc pro totius Peruviæ, cui inhiabat, imperio dimicante, quem inſuper parentis *Pachacutec*, qui valles omnes *Chincha*, *Malla*, *Chilca*, *Pachama*, *Lima*, *Chancay*, *Guavra* à *Lunaguana Guaman* (quod Hiſpani *la barranca* vocant) uſque ſubjecerat, exemplum juſſioque ſtimulabant. Primi prœlii, quod in *Parmungâ* maximo utrimque cæſorum numero committebatur, victoriâ penes *Chimocapac* fuit. Verùm *Topa Yupangui* ſubmiſſis à patre viginti millium electorum militum auxiliis auctus rurſum hoſtem invadens, primò illi *Pamunga* & *Guarmay* extorſit; poſteà pro valle *Santa* tunc populoſiſſima variis ſanguinolentiſque pugnis dimicans, tandem attritis *Chimi* copiis, illoque capto, omnes ejus valles in poteſtatem redegit. Moderatè tamen victoriâ uſus, *Chimcum* perbenignè habitum omnibus iterum præeſſe, ſi ſibi ſubeſſet, permiſit. Acceptam conditionem ſanctiſſimè *Chimus* ſervavit.

6. Religionis apud *Pacaſmayenſes* hæc erant præcipua capita. De mundi primorumque hominum exordio eadem illis, quæ *Pachacamenſibus* (a) fides. Lunam præcipuo cultu venerabantur, quòd elemétis dominari, producere alimenta, cauſare maris tempeſtates, fulgura, tonitrua arbitrarentur. Illam inſuper Sole æſtimabant potétiorem, quòd

(a) vide lib. 7. cap. 3. à nu. 5. uſque ad 10.

quòd hic ſolùm diu, illa etiam noctu appareret, quodque hic ab illa non illa ab iſto luminis defectum pateretur; ignorantiâ certè ingenii humani, quaſi præcellentius eſſet alteri tenebras offundere quàm de ſuo clariùs lucere. In eccliptibus ſolis convivia inſtruebant, iſtis victoriam lunæ congratulantes: dùm luna deficiebat, lugubribus choreis mœſtitiam teſtabantur. Credebant item lunam, dùm in noviluniis nullo lumine eſt ſpectabilis, in alium conceſſiſſe mundum ut fures, quos ſuprà modum execrabantur, caſtigaret. Illi Virgines quaſdam religiosè, ut Cuzcenſes Soli, dedicabant, *Acllaſcas* ab ipſis nominatas: earum ea erat veneratio ut ſoli Regi fas eſſet illas quamquàm plebæas matrimonio jungere, tanti apud omnes gentes virginitas æſtimatur. Ex his ſi qua viro ſe commiſceret, convocatis undique utriuſque ſexus Indis ac aſtantibus aliis ejuſdem collegii virginibus impetu cum clamore in illam facto ex altiſſima rupe præcipitabant tùm illam tùm ſacrilegum, relinquentes cadavera avibus diſcerpenda. Lunæ item pueros quinquennales barbarâ immanitate immolabant. Mare, *Ni* ab ipſis vocatum, divinis honoribus, ne aut piſces negaret, aut inundatione involveret, colebant. Nec minùs terras quaſdam petras *Alecpong* dictas venerabantur. Ad eas accedere fas non erat: ſi in conſpectu earum tranſeundum, profundâ adoratione, aut lapidis ſeu ligni adjectu, ut ſunt etiamnùm plurimi ex illis acervi, ſubjectionem ſuam profitebantur. Dùm aut morbi graſſarentur aut victus deficeret, jejuniis & ab uxoribus continentiâ Deos ſuos placare ſatagebant: ipſis etiam animalibus alimenta ſubtrahebantur, & canes verberibus adigebantur ad latratum. Qui contra reverentiam Diis, Guacis ſeu templis, debitam peccaſſet, inviolabili lege vivus inter oſſa propter ſimile ſcelus damnati & cum animalibus immundis defodiebatur, cum execratione *Ramar*, quæ apud ipſos ſuprema eſt, omniúque omninò vituperio major. Utinam eâdem ſeveritate irreverentiam in Deum, in templa, in ſacrificia caſtigarent Chriſtiani, jampridem metus, quod non potuit amor decuſque religionis, ex Eccleſiis tàm frequentes inaneſque confabulationes & procorum jocos, atque ex hominum ore tot blaſphemas ac execrabiles per rerum omnium ſacrariſſimarum abuſum locutiones proſcripſiſſet. Lacrymans hîc & pudore ſuffuſus dico, non legiſſe me ullos, quorquot per omnes mundi partes diffuſi ſunt, infideles negligentiùs, imò contemptiùs falſorum ſuorum Deorum cultum ſacrificiaque tractare, quàm nos veri Dei: non rituum præſcriptorum, qui ſanè ſanctiſſimi ſunt pulcerrimique, defectu, ſed incuriâ aut indulgentiâ Principum Magiſtratuumque, quos etiam ſæpè non pudet præire peſſimo exemplo.

7. Atque ut à religione ad mores illius gentis tranſeamus, eâdem ibi pœnâ, qui Regi vel Caziquæ obedientiam recuſat, mulctatur. Nec minori ſeveritate alia quædam peccata vindicabant. Adulteri præcipitio, Sodomitæ flammis commiſſum ſcelus luebant. Cum Sodomitis ipſe eorum ædes, ſupellex, pecoraque lege ſugæ irremiſſibili exurebantur: nonnumquàm integræ, ſi quiſpiam ex eis peccati conſcius noſceretur, familiæ. Viris fœminiſque, ut vel ex hoc apud barbaros agnoſcas curam caſtitatis Chriſtianis imitandam, diverſæ erant viæ ſemitæque præſcriptæ: vir fœminarum ſemitam ingreſſus, aut fœmina virorum, non mitiùs, quàm ſi virgini ſtuprum intuliſſet, puniebatur. Fures ſuſpendebant, ſed non, ut diuturnius ſupplicium eſſet, ſtrangulabant. Si furtum etiam rei minimæ conſtaret ignoto adhuc fure, erecto ad regias vias palo ſuſpenſiſq; ex eo maizii faſciculis non tam ſignificabāt fures eſſe, quàm ad eorum

eorum inſecutionem omnes evocabant. Intereà toto territorio ſacrificia Lunæ, ut furem indicaret, immolabantur; invocabantur duæ ſtellæ, *Patà* ipſis dictæ, velut Deorum in vindicando miniſtræ; capiebantur auguria; tranſigebantur inquiſitione dies noctéſque; quâ quidem diligentiâ iſtud obtinebant, ut ſecurè vivere, atque ab ædibus, licèt paterent, abeſſe liceret. Medicum, cujus ignorantiâ aut incuriâ æger obiiſſet, fuſtigabant aut lapidabant, donec exſpiraret, tùm ejus cadaver alterius cadaveri alligabant donec ſepeliretur: altero autem ſepulto, medici corpus ſuper illius tumulum relinquebatur avibus devorandum. Medicos verò peritos, quales erant ibi non pauci, diligenteſque ſummo in honore habebant, publicis pro eis ſtipendiis privilegiiſque honorificentiſſimis conſtitutis. Neque in hoc eorum exemplum noſtris Rebuſp. deberet eſſe dedecori, in quibus æquali mercede, qui occidunt & qui ſanant, donantur. Montani eos *Anpicamayos* appellabant; qui verò in vallibus degunt, *Oquetlupuc*. Matrimonia hoc ritu apud barbaros, certè non barbaro, contrahebantur. Inter contracturos nova olla ponebatur media, & in ea maizii farina cum ſevo verveeino, cui ſponſus ſponſáque ignem ac ligna ſubjiciebant donec incenderetur. Tunc parrinus, *Iam*, inquiebat, *conjuges eſtis, ſed advertite conjugii leges, par ſit utriuſq; labor amorq; : indignum erit indecorumq; ſi altero laborante otietur altera, aut altero amoris flammâ æſtuante altera frigore torpeſcat; vel è converſo. Satagite ut non magis æqualem vos ſtatum habere contingat quàm commoda incommodaq; : nam idcircò junctâ operâ ollam incendiſtis*. Mortuorum cadavera non humabant ante quintum diem, quod totum tempus luctibus indulgebant: humabantur verò contractis retrorsùm pedibus ac velut in genua provoluta, quaſi pro animabus deprecatura. In valle *Pacaſmayenſi* ſicut in cæteris circumcircà vallibus dæmon convivantium conſortiis & choreis frequens viſibiliſque intererat, dabatque, ut ad fraudem magis apta erant, reſponſa. Nonnumquàm etiamnùm in locis ſejunctioribus triſtis horribiliſque ſonitus exauditur, iſto exilium, in quod per adventum Deiparæ Auguſtinianorumque conjecti ſunt, veluti deplorantes. Quod quomodò factum ſit, deinceps enarrabo, cùm ſufficienter præmiſſa ſint, quæ de ſitu vallis, incolarum regimine, religione, moribuſque ſcitu ſunt jucundiſſima.

8. Allatæ illuc imaginis Sanctiſſimæ Virginis, & adventûs Auguſtinianorum cauſam fuiſſe conſtat illuſtrem ſeu ſanguine ſeu factis virum Franciſcum Perez Lezcanum: occaſionem, injuſtæ, quâ damnabatur, mortis ſententiam. Nobilitatem inter primævas computat Hiſpaniæ, quam anno M. CCC. XXXIV. celeberrimam bellicâ gloriâ reddiderunt germani fratres Lupus Garcia Lezcano primogenitus, & Amator Lezcano, fortiſſimè fortunatiſſimeque pro Caſtellæ Rege contra Regem Navarræ dimicantes, ac caſtro de *Vuſar* vi occupato. Nec degener à virtute majorum Franciſcus fuit, qui animo ſemper infracto tyrannis rebellibuſque invadere Peruviam aut diſcerpere conantibus obſtitit, fidelitatis, incertum, an heroïcorum actuum laude major. Vxor ei obtigit Luiſia de Mendoça paris nobilitatis, quam egregiis virtutibus exornabat, fœmina; ex qua filiam ſuſcepit Gratianam, quæ Didaco Garciæ de Chaves Equiti nobiliſſimo Trugilli in Eſtremadura oriundo in matrimonium data eſt. Memini me ſeriem avorum natorumque ejus non ſuſcepiſſe narrandam: parciùs tamen de illo loqui prohibent cùm ingentia in Ordinem Auguſtinianum collata beneficia, tùm ſtudium ejus laborque in quærenda imagine Beatæ Virginis de Guadalupe, quæ hujus narrationis fons eſt, impenſus.

9. Huic

9. Huic Franciſco, non quidem condigno meritis præmio Regii tamen erga illum animi teſte, vicus *Cherrepe* tributus (quem cùm poſteà Auguſtiniani in alium locum tranſtuliſſent, *Vicum* ſeu *Pagum novum* (a) dixerunt, *Cherrepe* appellatione ſoli portui rarò quieto relictâ) & dominum *Pacaſmayenſe*; ipſe verò *Trugilli* habitabat, pauperibus ob beneficia, quæ illis largiebatur, charus: nobilibus civibuſque, ob affabilitatem & humanitatem ſingularem. Verùm, ut nihil in mundo æſtimatur laudaturve niſi comite invidiâ, naſciturque inimicus ibidem ubi deſinit miſeria vel opprobrium; illo, quo aliis placuit Franciſcus, diſplicuit *Trugilli* Prætori. (b) Quod cum Franciſcum non lateret, nihil ut ageret quod offendere æmulum poſſet, ſatagebat, vir ut in periculis intrepidus, ita pacis amantiſſimus. Sed nihil adeò à peccatis immune quod non fiat nocens, quando INVIDIÆ quæſtio committitur, aſtutæ ſatis ut alienis delictis cum veritatis ſimulacro obvolvat innocentem. Id planè Franciſco accidit. Honeſtiorum familiarum valvis adfixi erant libelli famoſi, quibus non poterant non plurimùm irritari. Prætor, Magiſtratuſque pro officio de autore inquirunt: verùm tantùm aberat ut haceorum diligentiâ autor terreretur, ut alterâ nocte in pluribus ædibus invenirentur etiam præcedentibus contumelioſiores. Augetur numerus & indignatio leſorum: promittuntur præmia detectori: fit inquiſitio ſollicitior, ipſique cum magiſtratu cives & nobiles noctu plateas circumeunt, aut impedituri crimen aut prehenſuri criminoſum. Sed ibat hic aliis immixtus, &, ſi quando poterat, levi à cæteris excurſu infames ſcedas ædibus applicabat. Indignationi ſtupor acceſſit, iſta auderi ubi tantus eſt inquiſitorum numerus & iam ſævæ omnium minæ: majora fiunt promiſſa detectoris. Tùm duo quipiam inter ſe, *Quàm facile eſt nos modò ex miſera, quam agimus, vita neceſſitatibus extricare? Promiſſa ſunt ingentia, odit Centurionem Franciſcum Perez Prætor, arripiet, procul dubiò omnem opprimendi viri occaſionem; neque eripiet eum nobilium civiumque amor, pro quo, quia omnes læſiſſe credetur, mox ſuccedet ſtudium vindictæ. Quin igitur imus & denuntiamus?* Ieſunt, denuntiârunt Franciſcum Perez Lezcano eſſe famoſorum libellorum autorem: nam viſam à ſe faciem planè illi ſimilem. Quis non impudentiam teſtimonii irriſiſſet, niſi & odium Prætori, & furor populo tenebras offudiſſet? Prehenditur igitur, jubente Prætore, Franciſcus, violatoque nobilitatis privilegio, compedibus & catenâ ſtringitur, & tumultuariâ ſententiâ capitis condemnatur: ejus cauſam præcedens ad ſupplicii locum præco pronuntiaret fuiſſe, quòd nobiles honeſtoſque viros ac fœminas falſis & infamibus criminationibus impetiiſſet. Franciſcus, cui mortis ſententiâ ipſa ejus cauſa multò erat acerbior, ab ea appellat. Non datur appellationi locus aut tempus, eam non tantùm excludente odio Prætoris, cui omne vitæ Franciſci momentum longum erat, ſed etiam clamore offenſorum, quibus calumniæ ideò erant graviores, quòd eas dictaſſet, quem velut amicum fuerant venerati; iſto amicitiæ infortunio, quod diſrupta animos inter ſe concitatiùs collidat. Ad cælum ergò recurrit Franciſcus ab hominibus contemptus, ibique innocentiam ſuam per Beatiſſimæ Virginis de Guadalupe & Sancti Auguſtini patrocinium repræſentat, facto voto, ſe, ſi ignominiam illam mortis evaderet, in Hiſpaniam profecturum, ibique curaturum ut ſculpatur ſimilis Guadalupenſi imago, quam in Peruviam delatam in valle ſua *Pacaſmayenſi* collocaret, ejuſque cultum accitis ex vicina Provincia Auguſtinianis redderet celebrem, templi monaſteriique exſtructione ac dotatione. Ita noctem inter ſpem metumque, ſed hunc validiorem, tranſegit. In crepuſculo diei, clamor in plateis exortus, primò aurſ-

(a) Pueblo nuevo.

(b) Corregidor.

fabri cum Sacerdote indumenta ſæcularia induto luctantis, deinde plurimorum, inter quos etiam juſtitiæ adminiſtri, ad primi voces accorrentium. Quorum coronâ aurifaber malefactorque, ut nihil de fuga hujus eſſet timendum, ſeptus; narrat ille ſe ex ædibus ſuis percepiſſe ſonitum exiguorum ictuum, atque ad hos dùm prorupiſſet, vidiſſe Sacerdotem, qui adſtabat, conantem adfigere clavis ſuo oſtio libellum, quem mox omnibus prælegit, contiocbatque, *Para ti faltò el engrudo Indio agudo, para ti faltò el engrudo.* (a) Captus Sacerdos ac Antiſtiti traditus fatebatur ſe unicum, quotquot adfixi fuerant, libellorum autorem. Qui deindè ex carcere profugiens Panamam pervenit, indeque feſtinans *Nomen Dei*, (b) calcitraore, cui inſidebat, mulo in ſubjectum flumen *Chagre* prolapſus; natatu evaſiſſet, niſi jam ripæ appropinquantem devoraſſet crocodilus, (c) digna crimini pœnâ, ut qui homines ſcriptis momorderat, morſibus beſtiarum periret.

(a) *Tibi pix defuit, impie Indæe, tibi pix defuit.* Alluſit ad morem in Hiſpania uſitatum, ubi Iudæi comburendi pice illinuntur.
(b) *Nombre de Dios* civitas.
(c) *Caymar* ſpecies crocodili in Peruvia.

10. Franciſcus autem tam ignominioſâ morte, tempore tam opportuno, quodque illi propè extremum erat, exemptus, votique memor mox profectionem in Hiſpaniam adornavit & feliciter confecit: continuatoque itinere ad S. Virginem *de Guadalupe* cum egregio ſculptore; quem Hiſpali adduxerat, pervenit, & explevit eleëmoſynis & Deiparæ cultu novendium: nec minùs intereà animos Religioſorum Hieronymianorum, ut ſibi ſimilem imaginem ſculptoris præſentis artificio auferre liceret in alterum mundum, ſollicitabat, obtexens votum, votique lamentabilem cauſam & lætum effectum. Cur cogantem repuliſſent tam Sancti ac Venerabiles Viri, quem jam benigna Virgo admiſerat? Sculpitur properatâ operâ imago, redditurque ſimillima. Tùm verò Religioſos facilitatis ſuæ pœnitudo cœpit, incertum, quàm maximè ob cauſam. Dæmonis certè crediderim aſtu, ne cultus Deiparæ toto vetere orbe celeberrimus, in novum cum ſimilitudine ſtatuæ ſimilis celebritatis introduceretur, ſeque ex amœniſſima, quam diu incoluerat, valle fugaret, ſeu inſolitâ novis populis majeſtate ſeu magnitudine potentiæ, ad quam in univerſo mundo totum illud infernale agmen contremiſcit. Nihil hic apud mutatos animos poterant aut preces Franciſci aut liberalitas; donec, enarratâ apud Nuntium Apoſtolicum cauſâ, ejus mandato explere, quod primò conceſſerant, juberentur.

11. Deſiderii compotem nulla aulæ, in qua plurima meritò potuiſſet prætendere, nulla propinquorum poſt tanti temporis tantique ſpatii abſentiam negotia detinuerunt, ſed ipſâ reditus feſtinatione probavit ſolâ ſe voti cauſâ tam longam peregrinationem ſuſcepiſſe. Et qui proſperis ventis venerat imaginem quæſiturus, felicioribus revehit obtentam, appellitque *Nomen-Dei.* (d) Atque ibi mulo imponitur Panamam deferendum, obſervatumque ab agazone, cum alii omnes muli ob viarum aſperitatem ceſpitarent frequentiſſimè & fatigarentur ſub onere, ſolum hunc inoffenſum proceſſiſſe. Neque Franciſcum admirationis ſuæ cauſam celavit, inſtititque, ut diceret nùm quid factum infatigabilis mulus vectitaret. Quod cùm ſæpè feciſſet, tandem importunis quæſtionibus victus, annuit, ſed ſecretò, homini Franciſcus, injecitque tam altè, rudi licèt incompoſitoque, reverentiam, ut deinceps nunquàm, niſi infixo prius devotionis ergò oſculo, ſarcinam aut imponeret aut deponeret. Panamâ proſpero curſu tranquilloque mari, quod maximis ſemper tempeſtatibus altiſque fluctibus ibi intumeſcit, portui ſuo Cherrepe, quaſi jam Dominam ſuam ſenſiſſet, illapſus eſt.

(d) *Nombre de Dios* civitas.

12. Sed magis eam dæmones experti ſunt, qui in omnibus iſtis vallibus, quas *Chimos* antiquitas ob

cauſas

(a hoc cap. nu.1.lib 8 cap.4 nu.2.) cauſas aliàs notatas (a) vocabat, velut homines eum hominibus viſibili formâ familiariꝗue conſortiò converſabantur, conviviiſipſorum & tripudiis præſentes danteſque oracula. Præcipuam tamen ſedem in *guaca* ſeu templo *Sian* fixerant, ipſiſſimo ſcilicet loco quem Beatiſſima Virgo de *Guadalupe* elegit ſibi domicilium. *Sian* præcipuum in iſtis vallibus Lunæ templum erat, ſolemniora autem ſacrificia noviluniis immolabantur, tantâ quidem cæcitate crudelitateque ut nec tenellis prolibus à parentibus parceretur. Adveniente autem Deiparâ tota Dæmonum caterva in cavernas profugit, ubi triſti tympanorũ, ((b) camberes) quæ Indis iſtis muſica ſunt, (b) ſtrepitu magis quàm clangore exilium ſuum deplorant, veteriſque cultus ceſſationem. Obſervatum eſt à curioſis, lunâ ſe reparante horribiles illos Dæmonum ſonitus eſſe frequentiores, verſis in luctum diebus quos ſolent habere ſolemniſſimos.

13. Vt hoc etiam titulo, quòd dæmones pellat, Beatiſſimæ Virginis imago non immeritò deberi videatur, Auguſtiniano Ordini, cujus Patriarchâ fundatorque Auguſtinus tàm ſævum toto illis orbe bellum indixit, S. Nicolaus, S. Guilielmus, innumeri; alii proſecuti ſunt. Ad quod multis ab hinc retrò ſæ-((c) anno 1181.)culis(c) ſuo exemplo prævivit Paſchaſius II. ex Ordine S. Benedicti Summus Pontifex, illuc advocatis ex altera Tiberis parte Auguſtinianis & præeſſe juſſis, ubi ipſemet ad portam Flaminiam cum decẽ Cardinalibus & triginta duobus Epiſcopis populoque infinito, ſucciſâ nuce, quam Dęmones occupabãt ingredietibus egredientibuſque ex Vrbe tumultu & verberibus terribiles, fundamenta jecit novæ Eccleſiæ, quæ à concurſu populi, *De populo*, dicta eſt, immanibus habitatoribus ad tartara ablegatis. Sed cùm Peruviam nunc me ſcribere meminerim, illuc redeo. In eam primam *Matris gratia* imaginem erexit Apoſtolorum Noſtrorum præcurſor P. Auguſtinus de Sanctiſſima Trinitate, (d) illo ſcilicet titulo eam venerans, quo eàm ((d) lib.4. cap.2.nu.5.) Archangelus naſciturì ex ea Dei myſterium nunciaturus primò ſalotavit. (e & cujus amiſſione angelica ((e) Gratia plena. Luc.1.28.) natura cælo cœpit eſſe adverſa, natumque bellum eſt, quod in *Pacaſmayenſi* imagine (quæ prima fuit in Peruvia miraculis illuſtris) geſſit. Succeſſerunt aliæ in *Copacavana*, in *Pucarani*: quin & ipſa, quæ in civitate Limenſi *del Prado* dicitur, per Licentiatum Pobiete, ad quem pertinebat, primò Auguſtinianis fuit attributa, quamquàm eam vitandorum ſcandalorom cauſâ, quòd armis aliorum peteretur, deſerere ſint coacti.

14. Specialior autem titulus ille fuit quod ipſum Franciſci votum Auguſtinianos eſſet complexum. Qui mox reditus ſui, allatæ ex Hiſpania ſtatuæ & voti ſui certiores reddit P. Ioannem de Sancto Petro Trugillenſis monaſterii, & P. Petrum de Cépeda Provinciæ Præfectos. Offert ad ædificationem Eccleſiæ monaſteriique fundos; ad Eccleſiæ cultum Religioſorumque ſuſtentationem prædia & cenſus. Intereà verò ſtatuæ, quam mox ab adventu in horto collocârat, (f) Ca-((f) anno 1562.)pellam operis non contemnendi erigit inter amœniſſimam arborum plantationem non procul à molendino aquatili, quam poſteà in collem, undè ejus proſpectus eſſet longior, tranſtulit.

15. Provincialis autem Præfectus Petrus de Cépeda acceptis in itinere, quod pro Viſitatione inſtituerat, Franciſci literis oblatâque occaſione promulgandi laudis Euangelii & extendẽdi Ordinis lætus, ſtatuit, ut cùm ipſe adeſſe non poſſet, Prior Trugillenſis Ioannes de Sãcto Petro per ſe ſeu perſonas à ſe deputandas imaginis locique oblati caperet poſſeſſionem: quod præſtiterunt R. P. Luiſius Lopez tunc *Trugilli* verbi divini præco & Theologiæ profeſſor, poſteà trium ſucceſſivè mitrarum Antiſtes, & cum eo RR. PP. Balthaſar Mexia, Alphonſus

phonſus de Antequera, Hieronymus de Eſcobar poſteà quoque Epiſcopus, Didacus de la Serna, Hieronymus Gabarrete, die Junii ſextâ, quæ tunc Sanctiſſimæ Triadi erat ſacra, anno M. D. LXIII. Vix hæc ſolemnitas peracta erat, cum ingens ejus occaſione tempeſtas eſt exorta, tribus junctim Curionibus *Mocupenſi* (a) *Llocenſi* (b) *Cherrepenſi* (c) litem Auguſtinianis intentantibus; in hoc ſolo concordibus ut eam Auguſtinianis contra Franciſci donationem eriperent: cæterùm ſingulo pro ſua parochia ſatagente; laudabili ſtudio ſi juſtitiâ fulciatur, abſitque livor & rixandi appetitus; quibus à doctrinâ Chriſti, cujus Eccleſiaſtici, ſicut ſe profitentur interpretes, deberent eſſe obſervatores exactiores, receditur quàm longiſſimè, maximo ſæpè populi ſcandalo. Quo quidem animo id fecerint Curiones, non temerè dixerim, conſtat certè nihil ab illis motum priùs, quàm cùm conſiſtens juxta molendinum imago inſigni eſſe celebris miraculo, quod ſtatim narrabo, cœpit. Agebatur utrimque cauſa magnis animis calidiſque. Auguſtinianis Franciſci donantis tabulæ atque æquitas, Curionibus Archiepiſcopi dignitas potentiaque magnam illi, cui accedit, parti pondus adferre ſolita, favebat. Protrahebatur hoc modo lis ad duos ſolidos annos, ut tandem Provinciæ Præfectus longarum difficultatum tœdio, zeloque, ut ipſi videbatur, Chriſtiano, ut ſcandala, quibus Deus ac Beatiſſima Virgo magis offenditur quàm honoraretur conſervandæ ſtatuę deſiderio laboreque, amputaret, Archiepiſcopo ceſſerit. Sed non ceſſerunt ejus conſodales, qui amiſſo Prælati patrocinio, tantò obnixiùs ad veram afflictorum Advocatam profugerunt; quibus junxit ſe Franciſcus identidem illi repræſentans eodem voto obſtrinxiſſe ſe & ſtatuam ex Hiſpania in Peruviam allaturum, & eam Auguſtinianis, qui ejus cultum curarent, donaturum. His precibus victa Deipara, & ſupplicum patrona facta, immutato Archiepiſcopi animo, voluit ut pro Auguſtinianis pronuntiaret, cujus ſententiâ penes illos ſtatua manſit, ad quos pertinebat voto & voluntate donatoris.

(a) de Mocupe.
(b) de S. Pedro de Lloco.
(c) de Cherrepe.

116. Miraculum verò, cujus paulò ante memini, iſtud fuit: Dùm adhuc in ſecundo loco prope molendinum ſtatua conſiſteret, varii illuc, quamquàm non eodem animo, trahebantur: erant quos amor neceſſitaſque, erant quos pictura exterior (ita ſcilicet patria ſuis noverca eſſe ſolet ut minùs æſtimet opera indigenarum, magnumque ſit vituperium artificis, fuiſſe ab incunabulis notum) videndæ deſiderium evocârat: eratque illa, ſi non unica, frequentiſſima ſanè familiarium ſermonum materia. Indus autem quidam filiolam Æthiopiſſę (d) ferebat matri tradendam; qui dùm ſupra canalem, quo aqua molendino infundebatur, tranſiret, quo infortunio, incertum, puella in ſubjectum profluentem lapſa, mox aquarum impetu abrepta eſt. Mater doloris ſtimulis excitata, verſo ad Deiparæ Sacellum vultu, exclamat, *Mater Dei de Guadalupe redde infortunatæ matri filiolam.* Accurrit ad has voces molitor, Indi matriſque lacrymas & ejulatus non magis contemplatus quàm miſeratus, in omnem partem intendit oculum, dùm afflicta mater præmiſſam precatiunculam ingeminat. Dumque Indus, mater, molitor pergunt magis ut mortuæ cadaver, quàm vivam puellulam, inveniant extrahantque, viſa eſt in radiis rotæ conſidere non viva tantùm ſed integra, & alacris; ipſa autem rota contra incurrentes impetu aquas ſtare immobilis: imò, quod non minùs obſtupeſcas, diviſis hinc indè aquis & velut in murum criſtallinum congelatis, ſemitam præbuit torrens Indo, matri, molitori, per quam ad infantulam penetrarent ac eriperent. Quo facto omnia ad naturæ, quam ſuperior poteſtas Virginiſque Sacroſanctæ imperium detinuerat, terminos

(d) Negra.

minos redierunt: aqua rurſus facta eſt fluida; imperus ejus, qualis ab alto labentis eſſe ſolet, vehemens, rota, verſatilis.

17. Actione Curionum per ſententiam Archiepiſcopi extinctâ, & ſtatuâ Auguſtinianis adjudicatâ, piiſſimi conjuges Franciſcus Perez & Luiſia de Mendoça totos ſe cultui B. V. Virginis adſcripſerunt, adſignaruntque Auguſtinianis terras, & reditus, quibus neceſſaria cultui & ſuæ ſuſtentationi compararent. Luiſia quidem haud ita multo pòſt tempore abiit æternum pietatis ſuę præmium receptura: Franciſcus autem diviſum ante amorem in ſolos Superos conferre in poſterum ſategit, maximeque Deiparam, quàm etiam omnium bonorum, ſi ſine filię injuriâ licuiſſet, ſcripſiſſet: quod filiâ ſuperſtite nec acceptaſſent Auguſtiniani, nec S. P. Auguſtinus permittit. Verùm fuit filia nō magis bonorū quàm pietatis paternę hæres.

18. Illorum ergò liberalitate, noſtrorumq; diligentiâ ædificari cœpta eſt breviq; perfecta Ecclesia, monaſterium, & domus peregrinorum in declivi collis *Namul*, quem diximus ſtatuæ, ex quo ex Europa allata fuerat, locum fuiſſe tertium. Vbi, quæ recenſebimus, plurimaque alia miracula patrata ſunt, quæ locum reddiderunt celeberrimum, illuc à quingentis ampliùs leucis concurrentibus magno numero peregrinis ſeu gratias acturis, ſeu ſimilis favoris fiduciâ excitatis. Crevit tam felicibus incrementis domus, ut haud ita multò pòſt Religioſos aleret quinquaginta pleruſque vitâ & doctrinâ egregios. Vt ex hoc, & ſimul peregrinorum numero obſerves, quanto fructu circumfuſa latè loca coluerint, & ſemente Euangelii ſeminaverint Auguſtiniani, dæmonum cultu abrogato, illiſque ad antra relegatis. Nam ſupervacaneum exiſtimaverim hoc loco vel aliis ſępè recurſuris, ad nauſeam procul dubio lectori, reperere ſemper quibus artibus, quâ paupertatis profeſſione, quâ laborum tolerantiâ, quibus ſudoribus algoribuſque, quâ contra adverſitates conſtantiâ munus illud Apoſtolicum executi ſint. Repetet, cui otium fuerit aut ſtudium cognoſcendi, ex ſupradictis, quam in Peruvia vitam Auguſtiniani egerint; (a) quibus inſtructionibus ad Euangelicæ legis prædicationem proceſſerint: (b) & quàm exacti fuerint datarum inſtructionum obſervatores: (c) reputabitque nihil ſegnius irreligioſiuſque ab his actum, qui nondum tribus à primo in Peruviam ingreſſu luſtris receſſerunt. Quare dùm hic narramus, alibique recenſebimus, novam aliquò coloniam deduxiſſe, æſtimet ſimul nos dicere ea quæ ſanctiſſimis ſunt regulis præſcripta, viviſq; præcedentium exemplis expreſſa, cùm profectus non inveniantur minores. Cōpēdioſa quidē ſed certiſſima uberrimaq; arboris probatio ex fructu eſt. (d) Hic conſtabit uberiùs dùm mox particularium vitas deſcribemus.

(a) lib 4. cap 8.
(b) lib 5. cap. 2.
(c) variis locis.
(d) Matth.

19. Perſtitit illo in loco Eccleſiâ monaſteriumq; uſque ad annum M.DC.XIX. quo ingens terræmotus, quem, dùm de *Trugillo* ageremus, (e) deſcripſimus, XVI. Calendas Martias (f) illud evertit. Tùm P. Ferdinandus de la Barrera *Chuquiſacenſis*, Prior *Guadalupenſis* conſideratis prioris loci incommodis, ubi torridus aëris æſtus & Religioſorum oberat ſanitati; & peregrinorum devotionem evaporabat; judicavit aliò cōmigrandū. Quare tertio poſt caſum prioris Eccleſiæ die, (g) alia ædificari cœpta eſt, remota ab altera quadrante unius leucæ; laboratumque ita gnaviter, ut ſexto ab indè die, qui S. Mathię ſacer erat, ſteterit ſacellum, in quo incruentum ſacrificium offerretur. Perfecit autem templum P. M. Franciſcus de Caſtro eâ architecturâ magnificentiâque, ut æmulum ſit pulcerrimis Limæ Eccleſiis, cæteras omnes excedat. Idem non nam monaſterii partem adjecit, alias P. M. Ferdinandus Maldonado abſolvit, quod non tantùm cum pręcipuis Peruviæ ſed & Hiſpaniæ certat, Beatiſſima Virgine ex toto im-

(e) lib. 8. cap. 4.
(f) 14 Febr.
(g) 17 Febr.

to imperio homines evocante, quos ſui cultus ſplẽdore perſtringit.

20. Splendor iſte à famuli Indi reſuſcitatione initium ſumpſit, ſicut filiola Indæ in molendino ſervata cultui ſtudioſiori dederat exordium. Primitias miraculorum certè in barbarâ deſertaque natione conſecraras voluit illa mater, ex qua genitus fuit, *qui venit quærere & ſalvum facere quod perierat*, amoris filii ſui imitatrix non minùs quàm humilitatis, pauperes divitibus præferens, ſicut ille, qui Reguli contempſerat filium, ad famulum centurionis perrexit. Res accidit in hunc modum. Anno M. D. LXV. nobilis quidam longo itinere magni momenti negotium curaturus ad ædes Beatiſſimæ Virgini ſacras deflexit, reputans tùm demùm fortunatè ſucceſſura omnia, ſi hanc obtinuiſſet advocatam. Intereà verò, dùm ipſe precibus inſiſtit, Ferdinandos Tuſa Indus ejus famulus equum in hoſpitio curat, quem dùm finitâ heri oratione ephippio inſternit, duobus ab eo valentiſſimis ictibus impetitus, ſimul exſpiravit, maximo heri, qui famulum diligebat, dolore: qui reiteratis pro anima defuncti precibus, conſignatâque in manus Prioris eleẽmoſynâ quâ decenter more Chriſtiano ſepeliretur, quòd feſtinato opus eſſet, ipſe eâdem die iter proſecutus eſt. Verùm ingratum erat hoſpitibus Ferdinandi cadaver, quare Priorem rogant obnixè, iſtud ut liceat illâ nocte in Eccleſia deponere, ſequenti luce ſepeliendum, & impetrant. Fertur ergò in feretro linteis more Chriſtiano involutum, poniturque in Eccleſia. Ad quam cùm Religioſi matorinas preces recitaturi convenirent, vident Ferdinandum non vivere modò, ſed ſanum alacremque devotiſſimas B^mæ. Virgini gratias agere. Illi prodigio attoniti, cum ſe ex improviſo timore collegiſſent, propiùs eũ accedentes, quid illi evenisset, ſollicitè ſciſcitantur: nonnulli etiam magnitudine miraculi victi impatienteſque moræ magnis vocibus Hiſpanos, Indos, liberos, ſervos ad ſpectaculùm rei nunquàm antehac in Peruvia viſæ evocant. Evocati non accurrunt modò ſed irruunt, impetuq; ſuo & confuſis quæſtionibus tumultum cient. At verò Ferdinandos ſedatâ multitudine ſilentioque impetrato ait. *Ego portentum factus ſum Peruviæ primum maximumq; terribilis heri mei equus animam vitamq; excuſſerat: hanc reddi poſſe quis hactenus in majorum noſtrorum religione non dico ſperare, ſed cogitare fuiſſet auſus? Solam vitæ mortem ſuccedere didicimus; vitam morti nunquàm. Nova nunc fides aliud exemplum introduxit, ad quod ſtupere omnes. Circa noctis mediũ Domina quadam formoſiſſima plurimis pulcherrimiſq; aliis comitata venit ad me, juſſitq; redire ad vitam, ac datâ benignè manu e feretro erexit.* Quæ Ferdinandi oratio cùm omnibus eſſet admirabilis, Indis incredibilis viſa fuiſſet, niſi unum eundemq; & mortuum anteà vidiſſent, detuliſſentq; in Eccleſiam horrore occupati cadaveris, & nunc audirent loquentem. Nulla res conſtantiores in ſuſceptâ fide reddidit jam baptizatos, aut fortiùs alios ad eandem pellexit. Ferdinandus autem vitam ſuam, quam Sacratiſſimæ Virgini debebat, ejus ſervitio totam impendit, beatior iſto quàm nobilis heri licèt amantis ſervitio.

21. Fama verò miraculi quantò inſolentioris tãtò celerior fuit, pervagando nõ Peruviam modò ſed & alias terras longaq; maria cito volatu occupando. *Panamæ*, cum illuc Franciſcus de Toledo Prorex Peruviæ & primus Legiſlator futurus ex Hiſpania appuliſſet, iſtud intellexit, & ſimul erga Virginem *Pacaſmayenſem* devotionem concepit, quam paulò pòſt ejuſdem Virginis patrocinium expertus, teſtatiſſimè explicavit. *Panamâ* quatuor omninò navibus ſolvens curſu non infelici *Capiti Albo*, quod ampliùs quatuor gradibus ab Æquinoctiali in Auſtrũ excurrit, ſe oppoſuit: ubi eũ horrenda prorsùs tempeſtas invaſit. Fulgura, tonitrua, venti, pluviæ indomitique fluctus omnia vicina deſperationi redde-

reddebât, cùm nec nautarum labor nec induſtria violentiâ maris poſſent ſuperare, quæ etiam naves ultra Æquinoctialem contra portum S. Matthæi rejecit. Vehebantur his navibus Prorex; Inquiſitores, Auditores, Prætores aulæ, & Auguſtiniani aliquot præter ingentem nobilium & mercatorum numerum. Omnibus præſentis mortis metu territis, unus aliquis ex Auguſtinianis Proregem accedens autor eſt, ut Virgini *Pacaſmayenſi*, cujus cultus celebris eſſe in Peruvia cœperat ob ingentia miracula frequentiaque, votum nuncuparet. Nuncupavit, tùm Regis, cujus præcipui omnes Officiales periclitabantur, nomine, tùm ſuo; ſparſumque ſubitò per navem eſt, Virgine *Pacaſmayenſem* à Prorege claſſis protectricem, ductricemque eſſe electam, & ſimul omnium ad eam preces directæ ſunt. Atque ipſo illo momento non tantùm fugientibus nubibus ventiſque concidentibus tutorem aquæ poſuerunt, verùm auris admodum propitiis ad portum deſtinatum claſſis cucurrit, &, cû *Payta* ſolvendi causâ voti Prorex exſcendiſſet, portui Limenſi, qui *Callao* dicitur, illapſa eſt. Prorex Sacellum Virgini [illegible]trum ſummâ devotione veneratus eſt & regiis donariis cumulavit, attributis illi inter cætera quinq; municipiis, *Sancti Petri de Lloco, Xequetepeque, Cherrepe, Mocupe & Chepen*. Notatu dignum arbitrati ſunt nonnulli hoc numero contineri illa tria nimirùm *S. Petri de Lloco, Cherrepe & Mocupe*, quorũ Curiones diximus motâ lite voluiſſe Auguſtinianis imaginem auferre, qui nunc Proregis mandato jubentur propriis parochiis excedere, & cedere iis quos fuerant perſecuti; juſtâ ſcilicet pœnâ ut nec ſua retineat qui aliena conatus fuit occupare.

22. Huic Proregis donationi ſequenti ſæculo ſucceſſit liberalitas Franciſci de Chepen Caziquæ municipiorum *Moromoro* & *Chepen* cum primis Principum Chriſtianorum comparanda, qua agros aliaſq; terras copioſiſſimè Beatiſſimæ Virgini de *Guadalupe* in *Pacaſmayo* adſcripſit: ut non ſuppetat tantùm quod Religioſorum ſuſtentationi eſt neceſſarium, ſed quod peregrinis illuc advenientibus erogetur, quod hactenus præſtant Religioſi, incertum an largitate majori an charitate. Peregrinorum confluxus ingens eſt, in præcipua; quæ fit in ſacro Conceptioni die, ultra ſex millia numerantur, quibus recipiendis cum domus non ſufficiant, in erectis tentoriis cubant comeduntq;, ut caſtris quàm oppido ſpecies ſit ſimilior. Cultus hic Panamam uſque & Novum Regnum ſe extendit, complecteretur-que totam Peruviam niſi in Provincia de *Chuquito* Virgo de *Copacavana*, & non longè de *Chuquiago* verſus *Potoſium* Virgo de *Pucarani* miraculis ac veneratione floreret diviſamq; velut in tres partes Peruviam totam occuparent, omnes Auguſtinianorum curæ commiſſæ.

23. Miracula hujus Virginis *de Guadalupe Pacaſmayi* facta P. M. Antonius de la Calancha copioſus eorum ſcriptor refert plurima maximaque, (a) quæ Europæi, quibus noſter maximè labor inſervit, mirari quidem poſſent, non excitarentur tamen ad ſimilis venerationis exhibitionem, quod eam vaſta nimis ſpatia impediant, habeantque loca cultu & miraculis Deiparæ per totum terrarum orbem celebratiſſima. Ex multis ergò illa dumtaxat, quibus Auguſtiniani intervenerunt, delibabimus, curioſioribus ad nominatũ modò ſcriptorem remiſſis.

(a) lib. 4. Chroni. c. 6. & ſeqq.

24. Vix naſci templum monaſteriumq; *Pacaſmayenſe* inceperat, cùm obtulit ſe mirus Deiparæ cultor Ioannes Sanchez, qui in ædificia per montes, pagos, oppidaq; *Chachapoyarum* eleëmoſynas colligeret. Quod fecit non magis laborioſè quàm fortunatè: inter cætera dona roſarium accepit, cujus grana cum maximo æſtimarentur; aureis anſulis affabrè erant connexa. Evenit ut Ioannes ad Curionem *Chachapoyanũ* hoſpitii neceſſitate, quod vir eleëmoſynarius æquè ac Virginis *de Guadalupe*

dalupe cultor libens conceſſit, diverteret, cùm eodem tempore tota ejus domus flammis abſumpta eſt ita voracibus celeribuſque, ut ſollium infernalium non-nemini fuerit opinio injecta, cùm nulla præſertim detegi potuerit cauſa incendii, quo incipiente Ioannis mancipium aliquod, ut roſarium eriperet, involavit, verumtamen flamma omni diligentiâ velocior omnes prorſus aditus interclu ſit, ut omnes adſtantes mancipii ſollicitudo invaſerit, ac nonnulli ſemi-uſtum timerent. Præcipuè verò Ioannes exterritus opem ſervo à Deipara popoſcit, qui operam ſuam in ejus ſervitium egregiè probaverat. Intereà nullo ampliùs flammarum obſtaculo egreditur ſervus integer illæſuſque, niſi quòd veſtimenta ejus leviter lambiſſe viderentur; quod ab omnibus prodigio fuit attributum, quod manifeſtius longè fuit in eo quod jam narrare pergo. Iam tectum, jam latera domus, quæ ex ligno erant, jam trabes ipſas ignis voraverat, nihilque pavimento inſtratum erat, quàm cinis candenteſque prunæ; illæ removentur ut ad cubiculi locum, in quo ſe roſarium collocaſſe Ioannes meminerat, ſubito curſu levique perveniri poſſit. Et menſa quidem, in qua id reliquerat, prorſus in cineres & favillas redacta erat, ipſum autem roſarium cum linteo, cui involutum fuerat, inventum fuit intactum nitidumque, quale fuerat ante incendium. Res admodum inexſpectata ſtuporem omnibus incuſſit, tum converſo in gaudium luctu miraculum omnes conclamarunt. Ipſe Parochus ex hoc damni ſui lenimen ſumpſit, alacerque roſarium, decantato muſicè *Te Deum laudamus*, in templi ſacrarium intulit, reputans ſecum utilius Indorum converſioni fuiſſe inter tam voraces flammas materiam ligneſceri ſolitam conſervaſſe, quàm ab initio repreſſiſſe incendium.

25. Huic inter cæteros adſiſtebat Indus quidam, quem, cùm puer, baptizaretur, Alphonſum appellârunt Auguſtiniani, quorum labores in converſione Provinciarum *Chachapoyas* & *Laymebamba* alibi executi ſumus. (a) Verùm ille Catholicæ fidei deſertor factus idola coluit, & dæmonum familiari contubernio uſus magicas artes edidicit adeò perfectè, ut earum eſſet nominatiſſimus per omnes illas Provincias magiſter. Huic uxor Inda obtigit peſſimis moribus & artibus viro par, ſed contumaciâ, ſexus ut plurimùm vitio, major. Ita vixerant annos omninò triginta, genueranique filiolum adhuc tenellulum dum dictis miraculis intereſſet, qui catechizantes Auguſtinianos diligens audiebat, ſuâque ad Eccleſiæ ornatum propenſione manifeſta dabat indicia divinæ gratiæ, potentis inter jam denſas infidelitatis tenebras lucis ſuæ radios, quibus vult, immittere & à fœdis conviventium conſuetudinibus præſervare, ac eripere à propriis. Nam neque Alphonſum quamquàm dæmonis ſacris addictum inveteratumque deſerebat, occultis certis tamen modis eò cuncta dirigens ut ex Dæmonum poteſtate ereptum omnibus eorum viribus redderet ſuperiorem; hoc fine membrorum ei uſum ademit, ut non niſi exiguis manus fulcris ſuſtentans, protereret potiùs quàm procederet, juſto judicio ſerpentis, cujus formâ calliditateque facta erat Eva Deo ſuo rebbellis, pœnâ condemnatus. Quâ caſtigatione in nullo melior effectus trahebat ſecum impiæ deſertionis digniſſimum ſupplicium. At verò flamma, quæ Parochi ædes, ipſa quidem tanquàm infernalium ſpirituum ſodali gaudente, abſumpſit, roſario in medio illius illæſo, in pectus Alphonſi ſecretè divinâ ope irrepens, rigidum illius gelu penitùs diſſipavit, accenditque rurſus in illius Dei fidem, quem ante baptiſma edoctus erat eſſe Vnum Trinumque, rerum omnium conditorem omnipotentem, cujus potentiæ, quâ ignis mancipio Indo & roſario nocere prohibitus erat, recens fuerat ſpecta-

(a) lib. 5. cap 8. nu. 6 & ſeqq.

tor.

tor. Quare, magicis artibus dæmonumque præſtigiis valere juſſis, voverat ſe *Pacaſmayam* iturum dicam, neſcio an prorepturum, ibique veneraturum Virginem *de Guadalupe*, cujus patrocinium viderat quàm eſſet opportunum efficaxque. Magnum promiſſum ſed à forti proculdubio amore & melioris vitæ deſiderio natum, hominem membris omnibus impeditum, ac conſiſtere impotentem profecturum è *Chachapoyarum* Provincia *Pacaſmayam* itinere ſexaginta leucarum, per montes viaſque difficillimas, per torrentes fluvioſque plurimos & profundos. Magna quidem iſta videri poſſunt; præcipua tamen obſtacula à familiari ſpiritu, & quæ illo inferior non erat uxore provenerunt. Ille formidabili minacique ſpecie Alphonſum invadens, proſtratum in terram ita affatur. *Ingrate, itane cultu Solis, qui te, qui mundum univerſum produxit illuminatq; deſerto, pictum aliquem arboris truncum adorare paras? Ubi eſt amor, quo Guacas tuas, quo tuas Mulquis & majores proſequi ſueviſti? Noſtrâ ope amicitiâq; timebaris & honorabaris ab omnibus, abundans deliciis, vitam fortunaſq; quibus volebas auferens atque ſuperans legionibus agiliſſimorum & fortiſſimorum ſpirituum. Quis te, barbare, faſcinavit? Fortè ſervatum inter flammarum globos reſartum? cui iſtud non prodigio, ſtulte, tribuendum. Virginem ergò, cui te abſtrinxiſti, ejuſq; filium abominare, ni faxis, furorem meum, cujus non ignoras magnitudinem, in te effundam.* Alphonſus contra hæc terriculamenta opem Virginis *de Guadalupe* implorare non ceſſabat, donec fugiente cum indignatione inimico victor extitit, ſumtêque majores ex victoria animos idola combuſſit prorsùs omnia, & magica inſtrumenta confregit.

26. Periculoſior hoſtis mulier reſtabat, cui cum maritus mutationem ſuam, votumque aperuiſſet, mille primùm blaſphemiis in Superos detonuit, deindè virum omnibus opprobriis abſumptis, acerbiſſimè aggreſſa, *Deorum, inquit, tuorum proditorem fieri non te pudet? Vix repis & longa itinera per avios montes promittis. Et quò, niſi in mortem, ibis? ſine meis manibus ne bolum quidem dentibus admovere potes, & me inconſultâ me invitâ peregrinari cogitas?* Has matris rixas cum filiolus perciperet, cœleſti impulſu ſeipſo fortior & major factus, *Eamus, ait, genitor, nihil te à peregrinatione concepta retrahat. Ego te genitor, comitabor ſerviamq; plenus fiduciâ, Deiparam de Guadalupe nobis adfuturam. Dic matri meæ, iturum me ut ſibi ſit tam formoſa Domina, quam inſuper, ut te ſanet, rogabo.* Quæ filioli oratio gratiam roburque à profectitis ætate accepit, tantoque illa fortiùs patris viſcera penetravit, quantò hæc erat innocentior. Omnia autem iſta matris iram exacerbârunt, quæ inſanienti ſimilis pugnos in maritum & filiolum pluit, qui non alio umbone quàm Virginis *de Guadalupe* invocatione ſe tueri poterant, ille virium, hic inſuper ætatis defectu. Perſtant autem uterque in concepta ſemel peregrinationis voluntate, ſumitque puerulus pro omni commeatu maizii aliquantulum in perula; & quædam crepundia filiolo tam formoſæ Dominæ, ad quam ibant, danda. Inter hæc par ſandaliorum, quæ *ojotæ* ab Indis appellantur, erat, quo puerulum Ieſum calcearet; ruſticum & vile munus, ſed quod à ſimplicitate & candore ætatis æſtimationem eſſet recepturum apud eum, qui voluit parvulos ad ſe venire; (a) viroſque, qui intrare in regnum cœlorum deſiderant, in naturam parvulorum redire. (b) Pergunt in hunc modum pater filiuſque; ſequitur uxor materque, animo quamquàm admodùm differenti illi ſcilicet exolvendæ religionis cauſâ, hæc impediendæ. Cumque perveniſſent, ubi ipſis pernoctandum erat, Alphonſus accendi ſe ſentiens, *uxor*, exclamat, *uxor*: adeſt ad clamantis voces opemque filiolus, ſed quem longè ab ſe abſiſtere pater juſſit, veritus ne & illum flamma corriperet. Accurrit etiam mulier, ac percunctatur, quâ ex parte arderet, cùm ex nulla ignis

(a) Matth. 18.3.

(b) ibid.

appareret, filiolo idem atteſtante. Dumq́; interiùs cruciatur Alphonſus, & clamat, ac ſtupet nullum ab aliis ignem videri, quem ipſe adeò violentum ſentit, memoriam invocandæ Virginis *de Guadalupe* amiſerat quam cùm filiolus ſuis verbis reduxiſſet, ipſeque pronunciaſſet, *Succurre Dei Genitrix te ſolam quærenti*, eodem temporis momento totus ille ardor abſceſſit, leni pro eo aurâ hominem refrigerante, depaſtaſque carnes reparante. Et Alphonſus quidem gratias liberatrici ſuæ prolixè egit; at verò obſtinata mulier maluit maritum impoſturæ accuſare, quàm fateri Deiparæ aliquod eſſe in dæmones imperium. Altera die proceſſerũt, ubi ad anguſtam clivoſamque viam arbores plurimæ creſcebant: Ibi iterùm dæmon ſui furoris exemplum & mulier ſuæ obſtinationis dedêre. Ignis arboribus viridibus injectus tantâ celeritate & crepitantium ramorum & foliorum, ſonitu omnes pervaſit, ut metum ingentem & periculum peregrinis inferret. Tùm ad maritum uxor, *Tuo nos peccato Dii noſtri invadunt, proximumq́; incendium intentant, ejura quam tàm noviter amplexus es Religionem, eoſq́;, priuſquàm nos redigant in cineres, placa. Ego quidem filioluſq́; iſte noſter non difficulter in montem aliquem campumve evademus, at te mortalium miſerrimum quis incendio eripiet? Age, ſupplica nunc Deiparæ de Guadalupe, ut ab incurrentibus undiq́; te flammis liberet, cujus patrocinio fatebaris heri aliàs te evaſiſſe.* Econtrà filiolus inſtabat, *Non ego te genitor, quodcumq́; immineat incendium, deſeram: Virginem dumtaxat de Guadalupe, ut nobis adſit, invocemus.* Cum dicto preces ſecutæ ſunt, & cum precibus flamma fumuſque evanuerunt, manifeſto fallaciæ infernalis argumento, quod obſtinatam quidem fœminam confudit, nihilo tamen reddidit meliorem.

27. Neque hîc dæmonum inſultos ſtetêre. Rursùm Alphonſi, cùm vadare aquam neque rapidam neque altam pararet, caput ſub aquis magnis viribus depreſſit, uxore quidem filioq́; illius petieulum non tamen aggreſſorem ſpectantibus tam violentum, ut excutere non poſſet. Filius patris adflictioni illacrymans Virginem *de Guadalupe* (quod ſolo deſiderio poterat pater ore aquis immerſo) palàm invocavit, & mox pater non tantùm emerſit, ſed velut manu ereptus ablatuſque in terram, in ſe docuit aquam igne non eſſe Virginis Deiparæ cultoribus periculoſiorem. Poſteà peregrinis noſtris altiſſimum præruptumq́; montem objecit, in quem nullum vel pecudis vel hominis veſtigium ſemitam notabat: & quomodo potuiſſet cùm ad perpendiculum erectus videretur? Sed rimatur filios an non fiſſura aliqua peregrinantibus tranſitum daret. Nullam obſervavit. Hîc confuſa ante mulier animos reſumpſit in nullo in Soperos benignior, quos dùm blaſphemiis proſcinderet, idola ſua templaque obnixè, ut ſe liberarent, precabatur; Viro verò ſuo placatior facta blandiebatur, & lenociniis reditum obtinere ſatagebat, impoſſibilitate ulterioris progreſſus roboratis. Ad quæ, *vade*, ait Alphonſus, *atque ad Chachopoyas patrios lares redi, nihil me à ſuſcepto itinere avocabis. Objicis præruptum hunc mõtem iter noſtrum prohibere. Verùm, niſi pervicax eſſes, multiplices dæmonum fraudes vel in hoc uno itinere noſtro cognoſceres & deteſtareris. Neque ego aliud montem iſtum reputo, quem proindè Deipara de Guadalupe, ut alias hactenus faſcinationes, diſſipabit; aut, ſi verus eſt, viam in ſe confidentibus aperiet.* Vix finierat Alphonſus, cum mons, ſolidiſſimũ, uti putabatur, obſtaculum, diſparuit, detectique ſunt campi planiſſimi ac viæ regiæ. Pergit tùm ad incredulã uxorem, *Viden' quàm inania ſint omnia dæmonum machinamenta? quamq́; facilè in tenues auras, undè coagulantur, evaneſcant? Mons iſte, qui te modò terrebat, quemq́; inſuperabile putabas itineris noſtri impedimentum quàm ſubitò ac velut ad nutum Virginis, ad quam tendimus, & quam in rebus noſtris deſperatiſſimis invocavimus hactenus, diſſlatus eſt. Quid contrà ejus potentiam idolorum dæmonorumq́;*

rúmq; tuorum rabies evicit? Sunt hæc fateor, multorum hominũ terriculamenta, ſed vacua prorsùs & cæcorum, quæ vera fides irridet, ſuperatq;. Arſi, ſed meliori refrigerio recreatus ſum. Incenſarum crepitantiumq; arborum flamma nos undiq; circumſepſit, & quo alio effectu quàm ut interius lumen noſtrum clarius redderet, detegeretq; magis ſuas technas? Aquâ violentè immerſus ſum, & quis non iſtud votis omnibus deſideret, ſi ſperet tàm ſanctis manibus in terram transferri? Et poſt hæc quibus interfuiſti, adhuc cæcutis? adhuc idolorum & guacarum tuarum contumeliam non vides? Iſta jam miſſa fac & execrare, ac nobiſcum fortiora purioraq; ſacra amplectere.

28. Evicit hoc ſuo ſermone Alphonſus ut uxor placatior facta non ſibi obluctaretur, nondùm tamen ab idolis abſtraxit. Proſequuntur ergò nullâ jam difficultate quamquàm non eâdem fide omnes inceptum iter, conſcēduntque collem, ex quo è propinquo ſacrum Virgini-Matri fanum proſpectabatur. Ibi cùm ingens gaudium Alphonſum filiũque occupaſſet; tanta Alphonſo innocentia acceſſit, ut eâ triennales pueros ſuperarct. Diſtributiſque ſervitiis, *Ego*, inquit, *fili formoſiſſimam illam Dominam præcipuo cultu venerabor; tu filioli ejus curã geres. Habes, quibus eum, cum illuc perveneris, induas, ſandalia è Chachapoyis allata: iſtud ſedulò ut exequaris, memento.* Hæc pro magnis imperiis edicebat, & paulò pòſt *Pacaſmayam* ingreſſi monaſterii Auguſtiniani Præfectum P. Franciſcum Velaſquez virũ planè Apoſtolicum acceſſerunt. Cui Alphonſus tam lõgę peregrinationis cauſam aperit, occaſionẽque: hanc fuiſſe, ſervatum in igne roſarium; illam, tædium miſeriæ ſuæ ſanationiſque deſiderium. Refert etiam quot inſidiis dæmones iter ejus impedire conati fuiſſent, quoties per Virginem *de Guadalupe* impediti. Sed cùm apud eum gentis vitio, quæ juſto eſt ſuperſtitioſior, parvam fidem feciſſet, inſigni ſimplicitate, Virginem ut Præfectus advocaret, expetivit, illam probaturam nihil à ſe fuiſſe confictum. Præfectus autem apud ſe reputabat, non negaturam Deiparam illi ſanitatem, ob quam iter ſuſceptum erat, cui in ipſo itinere toties faviſſet, hãc igitur eſſe expectandam. Alphonſus, in quo jam devotio cum innocentia certabat; templum ingreſſus ferventiſſimis precibus identidem ſanitatem poſtulabat, non tantùm nunc ſanitatis ſed & fidei inveniendæ deſiderio. Dicebat frequēns, *Sana me Domina ut mihi credant. Quomodo, niſi me ſanes, credēt?* Simplices ſed fortes à ſimplicitate preces: dilata tamen ſanatio eſt, ut, accreſcentibus morâ temporis tàm magnæ impotentiæ teſtibus, eſſet manifeſtior. Die 18. Decembris, quæ Expectationi Virginis ſacra eſt, cùm ſacrificio incruento, detectâ Deiparæ imagine, ſolitò fervẽtiùs intereſſet, in magna Religioſorum, Hiſpanorum, Indorum frequentia erexit ſe, perſtititq; ſanus & integer, callis inſuper, quibus manus genuaque longâ difficilique prorepeatione obdurueтant, decidentibus, quos craſſitie ſuâ tribus digitis in latum extenſis fuiſſe æquales notatum fuit. Erat tunc Alphonſo ætas quinquagintâ annorum, habitus corporis non inelegãs, facies, quàm cæteris Indis, candidior, quales plerumque ſunt *Chachapoyani.* Obſtupuēre ad prodigium tam inſolitum omnes. Nuñus autem Overo miles; qui novem menſes moleſtiſſimâ quartanâ febre laboraverat, miraculo præſens, diem hunc favorum cæleſtium eſſe ratus, etiam ipſe valetudinem bonam petiit, & mox obtinuit. Præcipuum tamen maximumque miraculum fuit, quod Alphonſi uxor tam hactenus obſtinata, ejurato idolorum cultu, Catholicam fidem ſuſceperit, tantò humilior gratiorque, quantò anteâ durior exſtiterat, acerbiorque.

29. Tres ergò, maritus, uxor, filius Deiparæ ſe cultui conſecrârunt: obtinuit verò ab Aſcetarcha Alphonſus, ut in *Chachapojas* reverſus mutati magis corporis oſtenſione quàm verbis cæleſtes favores prædicaret, homo planè prodigioſus, antè infer-

nalium

nalium ſuperſtitionum & artium, nunc veræ Chriſtianæque fidei doctor; antè contractus inclinatuſque, nunc erectus. Quapropter plurimos non tantùm ab idolis ad verum Deum convertit, ſed accendit etiam ad Virginis tam potentis beneficæque amorem. Ex quo factum eſt ut copioſiſſimas eleëmoſynas in ædificiorũ ſumptus certatim cõtulerint. At ſerviebat in templo Alphonſi filius miro nitore diligẽtiâque, quam ſerenitas vultus planè commendabilem faciebat. Nec diſtulit diu tam inſignis in puero conſtantiæ, fidei, & laborum mercedem cælum, abſtulitque, antequàm malitia intellectum mutare poſſet, cum vix ætate novem annos expleret. Pater filii mortem ægrè ferens, & velut indignanti ſimilis ad Deiparæ altare accurrens apud eam contra eam queſtus eſt ut quid, quæ omnes ſanaret, mancipium ſuum mori fato adeò immaturo permiſiſſet. At qui lacrymans ad preces acceſſerat, indè abſceſſit inſolito, & quod è facie notari poſſet, gaudio perfuſus. Tantæ mutationis cauſam rogatus, *Et, quidni*, inquit, *læter, cum filius meus in feliciorem locum, ubi Domina mea ejuſq; gnatulo Ieſu perpetuò miniſtret, tranſlatus ſit?* Corripit ut & febres ipſum Alphonſum invaderent, ducerentque ad vitæ extremum: qui receptis Eccleſiæ Sacramentis habitum Auguſtinianum, in quo ſepeliretur, lecto ſuo imponi voluit: cumque ab aſtantibus ſupremus agonizantis ſpiritus expectaretur, ipſe feſtinus impoſito ſe habitu induit, lætiſque vocibus exclamavit. *Hoc ipſo momento Domina mea me allocuta eſt, dixitq; me ex hac infirmitate non moriturum, ſed ſanandum atque illi ſerviturum.* Delirium febricitantis creditum fuiſſet, niſi ipſe ſurrexiſſet conſtitiſſetque ſanus & vegetus, Religioſus factus Deiparâ vices Prælati ſubeunte, inſigni innocentiæ privilegio, quæ nonnulla etiam, quæ alius non niſi cum gravi crimine commiſiſſet, excuſavit. Sacrâ ſynaxi refectus, ad eandem eâdem die ob internæ conſolationis dulcedinem recurrit: ſumpturus item ſacram hoſtiam multoties aquâ benedictâ os, fauces, ſtomachũque, ut mundiùs ſuſciperetur, perluebat, quem utrumq; errorem monitus correxit. Expleto tandem ſeduli in templo miniſterii, cui totum ſe dederat, non exiguo tempore, inter ſanctiſſimas tenerrimi adfectus eructationes eâ morte extinctus eſt, quam meliores quique invidere potuiſſent, laudaverunt omnes, mirantes in uno eodemque homine tam evidentem gratuitæ gratiæ potentiam, & innocentiæ meritum.

30. Quòd ſi Alphonſum filius contra infernalium poteſtatum inſultus animavit, in eo quod ſubjicio, iſtud mirabilius eſt, quòd filiolus mortuus mortuam matrem ex eorum manibus & damnatione liberaverit. In pago *Chepen*, qui unus erat ex quinque quos à Prorege Franciſco de Toledo Eccleſiæ Virginis *Pacaſmayenſis* attributos diximus, Inda morabatur, ex qua natus filius, mox ut baptiſmo ablutus erat, è vivis exceſſit, morte tam feſtinatâ fæliciſſimus, quam tamen mater tulit acerbiſſimè. Verùm hâc mœſtitiâ utcumque tempore mitigatâ illicitis carnis delitiis diffluxit, alterius ſexus uſa contubernio: quod tamen ex animo nondùm omninò cultum Deiparæ proſcripſerat. Hæc ſubito fato, & quod confitendi tempus non permittebat, defungitur: Involvitur linteo proximâ luce ſepelienda: at cùm in cadavere nonnihil caloris ab attrectantibus obſervaretur, viſum fuit alteram item lucem expectare. Nullum tunc vitæ indicium reliquum erat. Simul autem ut eam elevãt è domo ad Eccleſiam efferendam, reddita anima corpori & motum & mentem reduxit, adhuc tamen velut ſtupentem. Major tamen ſtupor adſtantes occupabat, à quibus interrogata, num-ne aliquem ipſorum, num omnes agnoſceret, ac ubi tanto tempore fuiſſet, convocatâ præſentium coronâ ſic effata eſt. *Animam hanc meam vix è corpore egreſſam comprehenderunt homines*

mines nigerrimi, fœdiſſimi, crudeliſſimi, terribiliſſimiq; & qui flammas ore & naribus ſpirarent: quam cum per denſiſſimas tenebras ſupra ingentem flammantemq; hiatum, unde brachium ardorem, quo adhuc torquetur, concepit; deferrent, accurrens illis puerulus formoſiſſimus candidiſſimuſq; prohibuit, quin & Deipara ſtuit, quæ trementi dixit. Horrendi iſti, qui tibi homines videbãtur, dæmones ſunt, qui te ob gravia ſcelera tua, quæ confeſſione non expiâras, ad inferni tormenta rapiebant: puerulus iſte candidus, gnatus tuus eſt, quem intemperanter nimis planxiſti, ejus meâq; interceſſione magnã planè miſericordiã conſecuta es. Tùm porrecto ad hortũ pulcerrimis floribus & odoriferis herbis veſtitum, & in quo ſuaviſſimum muſici concentus melos-latas homines recreabat, digito, proſecuta eſt, meo patrocinio, quod filius tuus implevit, & tu aliquãdo, licèt tepidè, invocabas, obtinuiſti, ut corpori iterùm tuo reddaris, factâq; criminũ exomologeſi, huc redeas paradiſi illius deliciis fruitura. Hæc Inda elocuta ſtudioſiſſimè Sacerdotem petivit, apud quẽ auriculari confeſſione peccata exprimeret. Ibi tunc Euangelii præconem agebat P. Didacus Pacho Auguſtinianus Trugillo oriúdus, cui breviter quidẽ; has tamẽ hiſtoriã tribuit laudes, humilitatis, mãſuetudinis, affabilitatis, miſericordię in pauperes, ſollicitudinis pro Indis ſibi ſubjectis (erant illi quotquot ad nominatos pagos pertinebant) quibus erat pater patronuſq; linguarũ item iſtarum gentiũ erat peritiſſimus. Hic advocatus propere accurrit, non tãtùm impulſu charitatis, ſed etiam rerum mirabiliũ, quæ de Indâ narrabantur, ſtudio. Invenit brachium combuſtum, peccata ſecretâ confeſſione excepit, cæteraq; mox morituorum Sacramenta adminiſtravit. Atq; illa invocans ſine ceſſatione Deiparam *de Guadalupe*, Dominam ſuam eodem die feliciſſimè fato conceſſit, reditura ad promiſſas paradiſi delicias patrocinio infantuli, quem impotẽter fleverat, præparatas. Fortunatas eſſe matres, quæ non alium ob finem videntur fœtus ſuos effundere, quàm ut ſalutatis unde regeneratione mox ad felicitatem tranſeant inamiſſibilem, etiamſi nulla probaret ratio, hoc firmaret exemplum, confunderetque ſtolidas plerarumque lacrymas parvulo injurias, ſibi nocivas.

CAPVT V.

Elogium R. P. Dominici de Guaycolea, & & miraculoſa mortis ejus dilatio.

MVLTA clariſſimaque miracula per invocationem Beatiſſimæ Virginis *de Guadalupe* facta nos prætereite alibi diximus, 1.
ejus etiam causâ allegatâ. (a) Hoc (a) cap præced nu. 21.
eorum, quæ ponemus, erit poſtremum, ſicut ultimis diebus, quibus vixit *P. Dominicus de Guaycolea*, fuit collatum; brevi tamen vitæ ejus enarratione præmiſsâ. Patria illi Bilbao fuit præcipuum Cantabriæ (b) emporium: parentes nobiles potenteſque: in Peruviam trajecit eâdem, quâ plerique, cauſâ, auri ſcilicet argentique, quod ibi abũdabat, cupiditate, ſed quàm facilè explevit, quod faciunt pauci, creſcente cum nũmis avaritiâ.

(b) Quod nunc Biſcaja & Guipuicoa dicitur, olim cantabria erat.

Hoc naturæ humanæ vitium Dominicus ſuperavit divitias contemnens cùm eſſent maximæ. *Et quantulæ, ait, hæ sũt cum cœlo comparatæ? quam obſcurus auri argentiq; fulgor cùm ſtellas aſpicio? imò hæc ipſa eorum materies quàm ſordida eſſet atque cõtempta, niſi illum fulgorem, qui tot tantorumq; animos proritat, cælorum operatione communicaſſet? Ac deindè quantas mihi curas, dum creverũt, adduxerunt? nec ferrata ſcrinia, nec ſpiſſi muri ſatis eas ab aliorũ cupiditate tuẽtur. Quin & tantũ de ſecuritate vitæ dempſiſſe me video quantũ illas auxi, quibus cũ omnes inhiẽt, ſolus unus poſſidere poteſt; illuc igitur etiã cũ prioris poſſeſſoris nece contendent:*

dent: neque hæc evitabitur niſi magnâ vigilantiâ, quam tamen etiam certò ventura aliquando mors ſpernet, oſtenderq́; quàm fuerit omnis ſollicitudo inutilis.

2. Hæc cum tacitus apud ſe, neque ſine cæleſti impulſu, effatur, planè ſtatuit nuntium illis remittere, evitatiſque periculis nudus nudum Chriſtum imitari. Hoc Limæ atque apud Auguſtinianos, apud quos inſigne viguiſſe paupertatis ſtudium antè memoravi, (a) incœpit; verùm ita validè, ut brevi multis virtutibus, quæ inſuper ſplendorem aliquem ab habitu corporis, faciei pulchritudine, & nativâ affabilitate accipiebant, commẽdabilis haberetur. Veritatis amantiſſimus, ſuſurrones detractoreſque ſui Patris Auguſtini exemplo ſupra modũ aſpernabatur, velut peſtes publicæ quietis amicitiæque. Devotione tamen erga Virginem Matrem & miſericordiâ in pauperes, præſertim oppreſſos Indos, emicuit. Anno M. DC. VIII. præeſſe juſſus eſt monaſterio S. Philippi de *Chuſgon*, quod quatuor *Guamachuco* leucis in valle admodùm amœna anno M. D. LXXXVII. fundavit P. Petrus de la Fuente, quò tunc illo annitẽte frequentiſſimus populus confluxit. Sed quem Caziquæ, Commendatarii, *Præfecti*, novum ſævumq; locuſtarum genus, depaſcebãtur, aut immodicis exactionibus in antra & ſpeluncas adigebant, ut lateret. Illorum crudelitati intrepidè ſe oppoſuit Dominicus noſter, & hos miſeros fugitivos ad octo decemq; leucarum ſpatium inſequẽs conſolabatur verbis munuſculiſque: maximè autem, dùm ægrotarẽt, indefeſſus aderat ac miniſtrabat diebus noctibuſque. Integram electuariorum officinam cõfecerat, quam conſervabat ſolis Indis infirmis, ſtudio certè miſericordiæ corporalis, ſed non minùs animarum lucrandarum artificio. Eo enim fiebat, ut eum Indi magis quàm parentes ſuos diligerent, accurrerentq́ue novam legem audituri, nõ tam ejus amore quàm præconis. Priori & hæc ſimilis induſtria eſt. Qui ſingulis quindenis Euangelii prædicationi aut cathechiſmo intereſſet, ipſe pro iis tributum, quo à Commendatariis Indi plurimùm gravabãtur, penderet, & in annos ſingulos novâ veſte donaret; duabus verò illos, qui fugâ ad montes tributi ſe ſolutioni ſubduxerant. Sacrificium ad altare pro Indis offerebat nullo accepto aut mox reddito ſtipendio (celebrabat autem pro quolibet defuncto) illuc præmittens theſauros, *ubi neq; ærugo neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt & furantur.* (b) Teſtamenta pro ſe non tantùm nulla procurabat, ſed inſeri illis ultrò recuſabat. Si quod præter ejus conſcientiã legatum obveniſſet, aut familiæ defuncti, ſi indigebat, aut aliis publicè diſtribuebat. Oblationes fideliũ ſeu ex tumulis mortuorum ſeu aliundò collectas, ad ipſas Eccleſiæ portas elargiebatur, exceptis gallinis, pullis, ovis, quibus egregiè noverat ſuccurrere Indorum infirmitatibus, P. Martino Catate item Biſcaino ejus ſtudioſiſſimè exemplum imitante. Quibus obſequiis liberalitateq; mirùm quãtum Indorum ſe animis inſinuaverint: nulla enim unquàm uſpiam gens fuit, quæ his non caperetur. Trãſibant hâc aſtutiâ in adfectũ barbarorum, & cum illis verba doctrinaque, quam penè omnes avidè imbibebant, ſi non amore certè lucro pellecti. Videtúrne aliquod charitas officium prætermiſiſſe? Non arbitror, ſi hoſpitalitatem adjecero, quàm exhibebat promiſcuè omnibus, non tantùm rogatus, ſed ultrò ſe peregrinis offerens.

(a) lib. 4. cap. 8. nu. 5.

(b) Matth. 6. 20.

3. Hic cum quodam die iret in campum pecora luſtraturus, cumq; montem conſcendiſſet tribus à monaſterio leucis remotum, inopinatò ſe taurus mulo, cui inſidebat, objecit, terruitque ut ſe cum ſeſſore præcipitaret. Rupes alta erat quadrante leucæ ac prærupta, niſi quod ex ea immania ſaxa, arborũ trũci, aut fruſta prominerent, in quæ nunc hanc nunc illam corporis partem caſus illidebat, lædebatque variis ac mortalibus vulneribus. Ille tamen ſub ca-

ſus

ſus initio à Beatiſſima Virgine *de Guadalupe*, ad cujus ſacram ædem habitaverat, vixeratque ſtudioſiſſimus, trium inducias dierum, quibus rerum cntæ ſuæ creditatum rationem reddere ac Sacramenta ſuſcipere poſſet, poſtulavit. Tres dies conceſſi ſunt, rationē reddidit, Sacramenta ſuſcepit, prodigio cæleſti, quod nec tot vulnera mortē accelerarent, nec ruptum ac laxatum craneum cerebrum aut judicium diſſiparet. Evoluto gratuirorum dierum termino cōjectis in Deiparæ imaginem oculis, *Benedicta*, inquit, *ſis beata Dei Genitrix*, *ſitq; filius tuus benedictus, qui mihi immerenti ad portentum uſque favere non eſtis dedignati: unde & fiducia mihi accrevit, Te apud filium tuum fore in ultimæ neceſſitatis articulo advocatam meam: quòd ſi & hoc nunc audere lubet, indignus quidem, fateor, fui tamen ſtudioſus tui cultor. Tertio jam die exacto tempus eſt ut Dei in me voluntas fiat.* Cum dicto exſpiravit anno ætatis ſuæ XL. Verbi incarnati M.DC.X.

CAPVT VI.

P. Franciſci de Monroy encomium.

1. RELIGIONIS apud *Pacaſmayenſes* ſervatæ præcipua ſuprà capita poſuimus. (a) Ad ejus everſionem modis apud Auguſtinianos ſollicitis (b) generoſiſſimè laborârūt RR. PP. Baltaſar Mexia, Alphonſus de Antequera, Didacus de la Serna, Hieronymus Gavarrete, Franciſcus Triſtan, Frāciſcus de Monroy, Hieronymus de Eſcobar, Frāciſcus Velaſquez. Et cum aliorū ſpecialia facta notata nō invenerim, P. Franciſ. cum Triſtan alibi laudavi: (c) duos verò poſtremos alteri Capiti deſtinans, hîc dabo P. Franciſcū de Monroy. Patriam Salamanticam habuit Caſtellæ Veteris civitatem Vniverſitatis famâ toto mundo celebratiſſimam: parētes præcipuæ in ea longæq; nobilitatis Alphonſum de Almaraz Terræ-firmæ Præfectum, deindè Theſaurariū Limæ; & Leonoram Portocarero, à qua primum Religioſarum in Peruvia monaſterium perpetuâ ejus magnâq; laude fuiſſe fundatum in ſuperioribus libris (d) non tacuimus; fratrem (neque enim & iſtud gloriâ vacat) P. Ioannem de Almaraz Cathedraticū Sacræ Scripturæ in Vniverſitate Limenſi Proprietarium, Provinciæ Peruvianæ Præfectum, & Præſulem *de Paraguay*. Præcipuum tamen encomium à virtutibus meretur, quæ fuerunt oratio frequens ferverſque, rigida pœnitētia, & ſeveriſſima legum ſuarum cuſtodia. Quæ cùm privatæ fuerint, licèt ſint pulcherrimæ optimæque, magis fulgorem ſuum per prædicationem Euangelii & gentilium converſionem explicavit. In hoc plurimum momenti attulit ſciviſſe eum tres linguas ibi uſitatas, pronunciatu difficillimas, *muchicā quingnan*, & *peſcadora*, quod contigit paucis. Zelus deindè ejus infatigabilis omnia perrupit. Municipia Sancti Petri *de Lloco* & *Xequētepeque* habitatoribus frequentiſſima Superiorum ordinatione ejus curæ attributa erant. Ibi ergò Catholicæ fidei prædicationi totus incubuit; abſtulit ſuperſtitiones, idololatras confudit, confregit, quotquot habere potuit, idola.

2. Longum tamen illi magnumque cum quodam mago bellum fuit agili vaferrimoque, & qui, quod apud cæcas infidelium mentes pondus habuit maximum, immiſſis in homines arte diabolicâ tormentis & damnis illatis divinū cultū ſummamque ſubmiſſionem ac oblationes apud populos illarum vallū imperraverat. Habitabat in monte *Coſtechec* non longè *Pacaſmayo*; *Mollep* illi notiſſimum nomen erat, quod nos *pediculoſus*, exprimeremus, pediculis enim in capite totoque corpore fœdiſſimè ſcatebat. Verùm ipſe fœditatem ſuam apud barbaram igna-

(a) cap. 4. num 6.

(b) ibid. num. 15.

(c) lib 7. cap. 3.

(d) ibid. c. 5

ignaramque gentem in myſterium vertit, indeque obtinuit venerationis augmentum, quod reddere eum debebat abominabilem. Perſuaſerat ſcilicet credulis iſtam vermiū multiplicationem indicem eſſe fœcunditatis in familiis locisq; Indorum, qui eum adorabant: eſſe verò ſterilitatem aliorum, qui eum aſpernabantur, juſtæ ſuæ indignationis effectum. Et erat ſanè opportuna impoſtori ad perſuadendum occaſio aliis cauſis adſcribenda, populis, qui eum colebant, multiplicatis, imminutis aliis. Vſqueadeò apud indoctam plebem temporis quàm rationis major eſſe poteſtas ſolet. Quare munera ei largiſſimè offerebantur: nec recuſabant parentes prolem ad ſacrificium perenni, quod crederent propterea fœcundiorem familiam diuturnioremque ejus beneficio futuram. Adeò verò barbarorum animos illius æſtimatio occupaverat, ut dignum reputarent bello eum expoſcere, velut imperium novum aut immodicum theſaurum. Præſtitit id Caziqua de *Lambayeque*, quod decimoſexto à *Tálambo*, in quo ſitus eſt mons *Coſtecbec*, abjectum eſt miliario. Militem conſcripſit, itruit noctu, rapuitque vi atque *Lambayeque* tranſtulit, magnâ non minùs *Pacaſmayenſium* triſtitiâ, quàm lætitiâ *Lambayequenſium*, his gratulantibus adventum, illis plorantibus abſceſſum, pediculoſi ſcilicet Dei. Inſidet uſque modò multorum barbarorum animis non aliâ cauſâ *Lambayequam* incolarum numero abundare (ſunt nimirùm in ea quatuor nec infrequentes Parochiæ) quàm ob abductum armis Mollepum, obque remanentes in ea cineres illius atque oſſa, quæ conſumptus vermibus morienſque reliquit.

3. Non facilè dictu quot non falſa dogmata inſtillaverit credulæ & ignaræ nationi, quot non damna attulerit atque impedimenta prædicationi Euangelicæ infernalis hic impoſtor, auxeritque primorū præconum labores, quibus iſta eradicarent, hæc auferrent. Artes hîc omnes Franciſcus explicavit, ſæpè conatus à fœditate autoris, ab indigno habitu corporis, à morte ejus miſera horrorem dogmatū incutere; ſed hoc in initio erat Indorum animos ad cultum hominis pervicaces irritare. Senſim tamen ſaniores rationes illabebantur, & propoſita veri Chriſtianorum Dei pulchritudine potentiâque, atque oſtenſâ *Mollepi* fallaciâ pudere illos cœpit tàm ſordidi atque impotentis Dei, quem impuri exiguique atque ex ſudoribus inſani corporis nati vermiculi conſumpſiſſent. Multùm evicit qui de pervicaciâ humani intellectus triumphavit. Quare Franciſcus, hâc partâ victoriâ, brevi plurimos non ad fidem tantum, ſed meliores etiam mores convertit, interque labores exſpiravit menſe Octobri anni M. D. LXXXIII. multò glorioſiùs, quàm ille qui vanâ nominis umbrâ hoc dicto, *Imperatorem ſtantem mori oportere*, (a) moriens voluit celebrari. (a) Veſpaſianus apud Suetonium.

CAPVT VII.

R.mus P. Hieronymus de Eſcobar Epiſcopus de Nicaragua breviter laudatus.

SOLIDA laus non ex prolixitate ſermonis ſed virtutibus æſtimanda eſt, 1.
quippè cùm illum ingenio homines debeant laudatoris, has in ſe-ipſis habent, quæ illos, quæcumque tandem fortuna faveat invideatve, perpetuo immutabiles comitantur; illum amor odiumque, facundia, aut imperitia variat; ut fælicitatis potiùs ſit egregium alicui obtigiſſe laudatorem, quàm actionum bonarum. Pauca quidèm de hoc Hieronymo ad nos pervenerunt, ſed optima; cui nec ſanguinis

nis nobilitatem deeſſe nativitas ejus voluit: ejus ſtemma Toleti maximè notum eſt.

2. Religioni autem Auguſtinianę emiſſione vototum inviolabili initiatus eſt in veteri Limenſi monaſterio, verâ, ſi mores ſpectes Religioſotum, Thebaide, anno M. D. L X V I. Ibi à ſanctiſſimis ſanè vitis illum imbibit fervotem, quem ſemper poſteà, ſive ſecum, ſive cum difficillimis gentis motibus eſſet dimicandum, monſtravit. Jo jejuniis rigidus, in diſciplinis vehemens, veræ exſtitit pœnitentiæ exemplum. Pauperes amabat fovebatque ſtudioſiſſimè. Dei autem amotem prodebat conſtantiâ orationum, & animo, quo ejus fidem barbarotum mentibus inſtillate ſatagebat. Inter primos *Pacaſmayam* miſſus cum piſcatoribus maximè illarum partium ipſi negotium fuit, gente ferâ, vaſtâ, inconditâ, inhumanâ, & velut piſces, quos captabant, indomabili. Sed quid non igneus zelus modeſtiâ veſtitus evincit? Piſces facti ſunt ipſi piſcatores, quos hamo crucis ex turbidis infidelitatis aquis eduxit.

3. Pòſt mandato Superiorum proficiſci juſſus eſt in Hiſpaniam; invenitque ibi myrtam, qui hactenus nullo in Ordine officio fuerat functus. Adeò nullos ſæpè virtus ad honores gradus ſervat. Labores ejus induſtriaque in convertendis infidelibus famæ celeritate jam nota erant Mantuæ Carpeiorum (*a*) Animi magnitudinē, ingenii promtitudinem, maturitatem judicii, prudentiam, facundiam præſens ipſe Regi Philippo II. penitiſſimo cordium ſcrutatori & ſerio morum æſtimatori probavit. Hic eum antiſtitem eſſe voluit Eccleſiæ *Nicaraguanenſis*. Conſecratione Madtiti factâ, ipſe ad populum ſuum navigaturus è portu S. Lucar de Barameda ſolvit, verùm vi tempeſtatis ad Gades (*b*) rejectus è navi exſcendit, in civitate tempus navigationi commodū expectaturus. Vbi paucos intra dies, non dubiis ſalutis indiciis, febribus extinctus eſt, ſepultuſque, jubente Gadium Præſule, in Cathedrali Eccleſia, qui pompæ funebris ſolemnitate teſtatus eſt, quantâ æſtimatione Apoſtolici hujus viri corpus ibi eſſet quieturum.

(*a*) *Madrid.*

(*b*) *Calix Hiſpanus: alius, Calis-Malis.*

CAPVT VIII.

R.P. Franciſci Velaſquez vita.

1. SI Rmo. P. Hieronymo de Eſcobar Toletū Caſtellæ Novæ caput originem dedit, P. Franciſciſcus eam in territorio *Auca* (*c*) quæ Veteris Caſtellæ metropolis eſt, ſumpſit; natus enim eſt parentibus nobilibus *Doninbla* Dominis; *Doninbla* porrò *Auca* vicina eſt. In Peruviam trajecit, an divitiarum, incertum, an vitæ Religioſæ & prædicandi Euangelii apud gentem infidelem deſiderio. Conſtat certè eum Anno Chriſti nati M. D. L V III. ætatis ſuæ X I X. in vetere Limenſi, Cœnobio habitu noſtræ ſacrę Religionis fuiſſe donatum. Tirocinium ejus non obſcurum futuræ perfectionis ſpecimen dedit. Ejus converſatio grata omnibus fuit utiliſque; ita nihil in verbis procax, aut in moribus erat inconditum. Erat illi ſine ſtudio modeſtia, oris ſilentium, operum loquacitas & ad virtutes incitamentum. Et ſolent ſanè ſemper opera altiùs in animos intuentium impetum facere, quàm in corda audientium verba.

(*c*) *Burgos.*

2. Dei, Deiparæque cultûs maximè ſatagebat, quare gratiſſima ei habitatio *Pacaſmaya* fuit, ubi in Virgine *de Guadalupe* theſaurum ſuum eſſe non verbis tantùm ſed reipſâ teſtabatur, ejus venerationi etiam abſens intentiſſimus. Orationis aſſiduitatem neque curæ Priorales neque prædicandi rudiſſimæ nationi

labores potuerunt impedire, ſurrexitque ſemper ab illa fortior. Raptus extraſeſque cùm alii non ſemel obſervârint, ipſe occultavit ſtudioſiſſimè negligentiæ alicujus ſuæ aut oblivionis velo divini amoris exceſſus obumbrans. Incruento miſſæ ſacrificio ſemper illacrymabatur; at feriis ſextis, quibus cõſideratione Paſſionis Dominicæ, & ſuę ex adverſo ingratitudinis intimiùs exercebatur, copioſiſſimè fontes iſti ſcaturiebant.

3. Quid mirum ſi ita Dei amans de ſe ſenſerit humillimè? contradictiones tulerit patienter? Humilitatis certè & manſuetudinis ſemper charitas erga Deum mater fuit. Manſuetudine adeò excelluit, ut, ſi contradiceres, vituperares, læderes, ipſe non alius eſſet quàm ſi laudaſſes, ſemper æqualis ſibi conſtanſque. Subditis ſuis pater erat fraterque, *non ſe exiſtimans poteſtate dominante ſed charitate ſerviente felicem.* (a) Ideò etiam conſecutus eſt, ut quietum ejus eſſet imperium animos poſſidendo Religioſorum, manſuetudinis præmio beatus. *Beati mites quoniam ipſi poſſidebunt terram.* (b) Nullus unquàm diutiùs fortunatiùſque quàm cum manſuetudine, imperabit.

(a) S. P. Auguſt. in Regula.

(b) Matth. 5.

4. Nec minùs pœnitentiæ operibus eminebat, omnes penè anni dies jejunio tranſigens, carnibus ita abſtinuit ut ne quidem ægrotus illas admiſerit, extra mandati timorem conſtitutus officio Prælaturæ. Sanguinis notæ, quibus chorum aſpergebat, indices erant vehementiæ flagellationis quâ in ſe ſingulis noctibus ſæviebat, tergo ita læſo non niſi aſperum injiciens cilicium, ut non lenimen ſed nova per fricationem pœna ſequeretur.

5. His quaſi velitationibus ſe ad prædicationem Euangelii præparaverat. Prima miſſio ad *Conchucos* fuit vel ipſo nomine terribiles apud alios. (c) Ibi primus Priorem agere cœpit anno M. D. LXVII, & inter primos Euangelii præcones: nullus eũ labor unquàm deterruit aut fatigavit, ſpiritus etiam ab adverſitate ſumens majores, noviſque ad lucrandas animas illecebris intentus, quibus tandem gentis barbariem cum Confratribus Auguſtinianis evicit. Officio illi per Comitia anni M. D. LXIX. prorogato laborum promptitudine oſtendit aliud quidem eſſe quod præter volaret, tempus; non alios, qui operi inſiſterent, animos. Tredecim ibi annos ab illo laboratum fuit, donec anno M. D. LXXXII. *Pacaſmayenſi* monaſterio præfectus fuit, lætus, ſe eò Superiorum mandato dirigi quò pridem cor præmiſerat. Hîc ſexennium exegit totum ſe in cultum Virginis *de Guadalupe* explicans. Hinc novæ coloniæ, quam in oppidum *Saña* ſeptem leucis Æquinoctiali, quàm *Pacaſmaya*, propinquius, Ordo deducebat, præeſſe juſſus, aliam quidem, quam erudiret, gentem nactus eſt, ipſe ſemper ſimilis ſibi. Factum id anno M. D. LXXXXI. Indè poſt triennium rurſus ad Virginem ſuam *de Guadalupe* remiſſus. Notatum à curioſioribus fuit frequentiora illam, dùm ibi Franciſcus hæſit, miracula ediſſe, quaſi opem offerens promptiorem ejus moribus precibuſque provocata. Peractâque ibi ſolitâ triennali morâ in novâ Magiſtratuum renovatione *Lanaſcæ* anno M. D. LXXXVIII. factâ Definitoris ei dignitas obvenit, quæ eum Limenſi ſuo monaſterio reſtituit, tantoque ampliùs orationi, flagellationibus, & jejuniis inſtitit, quantò ab aliis curis laboribuſque ſe ſentiebat liberiorem, illi ſe momento præparans à quo uno beatitatis & miſeriarum pendet æternitas. Dixiſſes Deum ſervi ſui deſideriis voluiſſe opitulari, immiſſis, quæ, ſi quid pœnarum reſtaret, purgarent, infirmitatibus. Quas cum ingraveſcere animadverteret, hoc unum precabatur, ut Dei in ſe voluntas fieret: mille interim blandiriis Deiparam demulcens, cujus iconem elatis in altum, pulpiti in modum, genibus injectam irretorto oculo dies aliquot intuebatur, eique exceſſum

(c) lib. 5. cap. 2. nu. 3.

vicinum

vicinum ſollicitè commendans. Tandem receptis Eccleſiæ Sacramentis, eâ corporis quiete, illo faciei gaudio obire obſervatus eſt ut nullus adſtantium de præſentia chariſſimæ Dominæ ſuæ Virginis *de Guadalupe* dubitaret, deſiderarent autem omnes ſimilis mortis felicitatem.

HISTORIÆ PERVANÆ
LIBER XI.

Capitulum Septimum.

CAPVT I.
Acta Capituli.

1. PAndrea, nondum primo Præfecturæ ſecundæ anno planè abſoluto, è vivis ſublato, Comitia ad VIII. Kalendas Septembreis (a) indicta fuêre, & in eis renunciatus ſecundùm Præfectus Provinciæ P. M. Ioannes de Sancto Petro: Definitores PP. Luiſius Lopez, Hieronymus Gavatete, Ioannes de Almataz, Luiſius de Cordona: Viſitatores ſeu Vicarii trium membrorum; Limenſis, P. Franciſcus de Corral, cui etiam Prioratus Limenſis fuit prorogatus; Trugillenſis, P. Antonius Loçano; Cuzcenſis, P. Ioannes de Biveto, continuato eidem Cuzci Prioratu.

(a) 25. Aug 1567.

2. Decretum, ut ſumptibus laboribuſque venientium ad Comitia parceretur, ut illa non niſi poſt quadriennium, idque in Civitate Cuzcenſi in Provinciæ umbelico ſita, celebrarentur, & ad quæ ſolis Conventibus Limenſi, Trugillenſi, Cuzcenſi, Chuquiſacenſi, Parienſi, & Guamachucenſi Diſcretum mittendi fas eſſet. Severè interdictum, Doctrinantes ne equum aut mulum proprium alerent, ita omnia ad arbitrium paupertatis, quæ ſola imperabat, agebantur. Quæ item, & poſt eam Caſtitas, rupto ſcilicet fortiſſimo hujus munimento, ne periclitaretur *Laymebambam* & *Chachapoyas*, opulentiſſima loca priùs à ſe fide Catholicâ inſtructa, deſeruerunt.

3. Durante horum Comitiorum quadriennio, Peruviæ auro argentoque abundantiſſimæ, tres gemmæ acceſſerunt. Societas Ieſu ſuppetias aliis Ordinibus contra infideles latura. Hæc anno ſupra ſeſqui-milleſimum ſexageſimo octavo Limam ingreſſa, & egregiâ Auguſtinianorum humanitate ac gaudio excepta divertit ad illuſtris Ordinis à S. Dominico inſtituti monaſteriũ, quàm vetus illud Auguſtinianorum, capacius, donec locus illi ædeſque pararentur, quibus emendis juſſi erant Auditores literis Regiis ſubminiſtrare peſa bis mille ducenta, exemplo jam cum Auguſtinianis, illiſque hactenus ſolis, uſurpato. Anno verò ſequenti (b) duabus aliis gemmis Peruvia illuſtrior facta eſt, Prorege Franciſco de Toledo, & Inquiſitionis Tribunali; iſto illius Regni Legiſlatore (c) futuro, hoc hæreticorum inſolentiæ & pervicaciæ terrore.

(b) 1569.

(c) lib. 7. cap. 9.

rectore. Et notatum invenio nullum aliud regnum eſſe ab hæreſi, judaiſmo, cæteriſque ſectis, quàm Perüanum, purgatius, quod inſigni Inquiſitorum juſtitiæ & prudentiæ eſt attributum. Primi illuc atque ad ſtabiliendum in Peruvia tam ſanctum Tribunal miſſi ſunt Inquiſitores Zervan de Zereçeula & Andreas de Buſtamente, regiis literis expeditis Nonis Februarii (*a*) anno ſuprà milleſimum quingenteſimo ſexageſimo nono. Poſtotiori autem Inquiſitore Panamę defuncto, prior, animi invicti zelantiſque vir, Tribunal Limæ ſtabilivit V. Idus Ianuarias (*b*) anni ſequentis, magna, utriuſque ſtatus Eccleſiaſtici & Secularis ſolemnitate, ipſo mòx Prorege aliiſque Conciliis jurejurando ſe obſtringentibus illęſa fore per ipſos illius Tribunalis Privilegia. Ejus juriſdictionis termini ita conſtituti ſunt, à *Paſto* (civitas hęc ſecundo ab Æquinoctiali verſus Septentrionem gradu recedit) ultra *Buenos ayres* & *Paraguay*, quę ab Æquinoctiali ad Antarticum excurrunt quadraginta & ampliùs gradibus. Adeò certè ut à Septentrione in Auſtrum extendat ſe plùs mille leucis, ab Occidente in Orientem centum, ubi minima eſt extenſio; ubi verò maxima, trecentis.

(a) 5. Febr.

(b) 9. Ianua.

4. Fuêre ex Ordine Auguſtiniano in hoc Tribunali *Qualificatores* diverſis temporibus viri doctrinâ virtutibuſque egregii, P. M. Luiſius Lopez, P. M. Ioannes de Almaraz, uterque poſteà infulâ honoratus; P. Franciſcus de Figueroa P. M. Alphonſus Pacheco, qui pro Tribunali hoc totum ferè regnum viſitavit, P. M. Diegus Verdugo, P. M. Gonſalvus Pineyro. P. M. Lucas de Mendoça, P. M. Alphonſus de Almeyda, aliique plures.

CAPVT II.

De incremento quod fides hoc quadriennio in Peruvia per Auguſtinianos accepit.

PRorex Franciſcus (cujus non ſemel in prçcedentibus ſeu ob ſingulares ejus virtutes, ſeu ob eximiam in Ordinem noſtrũ propenſionem æſtimationemque, mentionem fecimus (*c*) miraculi ſuperiùs deſcripti (*d*) magnitudine noſtrorumque conſuetudine motus, non tantùm, quos ibidem nominavimus, pagos Virgini *Pacaſmayenſi* attribuit, ac magnificis muneribus ditavit, verùm quotquot vacare contingebat, aut de novo detegebantur pagi populique, noſtrorum curæ commendavit. Inter illos tunc erat dives *Cajamarca*, in qua anteà glorioſè Ordo S. Franciſci laboraverat, ſed tunc, quòd Prorex illi ob aliquam eſſet cauſam offenſior, cedere juſſus. Hîc, Auguſtinianorum an modeſtia, an charitas, an labor palmam tulerit, incertum. Diù namque Proregi offerenti non aſſenſerunt: tandem non illius magis improbâ oblatione, quàm commiſeratione miſelli populi *Cajamarcam* acceperunt, quam proximâ occaſione datâ primis eorum Apoſtolis reſtituerent, ipſi intereà ſuis laboribus ac diligentia conarentur Franciſcanorum ſtudia feliciter exhibita ſi non ſuperare ſaltem exæquare. Vtrumque magnâ ſuâ gloriâ conſecuti ſunt, nec ſollicitudinem abnuentes derelinquendæ alioquin gentis, nec retinentes diutiùs quàm ut, placato Proregis animo, poſ- 1.

(c) lib. 7. cap. 9. lib. 10. cap. 1. & alibi.

(d) lib. 10. cap. 4. nu. 21.

ſent ad ſuã meſſẽ redire Franciſcani.
2. Magnum quidem iſtud cenſeo
non magis modeſtiæ Auguſtinianæ
quàm ſinceræ charitatis argumentũ.
Non tamen hæc illis concludi vo-
luit terminis. *Tanacache* nobis attri-
buta fuit, & culta per P. Didaeum
Ortiz, qui etiam anno quingenteſi-
mo ſexageſimo octavo ſupra mille-
ſimum in *Vilcabambam*, ut gentis il-
lius linguam converteret, penetravit,
primuſq; Peruviam martyr ſuo ſan-
guine purpuravit, prout alio loco
(a) toto libro 13. exequemur. (a) In *Pachacamac* præter-
eà præcipuâ idololatriæ Peruanę ſe-
de nõ auxerunt modò operarios, ſed
& labores, novorum pagorum ad
noſtram curam acceſſione. Nobilis
ſcilicet Antonius de Ribera Ordinis
S. Iacobi eques, & Ramirez de Car-
tagena Licentiatus, cognito, quem
in animis *Pachacamenſium* Auguſtini-
ani fecerant, fructu, certatim illis
ſuos, quos in vicinis vallibus *Mãchay
Chilca* & *Malla* habebant, pagos ob-
tulerũt, ſimili ſtudio excolendos. In
quam meſſem P. Franciſcus Triſtan,
P. Didaeus Flores, & P. Alphonſus
Maldonado primi operarii miſſi sũt;
pauci iſti, ſed quorum angelicus fer-
vor plurimorũ laboribus pares meſ-
ſuit fructus. Primum erat barbarum
populum in cavernis montium, ad
quas eum priorum bellorum metus
compulerat, quęrere, diſperſũ colli-
gere, in remp. ordinare, doctrinâ
Chriſtianâ inſtituere, legibus firma-
re; quò eum perduxerunt non tàm
fidei aut legum ſplendore puritate-
que, quàm indefeſſis obſequiis: ita
ſemper corporum commoda bonis
animæ apud infideles fuere præla-
ta. Vt-ut ſit magnis certè incre-
mentis in illis vallibus fides auge-
batur. Fuit autem Indæ cujuſdam
converſio mirabilis, prout ejus vio-
latio fuerat plurimùm deploranda.
3. Hæc ætatis cùm eſſet annorum
quindecim, atq; eximiæ pulcritudi-
nis, genitorem ſuum ſolâ ſpecie In-
nocenter ad amores ipſâ naturâ da-
mnatos illexit. Tanta ubique eſt lis
inter formam pudicitiamque, ut ne-
quidem apud proximum ſangui-
nem conquieſcat. Pater eam in cam-
pos eductam ruptis naturæ legibus
toto licèt corpore precibus, lacry-
miſque obluctantem, conantemque
nefarios auſus impedire, inceſto
concubitu violat, & utitur diebus
pluſculis, intereà dùm famuli ſe-
mentem agris injiciunt. Tùm eam
Chilcam (ubi habitabat mater) re-
ducit mortis comminatione ſile-
re ſcelus juſſam. Illatæ tamen con-
ſcientiâ injuriæ ità intus agebatur,
ut ſatis in facie notarentur ſigna
inſolentis mœſtitiæ in corde laten-
tis. Hinc & mater angi cœpit, triſta-
rique ac ſciſcitari ſollicitè cauſam
mali. Tacuit illa diu mortis metu,
donec tandem creſcens in ea in-
dies magis magiſque fœdi ſtupri in-
dignatio, matriſque importunæ
cum lacrymis preces ſecreto ſtipu-
latæ, ut, quod factum fuerat, prode-
ret, evicerunt. Mater & adulterii &
inceſtus indignitate tantùm non in
furias acta in maritum patremq; (u-
troque jam nomine indignũ) irruit,
certa primo eum impetu obruere, ſi
poſſet. Ille etiamſi & objurgationem
& ictus uxoris tulerit, ſtuprũ tamen
negavit, exaggerare inſuper conatus
ingratæ erga parentem filię dolos
& accuſationẽ. Et, verſo interim in
vindictæ cupiditatem amore, omnes
occaſiones rimatur, quibus foras
ductam filiam, à qua antè tã infami
& violento complexu abſtulerat vir-
gineum pudorem, nunc poſſet clàm
omnibus vitâ privare. Proficiſcitur
cum ſola filia, indagatq; oculis om-
nes latebras, quę opportunę eſſent
& patrando parricidio & tegendo.
Accidit porrò, alium aliquẽ fortuitò
illac tranſire, ad quem lacrymis ſin-
gultibuſq; illa converſa, *Miſerere*, ait,
*infortunatæ prorſus puellæ, quam impius
parens ad mortem trahit jam-jam infe-
rendã*. Non fuit tam barbarus ille, ut
tanto ſupplicantis infortunio peri-
culoq; nõ moveretur. Parentis ergò
ſęvitię filiam extorquet, additiſque,
de infamis criminis apud judices
denunciatione, minis, eum in fugam
compellit. Verùm, ſi ſalutem animę,
poſteà per converſionem ſecurã, de-

mas, fuiſſet illa patris inclementiâ, quam hujus defenſione, multo felicior, novo ludibrio, quo illâ aliquã-diu turpiter abuſus eſt, nõ ſubigenda. Hic etiam libidinum brevi ſatur, eam abominatus eſt, more apud laſcivos impotenteſq; amatores, quos nullius fœderis religio conſtringit, admodùm uſitato. Illa biennium in hoc ſtatu permanſit non auſa apud Sacerdotem ullum explicare ſuas culpas, ſeu earum enormitate deterrita, ſeu dæmonis illuſione, quamquàm non infrequentur, ut ſibi eas remitteret, Deum rogaret. Intereà etiam nuntiatur illi patrem deſperabundi in modum ex hac vita exceſſiſſe. Redire igitur ad matrem parat. Dumq; it, ſæpè ſe Deo, ſæpè ſe Sanctis, quorum particulari devotione tenebatur, commendat. Tùm hominem videt decorâ ſpecie arridentiq; vultu, tunicâ talari cum ſuperinjecto ſcapulari & caputio albis indutum (qualiter Auguſtiniani in ſuis monaſteriis veſtiuntur, & tunc in Doctrinis veſtiebantur) ex adverſo neque remotè conſiſtentem. Ad hunc, benigno ejus vultu pellecta, perrexit. Ille verò gravi ad eã voce, *Qua, inquit, audaciâ ad me accedis tantis polluta culpis, quas confeſſione expiare detrectas? Vade age lacrymis & Pœnitentiæ Sacramento te purga, firmiterq́ ſtatue Vni te Deo in poſterũ ſerviturã.* Quo dicto evanuit loquẽtis ſpecies: illa autẽ & horrore præteritorũ peccatorũ, & melioris vitæ deſiderio repleta, relictâ, quâ *Chilcam* itur, quòque illa pergebat, viâ, *Pachacamacam* contendit, certa jam invento ibi Sacerdoti noxas omnes, quarum adhuc apud proprium Paſtorem eam pudebat, aperire. Fortuitò illac duo ex Societate Ieſu Patres ad animarum lucra alibi quærenda tranſibant: horum alteri Ioanni Vazquez dicto confitetur, tantis ſinceræ pœnitudinis indiciis, ut plurimùm ipſe gauderet miniſtrum ſe fuiſſe ejus Sacramenti, quo non dubitaret miſeram illã animam tot ſordibus verè eſſe purgatam. Sciſcitatur curiosè de ſpecie hominis illi oblatâ, quâ formâ fuiſſet, quo habitu. Ad quæ cùm conſtanter candideq; reſpondiſſet, non dubitavit eam fuiſſe Auguſtiniani in *Chilca* Curionis, qui ſuis orationibus errantem hanc oviculam fuiſſet, inſecutus & reduxiſſet. Refert idem P. Joannez Vazquez Indam hanc vixiſſe poſtmodùm non inculpatè modò, ſed admodùm virtuosè.

4. Hoc etiam tempore accidit, quod ſuprà (*a*) memoravimus Au- (*a*) lib. 4. cap. 3 nu. 2.
guſtinianis pagos *Ocros* & *Lanpas* ad exortum montium (in quos P. Ioannes Ramirez (*b*) & Gonſalvus à San- (*b*) hujus vitam lib. 5. cap. 8 deſcripſimus.
cto Iacobo primi ſunt deſtinati) & *de la Barranca* fuiſſe attributos. In hoc poſtremo uti nihil niſi improbo labore poterat obtineri, populo prorſus ad dæmonum cultum obſtinato, ita Præfecti Provincialis mandato illum primus juſſus eſt intrare P. Franciſcus Martinez de Biedma, Vir non tantùm doctrinâ & humilitate præcipuus, ſed jam-pridem aſſuetus cum Dæmonibus bellum gerere. (*c*) (*c*) ut dicetur cap. ſequ. in ejus vita.
Multò hoc gratius illi, quàm Theologica aut Cõcionatoria Cathedra, quas diu rexerat, obvenit. Nam & angi intùs cœperat, quòd qui ad cõvertendos infideles ex Hiſpania in Indiã tranſmiſerat, ſolis adhuc Hiſpanis laboraſſet. Quare apud Prçlatos, ut cura cõvertendorũ infideliũ ei committeretur, egit, & obtinuit pagum *Barrancanũ* (*d*) difficillimum. (*d*) de la Barranca.

5. Primum ſibi erat animũ divinis eloquiis ad omnem caſum obfirmare. Sibi ergo dictũ putavit, *Tu ergò fili hominis ne timeas eos neq́ ſermones eorũ metuas, quoniam increduli & ſubverſores ſunt tecũ, & cũ ſcorpionibus habitas; verba eorum ne timeas.* (*e*) Incre- (*e*) Ezech. 2.
dulos ſanè ſubverſoreſq; & ſcorpionibus pejores eſt expertus, quos ipſa, cũ quibus aſſueverant, dæmonia ad obſiſtendũ animabant. Dçmones ſiquidẽ hîc non tantùm in idolis colebantur, ſed magiâ pçnè omnes infecerant, quâ, quos vellent ad ſui amorem illicerent, aut occiderent quos oderant. Hunc ergo illis cultum, hoc ſeu libidini ſeu vindictæ remediũ auferre, erat ipſam illis naturã velle adimere. Rationes tamẽ,

quibus

quibus ille idolorum cultus reprehendebatur & convincebatur, lentè tandem aliqui admiſerunt, benevolentiâ & auſterâ vitâ præconis ejuſque obſequiis tantâ charitate ſibi impenſis, provocati. Aliqui itaque ſacrâ undâ abluti ſunt, ad quam infantes ſtudioſiſſimè conquirebat.

6. Venefici autem ſagæq; tantùm aberat, ut ſaluriferi præconis verba admitterent, ut etiam præſentem illi mortem ſuis incantationibus inferendam, niſi abiret, minitarentur. Verùm didicerat Franciſcus non timere dæmones aut eorum aſſeclas, qui divini ſublimioriſque auxilii fiduciâ nitebatur. Vndè & auſus eſt indignantibus maleficiorum fœditatem crudelitatemque exprobrare; divini humanique tribunalis judicia ingerere. Sed nulla conſilia terroreſve in obfirmatos animos illabebantur. Quare Franciſcus S. P. Auguſtini doctrinam (a) amplexus, *multò plura pro illis ad Deum, quàm illis de Deo dicere* ſategit, obtinuitque ut nonnulli veneficorum baptiſmum ſuſciperent, faſſi, multò minus nunc eſſe in illis partibus, quàm ſoleat, dæmonum imperium impetumque: *illos jam rogare dumtaxat, ne poſt tanti temporis conſuetudinem deſerantur, dicere, Hiſpanorum Deum ſibi eſſe hoſtem, omniaq́, quæ hactenus paſſi eſſent, damna oppreſſioneſq́, jubente Ieſu Chriſto inimico ſuo capitali obvenisſe.* Hâc veneficorum confeſſione animatus Franciſcus, inimicum, quem ſuperare cœperat, ardentiùs eſt proſecutus, prædicando fidei rudimenta in horas ſingulas, loca conventiculorum diabolicorum exorcizando; ponendoque in omnibus collibus montibuſque, ubi coli ſciret idola, aut ad tartarica ſacra conveniri, crucis ſaluiferæ inſigne, quod nunquàm ſatis ſatanicæ turmæ ferre potuerunt. Videntes tam manifeſtum ſuorum idolorum contemptum magicę artis Profeſſores Franciſcum furentes adorſi ſunt, *deſiſteret novum dogma tam ſuperbè prædicare, ſibi moleſtus eſſe, ac perſequi: ſibi dæmonum amicitiam contuberniumq́ hactenus gratum fuiſſe ac utile, foreq́ in poſterum. Per illos ſe huc uſq́ facile de inimicis fuiſſe ultos, fruitoſq́, quas deſideraſſent, libidinibus: hæc ſe ſine illis non adepturos: Deos ſuos, ex quo ipſe advenisſet, ſe habuiſſe triſtes ſemper iratoſq́.* Quod ſcilicet verba, tot flabra erant quæ igneum Franciſci zelum magis magiſque accenderent.

(a) lib. de catechiſandis rudibus.

7. Inter cæteros unus ubi erat omnibus truculentior fortiorque, ita majorem obtinuerat non apud Caziquas modò ſed apud ipſos veneficos venerationem. Diverſis animalium figuris ad libitum apparere; necare quos vellet, condenſare ac congelare in pluvias ac grandinem nubes, formare tonitrua ac fulgura, familiare ipſi erat. Apud eum nullæ proderant Euangelici præconis admonitiones aut preces, quin & ipſum è medio tollere planè jam decreverat. In quem finem mortali pulvere Curionis domum antè conſperſerat, ipſe poſteà ſatanicâ unctione adfuturus. Advenit, ſed intrare conantem aliud eum ſpectrum removet ligni frequentibus ictibus fatigans lædenſque. Ipſe multis vulneribus ſaucius confugit ad montem, in quò velut throno dæmon ſe ſolitus erat oſtentare; queritur de ſpectri à ſe viſi violentia, de vulneribus ſibi inflictis, de prohibito in Sacerdotis ædes ingreſſu: ignorare ſe fatetur harum rerum cauſam, oratque dæmonem, ut, quia pro Deo eum hactenus habuerit, ſe ſanet; quia pro amico, juvet ad vindictam tam inimici peregrini. Dæmon, quas ſolet, herbas læſo applicat; aliquando proficuas, nunc noxias. Veneficus ſentiens malum vehementiùs, quàm ut ſupervivere diu poſſet, hoc unum dæmonem obteſtabatur, ne mori ſe, priuſquàm Sacerdotem mactaſſet, permitteret. Dæmon excuſare ſe, dicereque, nolle ſe quidquam habere negotii cum miniſtris Chriſti, quem germanū haberet amicumq;. Reſpondet veneficus exſibilari hęc ac Chriſtianis tāquàm pura-pura mendacia; nihilque eſſe aliud, non opitulari, quàm fateri

ſuam contra Chriſtianos impotentiam. Tùm dæmon, *non diffiteor*, inquit, *Sacerdotes novi Peruenſis dogmatis præcones mihi manus ligant, nullumq́; eſt in eos imperium noſtrum. Quod igitur lignum*, ait veneficus, *tot me vulneribus ſauciavit?* Reddit ille, eſſe crucem quam in area Parochus plantaverat; illam exureret indubitatèq; ac proximè priſtinam ſanitatem conſequuturum. Veneficus non ſegniter magiſtri ſui infernalis mandata exequens illâ ipſâ nocte collectis lignis atque circum crucem compoſitis, injectoq́; deindè igne flammam quidem ingentem excitavit, ſed quæ nunquam crucem corripuit. Ille tot jam exemplis diabolicæ fallaciæ imbecillitatiſque in Chriſtianos edoctus, reliquum noctis in eadem area, in qua flammis conſumere crucem tentaverat, exegit, expectans donec manè facto totum ex ordine Franciſco narraret, peteretque ut ex tam triſti dæmonum ſervitute ereptum ſacro fonte ablueret. Dies illuxit, dæmonum fraudulentiam explicavit, vitæ anteactæ crimina deteſtatus eſt, baptiſmum rogavit. Quis ad hunc tam inuſitatum mirandumque ſucceſſum P. Franciſci dignè referat gaudium, exultantis non ob hunc ſolum duntaxat, ſed quòd dejectâ præcipuâ ædificii infernalis columnâ, totam mox molem ruituram non imprudenter auguraretur? Eum fidei Catholicæ rudimentis libens inſtruxiſſet, ſed infirmitas ex vulneribus ligno inflictis, & ex herbis per dæmonem applicatis major erat, quam ut ſperari poſſet diu ſupervicturus. Execrantem ergò prioris vitæ ſcelera fœderaque, atque animo myſteria Chriſtiana amplectentem baptizavit, qui deindè poſt horas paucas magnis doloris & prædeſtinationis indiciis, crucemque adorans exſpiravit.

8. Aliud eidem Patri accidit divinæ prædeſtinationis exemplum. Inda jam quidem antè ſacris lymphis tincta, ſed ſaga, tranſeuntem ab uno ad alterum pagum P. Franciſcum, ut ad ſe venire dignaretur, miſſo Indo rogari jubet. Pergit ad eam gaudens. Tum illa, *Saga ſum*, inquit, *annis plurimis neque ab eo tempore, quidquid de divinis rebus vel concione publicâ vel monitione privatâ audivi, in animum admiſi, neque à veneficiis deſtiti. Verùm alteri nunc motu interiori agi ſentio, cupioq́; tot tamq́; atrocia præteritæ & maleactæ vitæ ſcelera ſincerâ confeſſione expiare, vivereq́; in poſterum prout Chriſtianam decet.* Ille ad amorem Dei eam ſeriò exhortabatur, atque ut perpenderet quàm manifeſtum ſit divinæ erga eam propenſionis argumentum, quod eodem tempore & illa ad confeſſionem peccatorum moveretur, & adeſſet qui eam confitentem audire & abſolvere poſſet. Ad quæ illa identidem ingeminabat, *Quam bonus Deus eſt Dominus meus Ieſus Chriſtus!* Confeſſa eſt abſolutaq́;, atque mox invocans Deum ac Deiparam extincta.

9. Aliqua ſunt hæc ex multis exempla. Certè tanta fuit P. Franciſci diligentia, is divinâ miſeratione ſucceſſus, ut rara ſupereſſent poſt breve tempus idola, pauci reperirentur venefici aut ſagæ, iique non niſi cavernis montium delitеſcentes. Cæteri in formam Reip. congregati optimis legibus à P. Franciſco ſunt inſtituti, quibus etiam-num vivunt, licèt à noſtris ob cauſas non ſemel memoratas deſerti. Ingens autem P. Franciſci zelus etiam Indos de *Guavra* & *Guancho* pagos *Barrança* vicinos complectebatur, quos pari ſtudio ad ſimilem formam reduxit.

10. Qui porrò in veneficiis ſuis perſiſtebant obdurati (prout antè fecerant omninò omnes) ſtatis temporibus in colle, qui mari imminet habetque planiciem non in-jucundam, conveniebant; ubi dæmon viſibili ſe formâ, nunc leonis, aliàs canis, ſæpiùs verò hirci, ac nonnunquàm aliorum animalium oſtendebat, arguebatq́; ſeverè quod hiſpanicè aut orarent aut loquerentur: vel quod adventitiæ iſti nationi ſibi maximè, ut ajebat, inimicæ amicitiâ junge-

jungerentur. Si quis verò de adverſario expoſceret vindictam, ibi dæmonis auxilium implorabat. Hic deinde, ut ſanguinem illius, de quo ſe ulciſci cupiebat, ad ſe deferret, imperabat. Extrahendi modus planè erat inverecundus & non niſi talibus dignus; ſugendo ſcilicet podicē occidendi. Allatū ſanguinem ille mutabat in apparentem carnē, eamq; ſeu elixam ſeu aſſam comedendam dabat vindictam poſtulanti. Neq; aliud requirebatur, ut tempore à venefico conſtituto ille, de quo ultio expetebatur, conſumeretur. Nec ſolvebat concionem niſi juſſiſſet priùs, omnes carnaliter ut miſcerentur. Tùm nullo delectu in ſe mutuò fruebant, exercebanturque omnes Veneris formæ, eò quidem hirco illi gratiores, quò magis à naturali lege & conſuetudine abirent. Finis tàm ſacræ; ſcilicèt, congregationi per oſculum podici præſidis à ſingulis impreſſum imponebatur. Vnius, qui cùm veneficus non eſſet, infortunatâ tamen & imprudenti unctione in illud conſortium fuerat delatus, confeſſione conſtat carnem illam apparentem ſolere eſſe tam inſipidam ac ſtomacho reluctantem; ut comedenti cieat vomitum proprii ſanguinis inteſtinorumque. Quod & indorum conſenſu confirmatur, qui notatum à ſe aſſerunt veneficos ſagaſque ad ſex imò decem horas eructare rivos ſanguinis, ob horrorem nauſeamque cruoris ab inimico extracti, à ſe ſumpti.

11. Erat in illis partibus incuborum & ſuccuborum ingens numerus, quibus fœditatem ſuam Franciſcus auſus eſt aſperrimè exprobrare. Labor erat cum inveteratâ conſuetudine pugnare, quia tamen infanda hæc commixtio horrorem potiùs hominibus congredientibus incuteret, quàm adferret voluptatem, tantò faciliùs rationes contraria ſuadentis admiſerunt, ut obſcœnum iſtud dæmonum genus brevi etiam migrare pro magna parte fuerit coactum in loca remota, nam in vicinis vallibus *Ocros* & *Lanpas* à PP. Ioanne Ramirez & Gonſalvo de Sancto Iacobo nihil non agebatur ut non tantùm non augeretur eorum numerus, ſed ejicerentur in exilium quotquot tam impurè hominibus fuiſſent abuſi. Reſpondebatque ſimili eorum conatui æqualis effectus, ut omnes novam ſibi libertatem per Auguſtinianos allatam faterentur & gratularentur.

CAPVT III.

R. P. Franciſci Martinez de Biedma admirabilis vita.

1. QVI P. Franciſcum modò ſpectavimus cum idolis, veneficiis, & dæmone (ſine quo ut illa mutæ erant, & hi ignorantes) generosè luctantem: videamus nunc quàm ſecum pugnam pugnaverit; notemuſque ubi victus fuerit, ubi triumphans. Solet namque ſæpè majori gloriâ reparari inclinata jam acies, quàm ſi nunquàm fuiſſet turbata. Hoc in S. Maria Magdalena, S. Paulo, S. P. Auguſtino aliiſque innumeris exultans celebrat Eccleſia; hoc in Franciſco Martinez intuebimur.

2. Erat hic oriundus *Granadâ*, quâquam majores ſuos numeraret de *Vbeda* & *Iaen*. Stemma ex *Galicia* traxit ex Rodericio Iñiquez de Biedma, *Eſtiviellii* (*a*) Domino & (a) de Eſtiviel. fortalitii Iaenenſis Gubernatore, ad quem totum *Limiæ* & *Sotobermeu* (*b*) territorium, quod hodie à Co- (b) cuyo de eſtado fue toda la tierra de Limia y la de Sotobermeu. mitibus de Monterrey poſſidetur, pertinebat. Rodericius hic cùm Ferdinando Sancto ad conquirendam Andaluſiam perrexit, magnas poſteà Hiſpali (*c*) adeptus hæredi- (c) Sevilla. tates. Ab hoc proceſſerunt Comites de Santiſtevan ac Marchiones de Promeſta & Iavalquinto, quibus

Franciſcus noſter ſanguine jungebatur in gradu non admodùm remoto.

3. Erat Franciſcus ſtaturâ egregius, decorus vultu; educabaturque magnâ oſtentatione ac ſtemmati ſuo congruenter. Ingenium habuit vivaciſſimum, &, quod rarum eſt inter nobiles, ſtudium indefeſſum; quibus conſecutus eſt ut linguam latinam græcamque ac humaniores literas callere probè, adhuc adoleſcens. A nulla tamen re in hac ætate magis fuit laudandus, quàm quòd ſpretis mundi illecebris, divitiis ac voluptatibus, quibus tunc plerique capi ſolent, ad Religionem noſtram confugerit, præſtantiorem virtutum nobilitatem ſectatutus. Has ab ipſis Religionis incunabulis plurimùm ſibi familiares reddidit. Nec ſegnior fuit in adipiſcendis Philoſophiæ ac Theologiæ ſcientiis, quæ, quod à natura egregiâ eſſet eloquêtiâ donatus, tantò in illo erant illuſtriores, ſeu cùm illas profiteretur, ſeu diceret ad populum. Quæ mox ejus famâ longè lateq; extenderant, deſtinabantque ad præcipua Ordinis officia. Ipſe tamen latere tunc maluiſſet ac laboribus exerceri: ideoque in Peruviam cum aliis Religioſis, quos R.P.M. Ioannes à Sancto Petro eduxit, (a) trajecit anno ſupra ſeſqui-milleſimum quinquageſimo nono, appulitque quarto ab incepta profectione. (b)

(a) vide lib. 7. cap. 4. num. 2.

(b) 1563.

4. Verùm hunc tàm ingentem virtutum ſplendorem magna aliquando vitiorum interpoſitione eclipſis obſcuravit. Tam nihil eſt in mortalibus perpetuum niſi Deo auxilium ſubminiſtrante. Doctrina, eloquentia, nobilitaſque magnam ipſi in Peruvia conciliabant famam, cui ferendæ cùm impar eſſet, in ſuperbiam elatus, alia mox vitia catervatim admiſit. Sui primùm immodicus æſtimator, ſpretorque aliorum, faciebat ut ne quidem eam, quam anteà, à ſonſodalibus laudem obtineret, juſtiſſimo ſemper arrogantiæ ſtipendio, vituperium reddêtibus, à quibus illa exigit tributum gloriæ. Hinc ira naſcebatur & indignatio, quaſi omnia infra meritû ipſi fuiſſet tributa. Sordebat communis menſæ ac cellæ apparatus, lautior quærebatur magnificêtiorque, tanquàm ſi illa ſuâ eſſet ſupra alios excellentiâ teſtatutus. Chori officium illi pœna fit, & inſipida omnis ſacrarum conſtitutionum obſervantia. Moleſtum redditur conſortium bonorum, qui prurientem in proprias laudes animum leni adulationis manu ſcabere aut neſciunt aut nolunt: hinc velut violati honoris rei jurgiis impetuntur contumeliiſque; & diſſona fiunt omnia antè concordia.

5. Prælati naſcentibus vitiis occurrere volentes ſeu paternâ primùm admonitione ſeu caſtigatione tantùm aberat ut quidquam proficerent, ut iſtis, maximè ſi publicæ eſſent, etiam magis ad reſiſtendum animaretur. Turpe ſcilicet eſſet homini nobili, docto, eloquenti, famoſo tam facilè moveri, nec invenire, quibus ſe extricet, modos. Dùm lenia hæc nihil proficere Superiores, præſertim P. M. Luiſius Lopez vident, ad aſperiora decurrunt, peritorum medicorum in modum, qui poſt oleum fruſtrà adhibitum etiam ferro uti nonunquàm ſolent. Sed compedes etiam ac carcer reddebant deteriorem. Quid igitur, ubi omnia incaſsùm ſunt remedia, agerent Patres? Remitterent in Hiſpaniam? ſed quæ non ſunt ab obdurato exacerbatoque animo ſcandala timenda? Servabunt in Peruvia? multò majus ponet neophitis offendiculum, eritque novum in ſingulas horas, quod caſtigetur, delictum.

6. Dùm his curis, gravibus certè, exercerentur Prælati, adfuit inſperatò, cui illa Prælatorum ſollicitudo ſolet eſſe cordi, Deus, qui adamantinum illud ac ſuperbum cor ſubitò in carneum humileque commutavit. Tùm ille obortis ubertim lacrymis acriter in ſeipſum inſurrexit in hæc ferè verba. *Quæ hæc, Franciſce, dementia eſt? An non hoc eſt omnia ſurſum deorſumq́ velle confundere, ac invertere mundum Religionemq́? Poteras,*

ras, idq́ue inculpatè, antequàm Religionem capeſſeres, generoſis in bello factis gloriam quærere, ædes ac palatia aulæis variâq́ue ac pretioſâ ſupellectile inſtruere, mēſas ſumptuoſis ferculis onerare, replere caveas pretioſiſſimis vinis, Eccleſiaſticis officiis modicè intereſſe, plurimis imperare. Numquid hæc omnia alia eſſe voluiſti, idq́ue, quod diffiteri, anime, non audes, ſponte tua? Paupertatem obedientiamq́ue Deo, Angelis & hominibus conſcribentibus, vovisti, ſed quàm parùm eas ſervaveris, expende. Atque ut magis fatuitatem tuam agnoſcas, nónne nunc umbram, cujus corpus antè projeciſti, ſectaris? quid enim aliud ſunt quæ nunc ſeu in cubiculis ornamenta, ſeu in cibo potuq́ue delectamenta obtinere pertinaciter ſtudes, quàm umbra, ſi ea conferas cum his quæ quondam ſprevisti? Et quaſi hæc parva eſſent, obſtitiſti inſuper ſalubriter monentibus, invigilantibuſq́ue animæ tuæ, tot aliorum offendiculis. Hoccine erat in Peruviam ad infidelium lucra venire? Quid teipſum criminibus tuis, quid alios eorum exemplo perdere pergis?

7. Plura eloqui conantem lacrymæ prohibuerunt. Manibus reliqua peregit: projecit primò quidquid in cella eſſet ſumptuoſum, quidquid ſuperfluum, contentus unâ, in qua cubaret, tabulâ, tanquàm ſi illâ projectus eſſet è naufragio ad littus: corpus diſciplinis, vigiliis, jejuniiſque ita maceravit ac debilitavit, ut mactare velle, niſi pœnitendi cauſa interceſſiſſet, credi potuiſſet: erat deliquium, novatum rurſus caſtigationum ſtimulus. Verèque de hoc fuiſſet pronuntiatum, quod apud Plutarchum de filio ſuo dixit Archidamus, *Aut vires tibi ſunt augendæ, aut minuenda audacia.*

8. At verò humani generis hoſtis cernens Franciſcum deſertis ſuis caſtris ad cōtraria confugiſſe, eumque, qui multis ſolet eſſe cauſa ruinæ, modò plurimos non magis ſermonibus, quàm exemplis docere, vitia deteſtari, plantare virtutes; indignans, gravibus continuiſque eum tentationibus agitare cœpit, ut quem antea commodis ac deliciis à ſtatu vitæ, quem profeſſus erat, pellexerat, nunc terreret difficultatibus, gnarus varia eſſe hominum ingenia ac variis decipulis capi: maxima tamen deliciarum eſt, quæ vires animi ſenſim emollit enervatque, quas aſpera, ut arborem ventus, ſolidant radicantque. Vtrumque certè in Franciſco accidit, & quem vana mundi umbra dejecerat, agitationibus fortior evaſit. Mortis memoria magnum eſt contra carnis illecebras munimentum: illâ ſæpiſſimè adverſarium vicerat. Eodem ſucceſſu jejunia flagellationeſque adhibuerat. Verùm cum inſolito aliquando motu corpus inſanire ſenſit, nec jam communia compeſcendo ſufficere remedia, ad planè inuſitatum convolavit, quod difficulter quis credet licèt veriſſimè narraturo. Feſtinus ad Eccleſiam pertexit, ſepulchrum aperuit, arripuit, quod reperit, ſemi-corruptum, putridum, ſcateniſque vermibus corpus, in lectum detulit, & in ejus amplexu noctem exegit, ac ſeipſum incuſans ita effabatur. *Hoc illud corpus eſt, cujus pulcritudinem paucis ab hinc retrò diebus mundus mirabatur & adorabat. Quid ejus nunc refugis amplexus quos alii toties & tam ardenter deſiderârunt? Illud ſcilicet bonum eſt, quod te modò exſtimulat: nam ſi vivum eſt corpus quod te oblectat, erit tamen mox, eriſq́ue tu huic ſimilis, putridus fœtenſq́ue, quem nullæ ferent nares. Vtere ergo voluptate, in quàm tantoperè effervescis.* Compeſcuit hujus cadaveris fœtor & horror faciiè inſanientem corporis motum; ac ſola mortis memoria par laſciviæ poſteà fuit; poteſtque, ſi ſeria eſt, idem apud omnes. Salubre conſilium eſt

Cum te turpe aliquid tentat, fac illicò mentis
Seſe mors oculis offerat atra tuis.

9. Servavit nihilominùs in cellâ ſuâ diu putens corpus (exemplo nunquàm aliàs à me lecto) ſæpè illud amplectens, ac ejus magiſterio ad plurimas ſe erudiens virtutes, quarum primæ erant humilitas, amorque proximi. Hunc in infidelium maximè converſione, uti

diximus

(a) c. præc. dximus, (a) monſtravit: illam in omnibus actibus; eamque prorsùs ſingularem, ut oculis officinas verteret ad pedes laïcorum proſtratus, ad quorum latus aſſiſtere aut nc nimis pro ſe ſublime reputabat. Sodales omnes æſtimabat Sanctos, dicere, cùm aliquem corripi videret, ſolitus, *quantò iſte me melior eſt*. Tantùm humilitatis ſpolium à ſuperba hominum natura memoria mortis reportat, ut non indoctè cecinit Maphæus Vegius.

Heu mortem inviſam quæ ſola ultricibus armis
Elatos frenas animos.

In quem finem refert S. Petrus Damianus, dum Græci Imperatores coronarentur, obſequia ab omnibus certatim deferrentur, canerenturque carmina adulationibus referta, in uſu fuiſſe, ut inter tàm ingentes mundanæ pompæ oſtenſiones juvenis prodiret alterâ manu geſtans vas vitreum plenum oſſis mortui contuſi pulvere: alterâ tenuiſſimam ſtuppam igni admotam. *Vt in altero,* (b) opuſc. 13. cap. 5. inquit ille, (b) *debeat conſiderare quod eſt; in altero valeat videre, quod habet. In cineribus ſiquidem ſe cinerē recognoſcit, in ſtuppa jā colligit in die judicii quam ſubitò mundus ardebit, quatenus dum ſe ſimul ac ſua tàm vana, tàm flocci pendenda conſiderat, de imperialis culminis aſcenſo faſtigio nullatenus inſoleſcat.* Et certè quis audeat quidquàm illicitum tali reprehenſore imò caſtigatore præſente? quâ portâ irrepat voluptas, ad quā tam formidoloſus excubat cuſtos? quomodo deliciis impendat vitam, quam in horas ſingulas cum morte dividit, niſi ejus projecerit memoriam?

10. Hac Franciſci mutatione, optimâque vitâ inducti Prælati, de ſcientia ejus atque eloquentia jampridem ſecuri, cum obſtinatiſſimis *Barrancanorum* animis convertendis deputârunt, ut ſatis executi ſumus, (c) c. præc. (c) ubi item diximus uberrimos, quos ex illis retulit, fructus. Quapropter arbitrati P. Alphōſum Maldonado hominem ſedulum induſtriumque illis jam partibus ſufficientem, P. Franciſcum ſtatuerunt Conventus Limenſis Suppriorem (d) ac Comitiis proximè ſequentibus (e) Priorem. (d) 1567. (e) 1571.

11. Hic laboribus, quos improbos fecerat tam variis importuniſque per æſtum, frigus, pluvias, ad quærendos catechizandoſque idololatras, diſcurſibus defunctus, duplicavit in ſeipſum mortificationis, ſeu jejuniis eſſet agendum ſeu flagellationibus, fervorem, ſemper memor quàm indecorè de ſe aliquando mundus triumphaſſet. Regimen ejus erat prudens, ſedulum, atque in quo humeris manſuetudinis inviolata ſtatutorum obſervantia portaretur. Culpas caſtigabat eâ benignitate, ut ipſi, qui puniebantur, manifeſtè deprehenderent paternum in eo animum, pœniſque peccata impeti, non homines: ut plurimùm maximam pœnarum aliis debitarum partem exigens à ſeipſo, quem inter omnes peccatores judicabat indigniſſimum. Vindictæ Studium non excluſerat modò, ſed illud publicis ſermonibus execrabatur ipſue rorum ac fœminarum hoc vitium eſſe dictitans, quod non niſi in timidis puſilliſque animis reſideret; idem in belluis obſervari; timidas quaſque ampliùs furrimque nocere; parcere leones, quia magnanimi ſunt: numquamque vindictæ aliam fuiſſe matrem quàm timiditatem. In concionibus vehemens erat & indefeſſus: in pauperes liberalis: viduis afflictiſque benignus conſolator. Quæ tot virtutes omnibus venerabilem fecerant: apud plurimos evicerant Sancti appellationem.

12. Ac propterea frequens jam rumor erat eum in Comitiis, quæ anno ſupra milleſimum quingenteſimo ſeptuageſimo quinto celebrarentur, renuntiatum iri Provinciæ Præfectum. Nihil illi unquàm, præter peccata, tam acciderat aſperum: cadaveris fœtor jam aromata ipſi videbantur. Quapropter allatis contrà ſe rationibus excutere onus tentabat, ſed hoc etiam magis alios in ſua opinione confirmabat. Cùm

hoc

Cùm hoc Franciſco non ſuccederet; quia ad ſolum prælati nomen perhorreſcebat, dicebatque unius horæ rationem coram Deo reddendam, majorem eſſe à Prælato, quàm annorum duorum à ſubdito, fugâ obtineret, quod aliter conſecuturum ſe deſperabat, decrevit, Chriſti exemplo, qui cũ *cognoviſſet quia venturi eſſent ut raperent eum & facerent eum Regem, fugit iterùm in montem ipſe ſolus.* (a)

(a) Ioan. 6.7

13. Hâc ergò occaſione martyrii deſiderium, quo diu flagraverat, manifeſtavit, petivitq; , bonâ Patrũ veniâ ut ſibi liceret in Inſulas Philippinas, Moluccas, aut Iaponiam, quò Deus navigaturos dirigeret, ſolvere, fidemque barbaris illis gentibus annuntiare. Mira omnibus primùm hæc res videbatur, uti ſolet eſſe omnis inopinata; ſupplicantis tamen fervore moti conſenſum potiùs nõ negarunt, quàm dederunt; tantoperè deſiderabant habere Provinciæ Præfectum, quem in Conventûs Præfecturâ tot videbant virtutibus commendari. Quare luctum ſuum omnes Limæ non magis noſtri quã ſæculares publicè teſtati ſunt. Ille verò alacer gaudenſque non alium ſecum vehens commeatum quàm Breviarium & Biblia *Callao* (portum ita Limenſem alibi diximus appellari) ſolvit; appulitque deindè ad Novæ Hiſpaniæ portum *Aquapulco.* Poſtillâ paulò ampliùs quàm annum in celeberrimo ſanctiſſimoque Mexicano noſtro Conventu commoratus, conceptâ diu in Philippinas profectione perrexit anno poſt ſeſquimilleſimum LXXVI. Iter ejus ſucceſſumque dicet nobis egregius Ordinis noſtri in Provincia Mexicana Hiſtoriographus P. M. Ioannes de Grijalva. Qui ſcribens de decem Religioſis noſtris, quos P. Didacus de Herrera quarto Provincialatu P. M. Veracrucii, quem hic anno M. D. LXXV. incepit, abduxit, ita ait:

14. *Illis ſex alii quatuor ex eadem Provincia acceſſerunt, magnæ omnes æſtimationis nominiſq;. Primus fuit P. Franciſcus Martinez, vir doctiſſimus, quiq; in Univerſitate Mexicana Sacras literas publicè fuerat profeſſus, Latinæ, Græcæq; linguæ apprimè peritus. A nulla tamen re quàm vitæ Religioſæ perfectione fuit laudabilior, quam in Peruano regno, ſuo docuit exemplo rationibuſq;, maximè cum Limenſem Conventum gubernavit. Quem cùm altioribus honoribus illius Provinciæ Patres deſtinarent, illos fugiens in Novam Hiſpaniam tranſmiſit, ex ditiſſimis terris non alium ſecum vehens theſaurum quam Breviarium Bibliaq;. Quos honores cùm brevi ſuâ ſcientiâ moribuſq; in Nova eſſet Hiſpania conſecutus, ſenſiretq; ſibi graviſſimos, in Inſulas Philippinas ſolvit.* Grijalva cùm ſimili modo aliorum vitas breviter perſtrinxiſſet, concludit in hunc modum. *Omnia, cùm centum dumtaxat leucis Manilâ abeſſent, naucleri incuriâ inſcitiâq; magis, quàm vi tempeſtatis perierunt.* Neque quidquam expreſſius de morte P. Franciſci Martinez hiſtoria refert Grijalvæ. Id quod ſatis eſt ut dici poſſit coronam nomenque fuiſſe conſecutus martyrii, ob quod ad infideles *Zangleyes* (b) per mille & ampliùs leucas contendebat, defueritque non ipſe perſecutori, ſed ipſi perſecutor, qui funderet ſanguinem, ut ait diſertè de S. Ioanne Euangeliſta S. Hieronymus. (c)

(b) nomen eſt populi.

(c) Hieron. in cap. 20. Matth.

15. Archiva tamen Peruanæ Provinciæ, in qua Ordini erat initiatus, exegeratque præcipuum maximumque vitæ tempus, quæque proptereà eſſe potuerit, quàm Mexicana, rerum ab ipſo geſtarum ſtudioſior, expreſſis habent verbis, quæ jam dicam. Agebatur ventorum impetu navis, quâ vehebantur omnes, eorumque violentiâ ac ſimul imperitiâ navarchi in ſcopulos illiſa fatiſcebat laxatis compagibus, admittebatque largis foraminibus aquas; quæ omnes abſorbuerunt, præter paucos, qui ſeu celocis vel tabulæ alicujus beneficio, ſeu aliâ divinæ manus ope, in terram infidelium evaſerunt. Tùm Franciſcus ſe nactum occaſionem prædicationis, ob quam venerat quamque tot

votis

votis dedeſiràrat, arbitratus, eam ad accurrentes undiquè Inſulanos per interpretem eſt exorſus, dæmonum, qui omnium mortalium hoſtes ſunt maximi, dolos explicans & errores, quibus eos hactenus obvolviſſet: Chriſti autem benignitatem, qui ad omnium ſalutem in hunc mundum veniſſet. At verò infideles in ſuis erroribus obſtinati lanceis confoſſum, ac nihilominùs eodem ſpiritus fervore legem evangelicam annuntiantem, extinxerunt.

CAPVT IV.

Duæ Epiſtolæ R. P. Franciſci Serrano Caſtellæ Provincialis hoc tempore ad Provinciam Perüanam ſcriptæ.

1. M*VY Reverendos Padres, la gracia de nueſtro Señor Ieſu Chriſto ſea ſiempre con voſotros. Amen. Porque haſta aora ſabemos quien aya ſalido por Provincial y difinidores, me parecio eſcrivir eſta a todos vueſas Reverencias, y tambien por ſatisfazer à algunas, que an eſcrito el trienio paſado. Siempre è tenido y tengo particular deſeo de ſaber buenas nuevas de eſa nueva planta, porque yo tenga mas obligacion que otro alguno à deſearle todo bien y aumento, y aſi quando oygo algunas buenas nuevas de allà, tengo particular alegria, y doy gracias à nueſtro Señor por la merced que nos haze: y por el contrario, ſi entendiere alguna coſa menos buena, lo ſentirè gravamente, porque qualquiera defeto en los principios, por pequeño que ſea, es muy grave. En las cartas, que ſe me han eſcrito por parte del Padre Provincial paſado y de otros Padres, ſola una coſa me han perſuadido, y es, procuraſe fueſen a eſa Provincia Religioſos graves y de letras, y es cierto, que yo lo he deſeado, pero no ſe ha podido.* (altera epiſtola magis hujus rei cauſam exprimit) *El Padre Fray Baltaſar de Armenta vino, y vueſas Reverencias entienden, aunque el es muy gran ſiervo de Dios, las partes que tiene para eſte negocio; y dado que las tuviera, à tenido tanta en que entender en los negocios a que vino, que aun haſta aora no eſtan concluidos; y fuera deſto a tenido una enfermedad, que un año poco menos le à durado de la qual no ſe pensò que viviéra. Pero no obſtante toda eſta con el deſeo que yo tengo, que eſa ſanta obra vaya adelante, à me parecido que el Padre Armenta eſte verano vaya por los Conventos de la Provincia, y procure los Religioſos que vière que mas allà convienen para eſa obra. Ya tengo aviſado que el tomar de las caſas ſea de manera que en ninguna caſa dejaſſen de eſtar por lo menos quatro o ſeys Religioſos, porque como vueſas Reverencias ſaben, aunque un Religioſo ſea muy ſiervo de Dios, teniendo ocaſiones, y no teniendo quien le vaya a la mano y quien le mire, facilmente cae, y quanto daño deſto ſe ſiga a la converſion de los Indios y aun a los Eſpañoles, vueſas Reverencias lo entienden: y fuera deſto, bien ſaben la obligacion que tenemos primero a mirar por nueſtros ſubditos, de los quales Dios nos à de demandar cuenta, y no de los Indios, pues con detrimento de nueſtras animas no tenemos obligacion à los ſuyos. Y lo otro que ſentiremos mucho, es, que como en eſas tierras abundan los dineros, algunos Religioſos olvidados de Dios y de lo que profeſaron, no ſe hagan proprietarios: y quan grande mal eſto ſea, y lo que de aqui naſce, a todos conſta, que es caer en vicios de deſoneſtidad, y ajudarà a eſto el aparejo grande que tienen con la libertad. Por tanto les ruego y encargo a vueſas Reverencias que lo miren y hagan guardar con toda diligencia y cuydado; y acuerdenſe*

ſiempre

ſiempre de la cuenta tan eſtrecha, que ſe nos à de demandar el dia del juizio de las animas, que por nueſtra culpa ſe perdieren. Solo me queda una coſa que encomendar y encargar a vueſas Reverencias, la qual les mando por las entrañas miſericordioſas de Dios, y es. que ſiempre guarden y tengan conſormidad, paz y amor, y no aya entre noſotras çiſmas, porque ſi aora que comiença las uviera, que eſperaremas ſera adelante? No ſe me ofreçe otra coſa, que aviſar a vueſas reverencias, mas de que gloria a la Mageſtad divina, eſta Provincia eſtà en ſuma paz, y en ſus ſantas oraciones y ſacrificios ſupliquen al Señor la tenga ſiemprè des ſu mano. Nueſtro Señor las muy Reverendas perſonas de V. Reverencias tenga de ſu mano. Deſte monaſterio de San Auguſtin de Sevilla a onze de Enera de 1569.

2. Has literas cùm P. Franciſcus Serrano Provinciæ Caſtellanæ Præfectus abſolviſſet, paterni erga novam in Peruvia coloniam affectus teſtimoniis, ſolidiſque documentis

(a) Sevilla. plenas, Hiſpalim (a) ex Peruvia appulit P. Didacus de Gutiertez, nuntius mortis P. Andreæ de Sancta Maria (quem primo ſecundæ Præfecturæ Provincialis in Peruvià anno conceſſiſſe fato antè diximus

(b) cap. 1. hujus lib. (b)) & electionis, quâ in demortui locum renuntiabatur P. Ioannes de

(c) mors P. Andreæ de Sancta Maria. Sancto Petro. Illa (c) mœrorẽ Serrano peperit, hæc (d) abſterſit.

(d) electio P. Ioannis de Sancto Petro. Acta quoque Comitiorum anno M. D. LXVII. celebratorum P. Didacus Caſtellæ Præfecto, cui adhucdùm naſcens Peruviæ Provincia ſubjecta erat, attulit. Tùm aliàs præcedentibus literas P. Serranus adjunxit in hunc modum.

3. *Vino el Padre fray Diego Gutierrez al mas rezio tiempo, que jamas pudiera venir, porque a la ſazon que el vino, el Rey nueſtro Señor avia cometido a eſta Provincia la reformation de los Frayles Clauſtrales de nueſtra Orden, de Aragon, Valencia y Cataluña, y para eſto ſe han ſacado mas de cinquenta Religioſos, perſonas principales y de Religian. Por aqui podran vueſas Reverencias conocer quan trabajada quedarà eſta Provincia, y en quanto ſe ha de eſtimar los Religioſos, que embiamos eſtando en la neceſidad tan grande, como la que liè dicho, la qual ſignificaràn el Padre Fray Diego Gutierrez con los demas, los quales ſon perſanas quales convienen para eſa ſanta obra, y en ellos van perſonas que puedan leer Gramatica, Artes y Theologia, y predicar, y de toda bondad y Religion: y pluguiera a nueſtro Señór, que yo tuviera paſibilidad y fuerças para poder ir, ſi quiera a marir en eſa obra ſanta. Mas no à ſido Dios ſervido de darmela, como de los ſobredichas Padres padran vueſas Reverencias ſaber. Tenemas por bien, que el Capitulo ſe alargue haſta el aña de 1571. con tal que el otro, que ſe ſigue, dure otros quatro añas haſta el 1575. parque ſe vengan a hazer los Capitulos de Eſpaña y del Peru por un miſma tiempo, para que aya correſpondencia y concierta en la que ſe ordonare. Al Padre Fray Diego Gutierrez deven, vueſas Reverencias dar muchas gracias, porque loha hecho camo ſiervo de Dios, y à trabajado mucho en eſte negocia, y con grand cuydada y diligencia lo ha ſalicitado, eſpecialmente como la armada ſe va tan preſto; porque quando èl acà vina, ſe començà luego a apreſtar, y por eſo ha ſida el trabajò doblada. De una coſa me miravillo, y es, de que vueſas Reverencias le embiaſen a un negacio como eſte con ſolos quinientos ducados. Y ſi dicen què le embiaron en confiança que avia de cobrar las dos mil ducados que el Rey hizo de limoſna a eſa Provincia en eſta caſa de la contratation en los bienes inciertas de difuntas, por haverſe viſto ſu Mageſtad apretado, tomò no ſolo el dinera de los bienes inciertos, però el de los difuntos ciertos nada ſe ha cobrado; paqueſe lo que el quedare deviendo. Traja inſtrucian el Padre Fr. Diega Gutierrez del P. Provincial que fueſe a Roma a procurar Indulgencias para eſa Provincia, y eſpecialmente para el monaſteria de nueſtra Señora de Guadalupe: eſto ya ſe lò eſtorvè, porque eſtoy cierto, que ſu ida fuera en balde, parque ſu Sãtidad no ſolamente no quiere dar Indulgẽtias, pero a quitado de las dadas, de manera que por aora nò ay que tratar en eſte negocia Entẽdiendo el Rey nueſtro Señor algunos daños, que*

en eſas partes à avido, ſe dio orden en lo ſobredicho, y ſe mandò que todas las Ordenes embiasẽ Viſitadores, para que viſiten las Ordenes della, y torryã y reformen todo lo que hallaren que cõviene, y aſi a los Padres Difinidores y a mi nos parecio nombrar por Viſitador de eſa Provincia al muy Reverendo Padre Fray Luis Alvarez, perſona muy religioſa, y muy buen predicador, de cuya ida à avido acà muy gran ſentimiento; lleva toda nueſtra authoridad como vueſas Reverencias veràn: ſu oficio dura ſolamente el tiempo que fuere neceſſario para ſu viſita; laqual acabada ceſarà ſu oficio, porque no pretendemos ny es nueſtra volundad, que aya muchos Prelados. Quiero advertir à vueſas Reverencias por ſi a caſo allà ſe tratáre, que à ſido la voluntad del Rey, dar todo favor a las Religiones, aſi con ſus Juſticias como con los Prelados Obiſpos para que no les moleſten, ny Clerigos puedan entrar donde eſtuvieren Dotrinas. Lo que ſoſpecho es, que querrian que fueſemos viſitados de los Obiſpos, y eſta ya vueſas Reverencias entienden, que no es coſa que nos conviene, porque como ellos no eſtan bien con noſotros, hayer nos hã moleſtias; y por eſto digo que ſi a caſo deſte ſe tratáre que en ninguna manera lo cõſientan, porque ſi ſiendo eſemtos dellos nos tratan como vueſas Reverencias han viſto, que haràn ſi tienen alguna ſuperioridad ſobre noſotros? No ſe ofrece otra coſa que hazer ſaber à vueſas Reverencias mas de encomendar lo que ſiempre ſuelo, y Criſto nos dejò mandado, que es la paz y concordia, y pues Dios les dio oficio de Apoſtoles, les pido por las entrañas de la miſericordia de nueſtra Dios, le hagan, y procuren en todo dar de ſi el egemplo, que a de perſonas de tal oficio conviene. De mi no tengo que deçir, ſino que no tengo dia de ſalud, como de los Padres podràn ſaber; eſtoy deſeando ſe acabe eſte tiempo para aparejarme para morir: a vueſas Reverencias ruego por amor de nueſtro Señor que quando ſupieren que ſoy muerto, ſe acuerden de mi anima. Nueſtro Señor las muy Reverendas perſonas de vueſas Reverencias tenga ſiempre de ſu mano. De Sevilla, y Febrera 4. de 1569. Menor hermano de vueſas Reverencias, Fray Franciſco Serrano Provincial.

4. Potuiſſent breviùs, quæ in his litteris Provinciam Perüanam concernentia continentur, hoc loco inſeri: nulla tamen certior quàm per ipſas potuit eſſe rerum geſtarum fides: ob quam cauſam judicavi utiliter integras transſcribendas. Simul ut conſtet, quanto zelo, qùàmq; libero à rerum terrenarum concupiſcentia animo Patres uni Dei ſervitio, animarum converſioni, & ſuorum ſubditorum ſaluti intenderint, quæ non eſt exigua pars laudum, quas merentur.

CAPVT V.

Novorum Apoſtolorum ex Hiſpania in Peruviã profectio.

1. P. Didacus Gutierrez iſto quidem anno ex Hiſpania in Peruviam non eſt reverſus, prout reverſurum P. Prouincialis Serranus ſignificaverat, arbitratus ſatius eſſe diuturniore ſuâ morâ ſermonibuſque Patrum Hiſpanorum animos ad laborioſam quidem ſed uberrimam infidelium in Peruvia meſſem inducere animareque, quorum plurimi præcipuique aliis ſanctiſſimis exercitiis, quæ ſecundis ſuis literis exprimit Serranus, in Hiſpania occupabantur. Intenderet præterea ſi quo modo à Sanctiſſimo Papa Reliquias, Iubilæa ac Indulgentias, quibus novum illum mundum Chriſtianæ fidei rudimentis illuminatum redderet illuſtriorem, impetrare poſſet.

2. Primam tamen navigandi occaſionẽ nacti ſolverunt *P. Luiſius Alvarez* electus à Provinciæ Caſtellanæ Diffinitorio, Provinciȩ Perüanȩ Viſitator, cujus ſuprà(a) meminimus, (a) lib 4. cap 8. num. 19. deſcribemuſq; poſteà vitam; *P. M. Gabriel de Saona, P. Rochus de Sancto Vincentio*, viri excellentiſſimi *P. Alphonſus de*

ſus de

ſus de Biedma fortè *P. Franciſci Biedmæ* conſanguineus aut frater, *P. Auguſtinus Lopez*, *P. Didacus Ordoñez*, atque, quem in mari habitu Religionis donârunt, quique poſteà Limæ anno
(a) 8 Mart. M. D. LXX. VIII. Idus Martias (a) profeſſus eſt, *Laurentius Rodriguez*. Hic annos omninò quadraginta in vallibus Indis *Tungas*, & in montibus quaquaversùm fidem prædicavit, egregio ſui exemplo, & fructu barbarorum.

3. Et Loiſii quidem Alvarez inſignis notata modeſtia fuit, qui per tanta oceani ac tot menſium ſpatia cum Sodalibus ſuis vectus, non antè, quâ illuc poteſtate mitteretur, manifeſtavit, quàm Limam appuliſſet: Ibi Regis mandatum, Patrumque Caſtellanorum (quibus adhuc-dùm Perüana Provincia ſubjiciebatur) voluntatem, publicatis eorum literis, primùm detexit pridie Kalendas Ianuarias (b) anni ſequentis. (c) Poteſtate etiam modicè uſus eſt: viſitatis ſiquidem Conventibus Trugillenſi, Cuzcenſi, & Limenſi, deprehendens, quæ imitaretur plura, quàm quæ corrigeret, Viſitationes illo concluſit epilogo, quem in laudem Patrum Perüanorum in præcedentibus poſuimus. (d) Ipſe inſuper Limæ, ubi tot obſervârat virtutum incitamenta, finitis viſitationibus, moratus eſt.

(b) ultima Decembris
(c) 1570.
(d) lib. 4 cap. 8 num. 19.

HISTORIÆ PERVANÆ LIBER XII.

Capitulum Octavum.

CAPVT I.

Acta Capituli.

1. EXACTO quadriennio, quo tùm communibus Definitoril ſuffragiis, tùm P. Franciſci Serrani Provinciæ Caſtellanæ Præfecti confirmatione durare juſſum erat præcedentium Comitiorum tempus nova celebrari cœpta ſunt Kalendis Iulii M. D. LXXI. in civitate Cuzcenſi olim Imperii Perüani ſede. Electorum ſuffragia R. P. Luiſium Lopez de Solis Provincialem dederunt; Definitores P. Franciſcum de Corral, P. Antonium Loçano, P. Ioannem de Sancto Petro, P. Alphonſum Pacheco. Viſitatorúm ſeu Vicariorum, qui tres eſſe ſolent (e) numerus ad binarium redactus, Trugillenſi omiſſo. Territorii Limenſis Viſitator idem qui Prior in Limenſi civitate P. Franciſcus Martinez de Biedma: idemque in territorio Cuzcenſi obſervatum fuit.

(e) vide acta præcedentium Capitulorum.

2. Decretum ut exactæ Conſtitutionum obſervantiæ (ut vulgariter hoc vocabulo utar) inſiſteretur, præter has nihil de novo decerneretur; ſaluberrimo ſanè conſilio: ſolet ſiquidem legum multitudo comitem habere earum neglectum; tunc quidem infallibilem, quando & exigua eſt obſervandarum cura, & magna conſtitutarum mutabilitas; quæ deindè contagioſâ negligendi conſuetudine primæva optimaque ſancita trahunt in contem-

ptum, dùm ſubditi putant, aut putare videri volunt nullum majus robur his (*a*) quàm illis (*b*) ineſſe, nec majorem mereri reverentiam. Sola fuit de benefactoribus cura, pro quibus annuæ preces auctæ sũt. Verùm & hæ pauciores fuerunt, quàm quæ noſtris Conſtitutionibus tunc nondùm, prout nunc ſunt, editis (*c*) ordinantur. (*d*) Vt verè à me alibi (*e*) dictum putem, *Nullum Religioſorum Ordinem quàm Eremitarum Sancti Auguſtini pro ſuis benefactoribus orare frequentiùs.*

(*a*) primævis ſancitis. (*b*) novis decretis.

(*c*) vide epiſtolam Reverendiſſimi Patris Generalis Thadæi Peruſini Conſtitutionibus præfixam. (*d*) Vide 1. parte Conſtit: cap. 1. & 2. (*e*) lib 4. cap. 8. num. 23. (*f*) lib. 7. cap. 9. & lib. 10. cap. 3.

3. Theologiæ Profeſſor conſtitutus eſt P. Gabriel de Saona, quod munus anteà P. Luiſius Lopez adornârat. Exiguum iſtud & hiſtoriâ indignum aliquibus videri poſſet, niſi duo illi etiam primi fuiſſent in Provincia Perüana Cathedratici. Ad Comitia Generalia Definitor, atque in aula Hiſpanica Procurator ordinatus P. Ioannes de Sancto Petro, adjuncto ipſi ſocio P. Hieronymo de Guevara. PP. Franciſco de Corral & Ioanni Bivero mandatum à Definitorio fuit, ut petente id Prorege Franciſco de Toledo, totum authoritate regiâ regnum viſitarent. Aſperum ipſis mandatum viſum eſt, quia honorificum, labores tantum aberat ut aſperarentur, ut eorum occaſiones quâcumque viâ indagarent. Quantum autem per hanc viſitationem bonum Peruviæ acceſſerit, in ſuperioribus executi ſumus. (*f*)

4. In his quoque Comitiis Provinciæ annexus fuit Conventus Sancti Guilielmi de *Cotabambas* cum omnibus illius Provinciæ doctrinis (ita ſoliti ſunt vocare loca, in quibus ad erudiendum populum ac adminiſtranda Sacramenta quempiam Eccleſiaſticorum reſidere mos erat) Attributa eidem Provincia de *Omaſayos*: Patronatus adminiſtrationis *Parienſis*, quem P. Ioannes à Sancto Petro Provincialis admiſerat, à Provincia acceptatus. De quibus plura in ſequentibus dicemus.

5. Hoc etiam quadriennio, mandante Rege, mittente P. M. Luiſio Lopez Provinciæ Præfecto, coloniam Ordinis illuſtres viri P. Luiſius Alvarez de Toledo & P. Gabriel de Saona *Quitum* traduxerunt. Vt pænè jam vaſtiſſimo Ingarum imperio, Auguſtiniani, annorum ſpatio vix vigintitrium, extenſione æquarentur. Ita nihil tam difficile immenſumque, quod non cito pervadat animus divini honoris zelo & amoris igne æſtuans. Hæc etiam ſpecialis infrà locus explicatiùs dabit.

CAPVT II.

De prædicatione Auguſtinianorum in Provincia Paria, monaſteriis ibi erectis & de opulentiſſima fundatione facta à Laurentio de Aldana, atq; Auguſtinianorum curæ ab eodem commiſſa.

LAVRENTII de Aldana magnanimitatem, fidelitatem, fortiaque facta quotquot de Peruviæ conquiſitione, ſeditionibus, ac bellis civilibus ſcripſerunt, ſummis extulerunt laudibus, omnes tamen infra viri merita. Noſtri dumtaxat erit inſtituti ejus hîc eleëmoſynas recenſere, & admirabiles pietatis effectus. Rex in obſequiorum mercedem *Pariam* Provinciam ei attribuerat, illam ſcilicet quæ in Peruvia eſt, nam eſt & alia Paria ad mare Septemtrionale ſita. Perüanæ locus præcipuus eſt 1.

Challa-

Challacollo tribus *Potoſio* leucis remotus, ipſiſque *Potoſio* in divitum venarum abundantia (ut eſt & tota Provincia *Parienſis*) æmulus. Erant in eo continuò duo treive Auguſtiniani convertendis catechiſandiſque rudibus populis intenti.

2. Sunt autem hi populi barbari prorſus ac ſordidi, exleges, ſocietatis humanæ oſores, fraudulenti, ingrati, omnis amicitiæ expertes, &, quod apud alias nationes eſt inſolens, qui unguem habent pollicis dextri ita largum acutumque, ut eo ovem, nullo adhibito cultro aliove inſtrumento, non difficulter deglubarit; maximè à ſuſcipienda fide Catholica averſi: *Vros* dicuntur. Totus enim quæſtus eſt ex piſcatione in lacu *Parienſi*, cujus circuitus triginta leucarum eſt, proceditque ex ingenti Peruviæ lacu, quem *Titicaca* appellant. (a) An ſe Parienſis uſpiam exoneret, incertum; arbitratu tamen nonnullorum id in pago *Atacama* ad viam Chilenſem contingit. Partim in terra habitant, partim in ſcaphis atque in lacu; miſerè omnes rigidèque, cum aëre frigido admodum & aſpero nudi aut tenui duntaxar breviique tunicâ cooperti luctantes. Carnes non rarò prorſus crudas comedunt, & piſces etiamnum vivos. Frigoris ventorumque *Tomaabù* liberè in aperta ac plana terra ſævientium vehementia omnem adimit fundo tempeſiem, ut inutiliter illi ſementem eſſent erecturi, ac proinde ab omni ſatione abſtinent. Idromate utuntur brevi ſed ingrato atque inter Peruana obſcuriſſimo, quod propterea ſcribitur difficillimè. Pago *Challacollo* vicinus eſt alius *Capinota* dictus, cui rurſus alter ſubditur *Sicaya*: utrique idem parochus deſervit; uti & duobus ſequentibus *Charamoco* & *Itapaya* alius. Quatuor verò *Challacollo* leucis abſcedit *Toledo*, cujus incolæ ſi non multùm cælo, certè moribus differunt planiſſimè; nitidi ſunt, induſtrii, decenter veſtiti, bonis moribus exculti. Hos olim Inga ex alia Provincia commigrare huc juſſerat, ac ſedem figere, ut eſſent quorum ſocietate exemploque ſtupiditas & inhumanitas Indorum *Vrorum* (b) corrigeretur. Factum id inſigni certè imperantis prudentiâ, ſed exiguo apud *Vros* fructu, illorum barbarie omnē honeſtæ vitæ culturam ſuperante. Aliquanto lætiori ſucceſſu à Religioſis noſtris apud eos laboratum fuit, leni aſſiduoque conatu potiùs quàm violento, ut aqua ſaxum, obſtinatione impugnantibus, non dùm tamen ullâ laborum fructuumque æqualitate. Adeò difficile eſt homines inſcitiâ aut longâ conſuetudine ad brutorum mores abeuntes ad humanitatem diſciplinâ revocare. Tales fuiſſe *Vros* jam dixi, ut proptereà in proverbium abierit, *De Indio Vro ningun hombre eſtè ſeguro: De Indo Vro nemo ſit ſecurus.*

3. Ad hos nihilominus P. M. Ioannes de Sancto Petro Provinciæ Præfectus miſeratione tactus animarum, quæ, ſicut aliorum populorum, æternæ damnationis naſcebantur, manebántque, niſi converterentur, obnoxiæ, accenſuſque omnia ſperante charitate, miſerat, qui opem miſellis ferrent, ex Ordine ſuo veræ ſalutiferæque legis præcones, jactaque erant fundamenta Conventuum *Parienſis* territorij, qui ſunt *Challacolloanus* & *Capinotanus*, anno ſupra milleſimum quingenteſimo quinquageſimo nono, V. Kalendas Majas. (c) Non fuit tamen ante hoc tempus quidquam de his à me tractatum, quòd nunc demùm admiſſa ſit à Definitorii Patribus adminiſtratio tam celebris fundationis à Laurentio de Aldana factæ.

4. Primi porrò præcones fuerunt P. Chriſtophorus Vadillo, & P. M. Loiſius Lopez; huic *Capinotani*, illi *Challacolloani* loci cura mandatâ. Acceſſerunt deindè, ad Patrem quidem Chriſtophorum P. Didacus de Valverde, P. Marcus Garcia, P. Guilielmus Ruiz & P. Rodericius de Vera: in locum verò P. M. Loiſii P. Hieronymus Gavarrette cum P. Ioanne de Saldaña. Hi converſionem Indorum omnium difficillimam

(a) de hoc vide lib. 1. cap. 1.

(b) Vros.

(c) 27. April.

mam ſeu idiomatis obſcuritatem, ſeu hominum indocilitatem ſpectes, aggreſſi ſunt. Difficultatem certè idiomatis, cùm ab advenientium ſagacitate diligentiâque dependeret, perfregerunt improbo ſuo & continuato labore, ut etiam ipſos *Vros* linguæ perfectione ſi non ſuperarent, certè æquarent. In hanc mox Doctrinæ Chriſtianæ rudimenta tranſtulerunt: hâc confeſſionis aliorumque ſacramentorum ritus virtuteſque evulgârunt, hâc publicæ ad concionem dixerunt, privatimque documenta tradiderunt, ut nullum jam eſſet barbaris excuſationis effugium, quod inveniſſe ſe rebantur ſi linguâ *Aymarâ*, quæ apud ipſos generalis eſt nôruntque pleriq́ue, quidquam cum iiſdem ageretur, docti fingere inſcitiam terum quæ diſplicebant, ſcire, quæ arridebant.

5. Major ipſis labor fuit cum indocilitate & obſtinatione gentis, quæ ne doctior fieret meliorve, ipſos magiſtros fugiebat in cavernas & lacum. Hunc ſequendum erat his qui prodeſſe vellent: ſecuti ſunt, ipſum mortis periculum in lucro deputantes. Eduxerunt autem plurimos triginta ac quadraginta annorum; nonnullos annorum ſeptuaginta, qui nondùm in ætate iſta adulta decrepitave quidquam de Chriſto Salvatore aut Chriſti fide inaudierant, ſenſimque vel invitis aliquem humanitatis ſenſum ſuis obſequiis inſtillarunt.

6. Placuit hæc Auguſtinianorum ſedulitas Regiis ſtatim Miniſtris, Regique, qui *Challacolloanos* ſexcentis peſis dotavit, *Capinotanos* mille trecentis & quindecim. Neminem tamen magis evicit quàm Laurentium de Aidana, qui, quòd in Commendata ſibi à Rege Provincia exerceretur, ejus erat aſſiduus ſpectator laudatorque. Vicino ergò hoc toque charitatis in Auguſtinianis exemplo ductus, propoſito ipſis Regibus imitando, ſtatuit bonorum ſuorum participes imò hæredes pauperes ſcribere, curâ adminiſtrando-rum Auguſtinianis commiſſâ.

7. Perfecit autem propoſitum hunc in modum. In tribus Provinciæ *Parienſis* pagis *Challacollo*, *Capinota*, & *Toledo*, qui præcipui habebantur, tria excitari juſſit Xenodochia, in quibus infirmis Indis in medicinis, veſtibus, victuque tribueretur non modò quod neceſſarium videretur, verùm etiam quod eſſet opportunum recreationi, conductis ad hoc duobus chirurgis, proventu ſuæ hæreditatis alendis. Neque hîc ſtetit vaſti illius in dandis eleëmoſynis animi charitas, voluit inſuper ut in eiſdem hoſpitalibus eadem, quæ infirmis, præberentur Indis pueris, adoleſcentibus, pauperibus, incurabilibus, ſenibus, cæcis, læſis, ratus quod erat, animos agreſtis populi his magis commodis illecebriſque, quàm novis atq; ſibi incognitis alliei propoſitionibus; ut in hoc non magis corporum quàm animarum geſſiſſe curam ſit cenſendus. In hoc præterea prudens, quod vetuerit quidquam Indis tribui, quo ad perſolvenda ſuis Dominis tributa juvarentur; tam enim ſunt ſui negligentes amanteſque otii, ut ad laborem deduci non poſſint quàm hac ſolvendi tributi neceſſitate, *Vri* præſertim, qui prætereà nullam aliam ob cauſam ex ſuis cavernis aut lacu poſſent extrahi & in vitæ ſocietatem congregari.

8. Cenſus hic ſub initium quater mille peſorum erat, cui ad incrementum adjungi voluit quæcumque ex vendita pecudê pecunia pararetur. Alebat greges ovium copioſos, qui junctim numerum quatuor millium explebant, vaccas mille. Creveruntque hæc bona, ſedulâ Auguſtinianorum ſollicitâque, quia pauperum erant atque infirmorum, adminiſtratione, tantis acceſſibus, ut non admodùm multis à prima fundatione annis annui proventus vigeſies bis mille peſis æſtimarentur, qui iu modò dictos uſus ſanctiſſimè expendebantur.

9. Diſtrahebat tamen non modicùm hæc ſollicitudo animos Religioſorum

gioſorum ab occupationibus ſacrátioribus, angebatque propterea Prelatos non tantùm ſaluti ſuorum, ſed & perfectioni intentos; factumque tandem, ut ſolent eſſe varia diverſorum judicia, ut anno ſupra ſeſqui-milleſimum octuageſimo quarto planè ſe Ordo hac adminiſtratione abdicaverit, procurantibus id maximè P. Luiſio Lopez Provinciæ, & P. Paulo de Caſtrovi tunc Conventus *Challacolloani*, cui ſcriptis per Laurentium tabulis cura hæc annectebatur, Præfectis; acceptante abdicationem Comite del Villar Peruviæ Prorege, læto novâ occaſione benefaciendi ſuis, cum vellet, tàm opulentâ & quæſtuoſâ, ſi quis ad ſua potiùs commoda quàm indigentium opem oculos deflecteret, adminiſtratione. Omnia (profana ſint an ſacra pro eodem habet) devorat digeritq; ſacra hæc fames, ubi homines invaſit. Hanc verò excludere, cùm tàm lata patent accipiendi impunè oſtia, admodùm eſt difficile. Vt ob hoc potiſſimùm timuerint dicti Prælati illâ diutius adminiſtratione occupari, neſcilicet quiſpiam ex ſuis tam propinquatum occaſionum illecebris caperetur, ſatiùs arbitrantes maximarum potiùs opum jacturam facere, quàm adire periculum paupertatis Deo promiſſę, quâ nihil ſeveriùs in Peruvia à noſtris obſervari ſolitum fuiſſe diximus in præcedentibus non ſemel.

10. Actum ita, meliori tamen conſilio quàm ſucceſſu: nam brevi cibus, qui tot pauperum refectioni ſufficiebat, vix unius par erat ingluviei ac libidini: illiſque paulatim neglectis omnia in luxum ſacrilegè diſſipabantur. Tùm ſera ſubiit animum Auguſtinianorum pœnitudo, ceptaque ſedulò examinari momenta rationum, non ſolùm quibus Religioſæ vitæ cautum erat, ſed etiam quibus ſatisfactum voluntati teſtatoris, & miſeris proviſum eſſe Indis oportuit. Patuitque facilè quàm nihil unquàm rectè decernetur, quando non niſi unius patris commoda incommodaque in conſilia adhibentur. Optimum nunc videbatur, quod non niſi leviter mentes antè conſultantium affecerat, ultimis Laurentii tabulis conformem eſſe, Auguſtinianos addictorum Indorum curam gerere, ac tria hæc noſocomia, licèt multo labore atque aliquo periculo, adminiſtrare. Verùm non erat in recuperandis bonis, atque in renunciandis par facilitas. Erant nunc Regiis adſcripta: didicerant experimento Proreges quàm commodè opulentiſſimos proventus ſuis miniſtris clientibuſve adſignarent. Quare repulſæ irriſioniſque evidens erat periculum, ſi reſtitui Auguſtiniani poſtliminiò poſtulaſſent.

11. Nihil igitur illis ſupererat, quàm feſtinatæ nimis deſertionis pœnitentia, & incuſans apud ejus authores conſcientia, quæ tantoperè P. Paulum de Caſtrovi adflixit, ut in delirium lapſus ſit, in quo perſtitit annos omninò viginti, vir anteà multis virtutibus præditus & ſedulus Regulæ ſuę Conſtitutionumque obſervator. Nam neque aliam habuerat abdicandi cauſam, quàm ne ſibi ne convotis ſuis earum tranſgreſſionis ex tàm arridente occaſione aliquando periculum naſceretur. Delirii ejus qualitas iſta erat. Si quis de rebus cæleſtibus ſpiritualibuſque cum eo loqueretur, obſervabatur non obſcurè externis indiciis mentem ejus his interiùs afficiac oblectari; cæterùm cogitabundus erat oculos in terram pænè ſemper defixus, taciturnuſque, niſi quod non rarò in hoc thema erumperet, *indebitè inconſideratèq; adminiſtrationi hoſpitalium tàm luculentâ in miſeros benignitate inſtitutorum ab Auguſtinianis eſſe renunciatum.* Hæc ſola erat ejus in delirio oratio, iſte vivendi modus ad annum uſque ſexcenteſimum quartum ſupra milleſimum, quo in Peruviam venit Comes de Monterrey Proregis dignitate recèns auctus, verùm à prudentiæ & Chriſtianę gubernationis laude ſemper commendatus.

tus. Sed audi metamorphoſim admirandam.

12. Iacebat de nocte in ſtrato cubiculi, cui incluſus erat Paulus, ſentiebatque irrumpentibus disjecto vicini ſtagni aggere aquis illud repleri, ſilentium tamen ſervabat obſtinatè, donec jam lecticæ altitudini æquarentur, atque ipſe nataret magis quàm decumberet. Tùm prorupit in dormitorium vociferans, & inſtans aquarum periculum denuntians. Adſunt mox è proximo Religioſi attoniti non tàm ſubitâ aquarum irruptione, quàm inſolenti P. Pauli loquelâ, obſervantque ſtudioſè oculorum ictus, agitationem brachiorum, reliquique corporis compoſitionem, neque vident niſi ſanæ firmæque mentis indicia. Nuntiant inſperatam mutationem Religioſo cellæ, in qua Paulus detineri ſolebat, cuſtodi; accurrit, tantoque gaudio eſt oppletus, ut qui venerat videre alium ad mentem rediiſſe, ipſe extra ſuam abiverit, cui poſt aliquot menſes miraculo eſt reſtitutus.

13. Redivit autem P. Paulus non ad mentem duntaxat, ſed ad rigidam etiam Conſtitutionum obſervantiam, orandi verò ſacrificandique fervore ſeipſum ſuperavit octogenario non minor. Angebatur intereà conſcientiâ abdicatæ peſſimo eventu adminiſtrationis *Parienſis*, agebatque apud ſui Ordinis Prælatos, ſibi ut liceret apud Proregem, pauperum juſtitiæque amantiſſimum, reſtitutionem ſollicitare. Timebant illi permittere, de cujus felici ſucceſſu ob cauſas ſuprà poſitas formidabant. Vrgebat ipſe neceſſitatem populi, nomineque ex conſtitutione Laurentii de Aldana acceptatâ debitum: nihil eſſe deſperandum in juſta Dei protectione confidentibus, ſe nihil minus à precibus Religioſorum inopumque Indorum ac Sacerdotum ſacrificiis ſibi promittere. Data tandem P. Paulo agendi apud Proregem licentia eſt, quâ uſus eſt in hunc modum.

Qui tecum, Excellentiſſime Comes, agere præſumit, recèns prodiit è carcere, in quem eum delirium conjecerat, tenuitque annis viginti. Mala, fateor, ſunt hæc ad conciliandas veſtræ benignitatis aures nomina, quia tamen non ſine divino numine accidiſſe totus mihi perſuadeo, non dedignaberis inſolens, ſcio, exordium. Generoſus Vir Laurentius de Aldana ex primis Peruviæ conquiſitoribus unus, fidelitate in Regem in ſeditionibus belliſque civilibus, quorum unum ex alio ſemper natum eſt, nulli ſecundus, Parienſem Provinciam à Rege nec immeritò obtinuerat. Hic animadvertens ille Auguſtinianorum in convertendis infidelibus ſtudia laboreſque, atque econtrà Indorum partim ſtupiditatem partim innatam malitiam; arbitratuſque nullas in barbaros animos penitiùs penetrare illecebras, quàm quæ cum corporis, quæ adferunt, commodis egregiam habent amoris oſtenſionem, bona omnia infirmorum indigentiumque Indorum neceſſitati voluit eſſe attributa, erectis ad hoc noſocomiis tribus, eorum adminiſtrationem Auguſtinianis commendans. Quam neque ſegniter neque inutiliter executi ſunt ab anno Incarnati Verbi M. D. LXXI, in quo Laurentius in vivis eſſe deſiit, ad annum uſque M. D. LXXXIV. in quo ſe Ordo noſter iſta adminiſtratione abdicavit, me, quid enim diffitear? ſi nō ſolo, certè præcipuo auctore. Abdicandi rationes ex ipſa Religionis obſervantia petitæ, atque ideo ſanctiſſima mihi videbantur. Non tamen in conſilium vocaveramus momenta miſeris Indis ſervientia. Obſervatum aliquantò poſt omnem de Indis ſollicitudinem, quam tanto fructu geſſerant Auguſtiniani, luxu avaritiâque cupidorum adminiſtratorum fuiſſe neglectam. Hæc cauſa doloris mei fuit, & delirii quod Deus durare ad adventum veſtrum voluit & cum eo finiri, ut manifeſtè Sua Excellentia intelligat tam ſuaviter fuiſſe omnia ab illo diſtributa, ut eodem tempore eſſet Auguſtinianus, qui deſerta cura reſtitutionem audenter atque Dei, à quo rectum mentis uſum recuperârit, nomine ſollicitaret; & Prorex, qui ſeclusis propriis commodis juſtè eſſet pro momentis rationum judicaturus.

14. Prorex an ſinceritate oratoris,

toris, incertum, an pondere ratio-num occaſioneque pauperibus ſuccurrendi fuerit magis delectatus. Mandat mox ut conſcriptæ ſignatæque de abdicatione tabulæ proferantur, ut iis lectis videat quid pro juſtitia ſit ſtatuendum. Verùm dùm menſes aliquot in iis quærendis prætereunt, ad vitæ priùs quàm cauſæ terminum pervenit piiſſimus Prorex, magno omnium omnis ordinis, conditionis, ſexus, ac ætatis luctu. In hujus locum ſucceſſit, venitque in Peruviam Marchio de Montes-Claros anno M. DC. VII.
(a) 21. Decemb. (a) par præcedenti non magis dignitate quàm virtutibus, qui examinatâ ad P. Pauli inſtantiam cauſâ, acceptiſque deſuper Theologorum, Juriſconſultorum ac Auditorum judiciis, ſuperatis etiam multis, quæ à Regiis miniſtris, commodis adminiſtrationis longâ experientiâ inescatis, opponebantur, contradictionibus, ſententiam pro indigentibus Indis pronuntiavit, hoſpitaliumque adminiſtrationem reſtituit Auguſtinianis, maximâ omnium admiratione & lætitiâ pauperum, acceptantibus reſtitutionem P. M. Alphonſo Maraver & P. Franciſco Poblete tunc Conventus *Parienſis* Priore. Ipſo pronuntiationis die P. Paulus ante Crucifixum in genua provolutus ac lacrymans præ gaudio, veteris Simeonis precatione exclamavit, *Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei ſalu-*
(b) Luc. 2. *tare tuum.* (b) Neque plura (ut ſciamus non aliam ob cauſam fuiſſe eum menti & loquelæ olim reſtitutum) effatus in prioris recidit ſilentii obſtinationem. Paucis duntaxat ante mortem, quam non præſentire ſed prædicere videbatur, diebus factus eſt eloquens piiſſimis orationibus nunc ſua confitens deteſtanſque peccata, nunc divinam in ſe prædicans miſericordiam, quæ tantiſper ſervaverit juſſeritque ad mentem redire, ut idem, qui miſeris Indis imprudens magis quàm malus nocuerat, prodeſſet autor. Sacramenta moribundorum petivit, & ſuſcepit illo devotionis ſenſu, qui omnibus admirationem excitaret & deſiderium ſimilis exceſſus, quo Paulus abiit in terram viventium. Habuit ille patriam parenteſque *del Eſpinal de Segovia*: Ordini autem initiatus eſt in veteri Limenſi Conventu, fuitque dignus tam religioſæ ſcholæ diſcipulus, prout totis quinquaginta annis, quos in Ordine vixit, ſeu privatus ſeu Prælatus, præſtantiſſimis actibus demonſtravit.

15. Remiſſis in adminiſtrationem Auguſtinianis mox patuit quantùm inter diſpenſatores qui ſua & qui aliena quærunt, interſit. Anteà aut nihil aut parùm indigentibus Indis offerebatur: repellebantur aſperè ſi debitum exigerent. Modò ultrò ingeritur ſeu infirmis ſeu pauperibus Indis non tantùm quod ipſa gens parvo vivere ſolita & inaſſueta deliciis reputat neceſſarium, ſed quæcumque ad oblectamentum facere poterant, quorum nec ſenſum habuerat unquàm nec audierat nomina. Non recipiuntur modò ſe offerentes, ſed ſtudiosè quæruntur quibus benefaciant, ducantque ad noſocomia. Et quia horror eſt barbaris in hoſpitalibus curari, deferuntur ad eorum mapalia & cavernas ea, quibus veſtiantur ſuſtententur & recreentur, incredibilibus Auguſtinianorum laboribus, ſed nihil difficile videbatur his, quos charitas Chriſti urgebat. Supra voluntatem etiam teſtatoris eorum in Indos amor aſcendit. Caverat ille ob rationem in tabulis poſitam, nihil ut Indis ad ſubſidium ſolvendi tributi tribueretur. Aſt obſervârunt adminiſtratores aliud non minus, quàm gentis deſidiam, incommodum; fugere ſcilicet ad montes neque inde redire, ne à Caziquis exactione tributorum premantur, quod eſt evidens inſtructionis eorum impedimentum. Minuſque malum eſt ad labores tardum eſſe quàm in fidei Catholicę rudimentis ignorantem,

præſertim cum etiam ſuos fugiant exactores jam baptizati. Sariùs ergò Auguſtinianis viſum ad ſolvenda tributa inopibus timidiſque populis opitulari, ne quæ ad illecebras converſionis eorum rectè à Laurentio de Aldana fuerant conſtituta, ab ipſis pro inſidiis haberentur, fierentque obſtacula. Challacolloanis igitur mille peſa attributa, aliis quingenta vel ſexcenta, initâ cum neceſſitate quorumlibet ratione.

16. Specialibus encomiis digni ſunt labores fructuſque quos in rudibus his populis fecerunt P. Luiſius Lopez poſteà Epiſcopus, P. M. Alphonſus Pacheco, P. Nicolaus de Tolentino, P. Ioannes de Sancto Petro, niſi amplior eorum laudibus locus alibi eſſet tribuendus. Antequàm tamen è Provincia Parienſi egrediamur, merita, glorioſam mortem, atque ipſum P. Ioannes de Saldaña corpus in ea deponemus.

CAPVT III.

Vita, glorioſaq; mors B. P. Ioannis de Saldañæ.

1. IOANNES de Saldaña Ordini Auguſtiniano nomen dedit in primo monaſterio Limenſi anno M.D.LIX. illudque ſuâ modeſtiâ, continuâ pœnitentiâ, rerum cœleſtium amore, improbitate laborum ac obediendi promptitudine conſecutus eſt, ut cum præcipuis Dei ſervis virtutum certamine contenderet. Vix profeſſionem emiſerat, cùm eum ſacrario Limenſi præeſſe Superiores voluerunt, non annos ſed virtutes certiſſimi fidejuſſoris loco habentes. Magnopere hîc ſuâ ſedulitate prælusit ingentibus à ſe poſtea laboribus ſubeundis. Amor ſcilicet Dei cùm ſemel animum invaſit, ubique ſemperque ſibi ſimilis eſt, ac per varias ætatum, temporum, locorumque diverſitates objecta potiùs mutare ſolet quàm operationes. Volupe erat videre Ioannem ſeu Eccleſiam verreret, ſeu ornaret, ſeu tractaret ſacra lipſana, ſeu excuteret ex ſacris altaribus pulveres, ſeu cum ſæcularibus ob ſuas, ut ſolet fieri, neceſſitates accedentibus ageret, ſeu oraret, tantâ omnia vigilantiâ, &, quod in adoleſcente rarum eſt, gravitate humilitateque condiebat; ut vel tunc omnes eum venerarentur, ſolus ipſe ſe deſpiceret.

2. Anno M. D. LXXV. à Patribus Comitiorum Provincialium Prior *Tapacaricenſis* (a) fuit renuntiatus, quæ ei Præfectura etiam ſequentibus Comitiis (b) ob uberes, quos ibi præſtabat, fructus fuit prorogata. Annorum ſpatio omninò ſeptem tam dexterè barbaros illos erudivit formavitque, ut jam non promiſcuorum hominum Remp., ſed Ordinem aliquem Religioſum dixiſſes. Nam & hymnos canere, Eccleſiam & Sacramenta frequentes adire, ternam hebdomadatim flagellationem facere erant edocti, exequebanturque non ſegniter. Pauperes ſeu Hiſpanos ſeu Indos ſtudioſiſſimè benigniſſimeque fovebat, non obvios modò & rogantes, ſed quotquot uſpiam inveſtigare poſſet tam de ſingulis ſollicitus, quaſi in ſingulis ipſe vixiſſet ipſe in illis, non in ſe paſtus veſtituſque fuiſſet: nam ſæpiſſimè neceſſarium ſibi viaticum indumentaque, ut aliis ſubveniret, detraxit. Vna in his omnibus cura erat cavere ne ſciretur, & declinare ſuperbiam etiam bonis operibus inſidiantem.

(a) de Tapacari.

(b) 1579.

3. Poſt hæc ad celeberrimum miraculis ſanctuarium Beatiſſimæ Virginis de *Pucarani* anno M. D. LXXX. I, quantumcumque *Tapacarienſes* obluctarentur, mandato Superiorum Ioanni abeundum fuit cum titulo & authoritate Vicarii, læto illuc ſe certâ, quamquàm ſecretâ

cretâ Dei ordinatione, dirigi, quò eum internus devotionis adfectus impellebat. Plurimùm hîc Eccleſiæ infidelibuſque profuiſſe certò conſtat, parietibus ipſis ſcriniiſque teſtimonium perhibentibus: pro ſe autem obtinuit, quam maximè averſabatur, Sancti æſtimationem. Quam deinde magnoperè auxit binis de ſe factis ab Ordine diſpoſitionibus, quarum unâ Sacrario rursùm Limenſi, (a) alterâ (b) Novitiis fuit præfectus. Vtrumque munus ſanctè ſolerterque executus in aliam iterum provinciam mittitur, Curionem agere *Toleti* (c) juſſus, ipſe in tam variis occupationibus idem ſecum, ſi hominem internum ſpectes; à ſe diverſus, ſi externas functiones, quarum quaſlibet ita exercebat, velut ſi ad ſingulas totius vitæ ſtudiis fuiſſet compoſitus.

(a) 1587.
(b) 1592.
(c) del gran pueblo de Toledo, de quo vide cap. præced. num. 2.

4. *Toletanos* humanos fuiſſe civileſque antè (d) narravimus. Sola ergò apud eos Ioanni cura fuit fidē introducere & corrigere nonnullos in moribus errores, qui facilè irrepunt, irrepſeruntque in omnem Remp. cujus leges intellectus humanus tot tenebris ex peccati originalis pœnâ offuſus, preſſus inſuper pondere viriatæ voluntatis ac malæ conſuetudinis violentiâ, dictavit, ſi non ſuperiori aliquo puriorique lumine illuſtretur, quod nuſquàm, quàm in ſacris literis clariùs elucet, continentque proinde illæ, arbitratu meo, politiam defæcatiſſimam. Vtrumque Ioannes apud populum non malum ac ingenioſum non magnâ difficultate confecutus eſt. Magis eum zelus inſipidorum *Vrorum*, qui aut vicini erant, aut ſuis Toletanis immixti, momordit. Quòd tamen annos pluſculos inter illos vixiſſet, didicerat longâ experientiâ, quibus allicii illecebris, quibus duci artibus poterat gens planè ſylveſtris. His ergò maximam ſuorum laborum partem impendit. Non eum terrebāt pericula laci, non ſpeluncarum tenebræ, non duritia gentis: nihil ipſe, Duce Chriſto, deſperabat. Fuitque non inanis ejus fiducia: plurimos ſiquidem ex aquis & ſpecubus in pagos deduxit, abſtraxitque ab idolorum veneratione.

(d) ap. præ. num. 2.

5. Quadraginta Ioannem annis ita Auguſtiniana Religio exercuerat; & quaſi exigua hæc fuiſſent, addiderat ipſe continua jejunia, ſanguinolentas flagellationes, cilicia mordacia, jugemque orationem, quibus ingentes ſibi meritorum cumulos coacervaverat, ad quorum nunc remunerationem properat. Coluerat ille ſemper magno devotionis ſenſu S. Ioannem Baptiſtam tutelarem ſuum, precatuſque non tarò Deum fuerat, ut feſto illius die ſibi ex hac vita migrare concederetur. Non annuit modò poſtulatis Deus, ſed & præmonuit, quod ille velut certum ſuæ beatitudinis pignus accepit. Quare pridiè S. Ioannis Baptiſtæ ſanus integerque miſit, qui ſollicitè P. Alphonſum Torrejon Cœnobii *Challacolloani* Aſcerarcham, cui ſuberat Toletana parœcia, rogaret, feſtinè ut veniret, adminiſtraretque ultima Sacramenta. Alphonſus ad improviſum nuntium attonitus, arbitratuſq; fortè eū catarro aliove aliquo ſubito humanæ naturæ incommodo occupatum, per quatuor, quibus diſtabat, leucas accurrit, magis etiam ſtupens dum ſanum eum intuetur. Illius ſtuporem cum videret Ioannes, *Nihil te*, inquit, *mi Prælate perturbet, nullus te jocus aut futilis cauſa evocavit. Verùm agitur aliquid, quod cùm meritis meis majus ſit, ſilere mallem, niſi & neceſſitas mea, & Prælati reverentia, ut meipſum evincam, ſuaderent. Et quamquàm iſtud faciendum eſſe ipſe judicem, ſuffundor tamen pudore ſolâ favoris inuſitati mihi creaturarum omnium indigniſſimo à cælo conceſſi memoriâ. Indè mihi revelatum, cras me ad illius gloriam perventurum.* Hæc eloquentem lacrymæ, quas pudor inſtanſque gaudium expreſſerant, obruerunt. Alphonſus converſo in lætitiam dolore, quem ex nuntio periclitantis Ioannis conceperat, & tantùm non invidens illius felicitati, Sacramenta dedit, exegitque totam cùm illo in divinis laudibus & ſermo-

ſermonibus noctem. Cum dies illuxiſſet, converteretque Ioannes ad Virginem matrem ac S.P. Auguſtinum preces, ambos conſpicatus ineffabili ſplendore illuſtres, exclamavit, *Ad quid tantus favor peccatori tam vili? Mater Dei venias ad creaturarum omnium miſerrimam? S. P. Auguſtinus ad indigniſſimum filium? Quas vobis, quas miſerationi divinæ referam gratias?* Hæc dicens lacrymanſque exceſſit, ſecutus ad gloriam ſe vocantes, nullâ corporis agitatione aut mutatione.

6. Prior aliique, qui aderant, plurimi vix ſeipſos præ gaudio capientes certatim ad pedum veſtiumque oſcula proruerunt & didicerunt Indi novam ipſiſque hactenus inauditam moriendi formam. Corpus ejus in Chorum majorem illatum atque ibi ſepultum fuit, tantis Hiſpanorum ac Indorum ejulatibus, ut percipi cantus Eccleſiaſticus non potuerit. Fletibus autem has inclamationes miſcebant, *Cur nos deſeris Pater Sancte, Pater pauperum, medice infirmorum*, pluteſque ſimiles, more Indis uſitato.

7. Nocte conubiâ in ædibus in quibus obdormierat, ac in Eccleſia, in quâ corpus ejus fuerat depoſitum, cæleſtes auditi cantus; iterumque omnium concurſus, occurſuſque, dùm hi ab Eccleſia ad ædes, illi ab ædibus ad Eccleſiam inſolenti novitate rapiuntur. Prior autem & Hiſpani, qui & ipſi cantibus his ſuaviſſimis intererant, opportunitate occaſionis uſi Indorum animos ſeu in recepta recèns Catholicâ fide confirmare, ſeu alios ad eandem perducere aggreſſi ſunt, illis inculcantes hanc eſſe guttam aliquam gaudiorum, quibus Deus implet inebriatque credentium in ſe animas ex hoc corpore egreſſas, totumque poſt reſurrectionem hominem.

CAPVT IV.

De Provinciis Cotabanbas & Omaſayos Ordini noſtro attributis.

1. REX certis nuntiis edoctus, quãtos Auguſtiniani in convertendis infidelibus facerent fructus, Provincias de *Cotabanbas* & *Omaſayas* illis voluit eſſe attributas. Attribuit Prorex Fracíſcus de Toledo. Complectebatur autem Provincia de *Cotabanbas* pagos *Sancti Auguſtini de Cotabanbas*, qui Provinciæ eſt præcipuus, *Cullurqui*, *Sancti Ioannis* de *Totora*, *Colpa*, *Pituanca*, hiſque annexos: *Omaſayos* autem hos, *Totora*, *Oropeſa*, *Mamara*, *Turpay*, *Ariguanca*, *Coraſeo*, *Corpaguaſi*, *Chirirqui*, & *Chuquibanba*. Sunt hæ duæ Provinciæ finitimæ, habentque, ſecundum P. Antonium de la Calancha, latitudinis Auſtralis gradus quatuordecim, alii minuta quædam ſuperaddenda ſunt, ac remotiſſimo quidem quadraginta. Primus *Cotabanbenſis* pagus *Cuzco* abeſt leucis duodecim. Montoſæ ſunt ac temperatæ, niſi quòd in quibuſdam præruptis calentiores. Producunt non modò quæ vitæ ſunt ſuſtentandæ neceſſaria, verùm etiam quæ ſerviant ad oblectamentum, piſces, gallinas, perdices, pecora, fructus, flores.

2. Primus illuc coloniam Auguſtinianorũ deduxit, ac initia Cœnobio S. Auguſtini de *Cotabanbas* dedit veteranus (quippè qui inter primos (a) in Peruviam trajecit) & toties novarum gentium Apoſtolus P. Antonius Loçano anno M. D. LXXI. In partem autem laborum & gloriæ acceſſerunt P. Marcus Garcia, P. Didacus

(a) lib. 4. cap. 2.

Didacus de la Serna, P. Ioannes de Riberos, P. Antonius de Reboiledo, P. Franciſcus Nuñez, & P. Ioannes Maldonado. Profecerunt autem feliciſſimè apud gentem neque admodùm malam, neque rudem, ſed quæ plurimùm idolorum cultui fuerat addicta, quæ poſtquàm illorum inanitatem fraudeſque dæmonum à novis his Apoſtolis fuit edocta, tranſlatâ in verum Deum devotione, ipſa ſibi ad majora incrementa fuit opitulata. Eccleſias habent ornatas, gratam auribus muſicam: frequentant Sacramenta; Adventus & Quadrageſimæ tempore adſunt ad diſciplinas, & ad Antiphonam ex conſuetudine illarum Provinciarum cantari ſolitam, ſingulis noctibus ac ſpecialiter ſe devotioni addicunt plurimi.

3. De his Apoſtolis particulatim dicendi ſuus aliquando occurret locus. Hîc P. Ioannem Maldonado ſubnectemus, cujus cum admirabilis fuerit ad meliorem vitam converſio, in convertendis ad ſanam fidem, inſtruendiſque his populis ad finem uſque vitæ perſeveravit.

CAPVT V.

Mirabilis converſio, vitaque P. Ioannis Maldonado.

1. VBI, quibuſve parentibus fuerit ortus hic Ioannes Maldonado, non inveni; conſtat tamen fuiſſe nobiliſſimum, ac patruum habuiſſe potentem illum Didacum Maldonado, quem ob id communiter in Peruvia Divitem (a) appellabant. Erat Ioannes magno animo præditus viribuſque, quemque nulla unquàm pericula terruerunt, quare maximum apud milites conſecutus eſt nomen, à Rege autem ſuâ in bellis civilibus fidelitate & factis non parva præmia merebatur. Verùm hæc non tam Virius quàm favor diſtribuere ſolet, Principe præſertim longè abſente, miniſtriſque in ſanguinem ac familiares inuentis, quorum proindè injuſtitia præſtantiſſimos ſæpè à Principum ſuorum obſequiis, irreparabili nonnumquàm damno, avertit. Querebatur id non rarò Ioannes, variiſque tepulſis irritatus Gonſalvum Pizarrum primùm, deindè Franciſcum Ferdinandum Giron diverſis temporibus rebellantes ſecutus eſt, iſto certè damnandus quod in Regem arma ſumpſerit ſolâ læſus culpa Gubernatorum. Durantibus ſeditionibus ſæpè ac variâ fortunâ pugnavit, nonnunquàm adversâ, pluries proſperâ; utramque amplè deſcripſerũt Antonius de Herrera & Palentinus; nos ſtrictim, memores non alia nos bella tractare quàm idolis dæmonibuſque illata. Generoſis tamen animis ſemper inſidet altè reverentia Regum, quam etiamſi violentus animi impetus nonnumquàm offuſcat, nunquàm extinguit, quæ diſſipatâ indignationis nebulâ reviviſcit rurſus, roboraturque, velut cùm aqua calorem, quem ex vi præſentis ignis conceperat, eodem abſente expellit, reſtituitque cognatum ſibi frigus. Ioannes certè ſuperatâ irrationabili irâ, & defæcato ingenitæ nobilitatis oculo dedecus rebellionis intuitus, deſertis rebellium caſtris, ad regia redivit, cauſaque fuit quòd hæc memorabili aliorum ſtrage finem bellis inteſtinis imponerent.

2. Tot alternantis fortunæ ludis nauſeabundus Ioannes, quieti ſuæ Cuzcum, ſibi victurus, elegit, hoc ex rure novem decemve leucas indè remoto percepturus commodi, ut quoties eum urbis ſatietas cepiſſet, eam loci mutatione fugaret. Rus hoc in valle *Limatambo* ſitum erat. Vallis ipſa amœnitate cum præcipuis mundi, ſeu loci naturam, ſeu arborum ex arte plantatarum ordines, ſeu aëris ſpectes temperiem, certare

(a) Maldonado el rico, vide lib. 3. cap. 4. num. 18.

certare poterat. Hîc Ioannes oblectamenti causâ nonnunquàm pluſculos menſes exigebat, ibidem occaſione potiùs, quàm propoſitò factus procus, illo certè feliciſſimus quod tunc illi ingentis amoris indicia Deus manifeſtârit, ſpectaculo magis infortunatæ pulcritudinis, quam conceſſione cupitæ.

3. Vivebat in illis vallibus Inda formoſiſſima, eâq; ratione appellationem conſecuta *Collanamſumac*, quam ſi verbotenus transferas, idem erit, ac *formoſitas formoſitatum*; ſi ſecundum ſenſum, *formoſiſſima*, conſuetudine gentis ita ſuperlativos exprimentis. Hanc plures deperibant Caziquæ, & certamine ſtudiorum munerumque præcipuam ejus gratiam promereri ſatagebant, inter quos ſpem fruendæ concipere non dubitavit Ioannes, ſeu errore amantium nullos ſibi comparante, ſeu fortunâ exterorum illis ſæpè magis quàm popularibus favente, ſeu induſtriâ ſuâ barbaram, ut ſperabat, ſuperaturâ. Verùm præſtantius aliquid beatiuſque de illo decreverat ſuprema mens, cujus infallibili diſpoſitione factum, ut ditiſſimus aliquis Caziqua Ioanni præferretur, tunc quidem mœſto, quia divini conſilii ignaro, brevi autem mœſtitiam in gaudium mutaturo. Initur matrimonii contractus, parantur epulæ, invitantur magno numero convivæ, ſeu oſtentatione gaudii, quòd cæteris eſſet prælatus, ſeu decoro gentis, conviviorum pompam ex multitudine convivarum æſtimantis: diſponuntur in patula area, quam effoſſæ & congeſtæ in cumulum glebæ cingebant, menſæ, bibitur ad ebrietatem. Sponſa, an nauſeâ tàm diuturnæ & intemperantis potationis, an deſiderio recreandi ſe inter vicina ac amœna arboreta, an aliam ob cauſam, incertum, extra areæ ſepta ſub veſperam egreditur, unâ ſociata pediſſequâ, neque longè gradum promoverat, cùm eam derepentè invadit arripitque ingens tygris, pediſſequâ nequidquàm vociferando auxilium implorante, niſi quòd eam exaudiret Ioannes Maldonado illâc fortè, dùm ſclopeto avibus inſidiatur digeritque dolorem, tranſiens. Hic cognitâ ejulatûs causâ alteram ſuperinjicit ſclopeto glandem ac cruentam beſtiam inſequitur, dùm intereà ad diu continuatos clamores accurrunt minùs ebrii Indi. Tigris ad inſequentem ſe ſclopetarium recurrit tanto impetu, ut nullâ collimatione, ſolâ emendandæ vitæ promiſſione Deo factâ, explodere, quocumque glandes differrentur, neceſſe fuerit. Perlatæ ſunt autem, Deo proculdubio ictum dirigente, tam fortunatè, ut omnibus videntibus conciderit in medio curſu acuenſque ſe ad ſecundam prædam tygris. Tùm ipſe alacer aliique cum ipſo Indi pervolant ad derelictam à tygride novam nuptam, quam inveniunt diſcerptam ac mortuam, triſti ſpectaculo ac cataſtrophe.

4. Dumque alii incondîtis, quos exprimebat magnitudo doloris, clamoribus vallem, montes, cælumque replent, Ioannes in ſe converſus, *Haccine*, inquit, *eſt illa ſpecies, pro qua tanto tempore atque à tot tantiſq; viris obſequiis pugnatum fuit? quam toties ego & tam fervidis votis concupivi prodigus animæ meæ corporiſq; ut illa frui daretur? Heri felicem æſtimavi Caziquam, cui uſura tàm excellentis formæ promiſſa fuerat, quæ modò non ſervit, niſi ad incrementum miſeriæ & deſperationis. Vbi nunc corpus illud velut ex jaſpide aut porphyrio fuſum tot exiguis venis cæruleis interciſum? ubi flavi & à natura modicè criſpi capilli? ubi frons illa velut alabaſtrum nitens? ubi oculi ſerenâ verecundiâ radiantes? ubi genæ liliis roſiſq; depictæ? ubi lactea cervix? ubi tam excellens, totius corporis habitudo? Nónne omnia uno momento ac me ſpectante facta ſunt ludibrium infamis beſtiæ? idq; primâ nuptiarum die atque inter epulas? O infidum pulcritudinis idolum, cui tot ſuas animas cultu pluſquàm latriæ conſecrârunt, conſecrantq;! Iſtud tam exiguum bonum fragileq; immenſæ & æternæ beatitudini præfertur? Pudet, heu! pudet me tam longæ vanitatis & dementiæ!*

5. Nec

5. Nec deſidioſæ hæ querelæ fuerunt. Eodem namque momento votum capeſſendæ Religionis concepit, inſignes pœnitentiæ fructus mox parturus. Perrexit incunctanter ad Cœnobium Auguſtinianorum Cuzcenſe; admitti petiit in Religioſorum ſocietatem ſtupentibus omnibus: re examinatâ admittitur. Ille bellare doctus aliud hîc hoſtium genus ſenſit, aliiſque armis vincendum. Hoſtes, dæmon, mundus, caro; & cum ea quot non legiones malarum inclinationum conſuetudinumque? In hos ſolus ipſe contendit, ſed armis egregiis fortibuſque tectus, ciliciis, diſciplinis, jejuniis, humili obedientiâ & oratione pænè non interruptâ: quibus & hoſtes ſuperavit, & auxit apud Confratres æſtimationem. Quare mox à profeſſione Sacerdotio eum initiari voluerunt, inuſitato in Ordine noſtro exemplo, ac proinde indubitato vitæ Religioſæ teſtimonio.

6. Ac prætereà nemo Hiſpanorum expeditiùs duas in Peruvia generales linguas *Quichua* & *Aymarà* loquebatur, quod magnum eſt ad convertendos infideles ſubſidium. Ne ergo hoc talentum diutiùs eſſe inutile ſineretur, miſſus eſt anno M. D. LXXI. ad has, de quibus modò agimus, Provincias *Cotabanbas* & *Omaſayos*, in quibus indefeſſè munus Apoſtolicum executus eſt ad annum uſque M. D. LXXV. Tùm duos annos eodem munere in vallibus *Abancay*, ubi Cœnobium
(a) nueſtra Señora de O. noſtrum *Domina de O.* (a) vocabatur, exegit. Indè ad Provinciam *Cotabanbas* rediens in ea perſtitit ad annum M. D. XCII. ſeu ſubditus ſeu tertiùm. Prælatus incredibili profectu, qui eum ibi pænè fecerat neceſſarium. Nam cum M. D. LXXIX. laboribus ac infirmitatibus fractus, Patribus, ut indè evocaretur, ſupplicuiſſet, reſponſum eſt, ejus ibi præſentiam requiri, in infirmitatum tamen ſolatium pagum Sancti Ioannis de *Totora* concedi, cæteris minus laborioſum.

Tom. II.

7. Verùm homo poſt multos labores rude donandus, majorē quàm famam ſuam, hoſtem non ſenſit, ob quam quieſcere nunquàm eſt permiſſus. Inſtantiâ ſiquidem Antiſtitis Cuzcenſis aliorumque dignitatibus Eccleſiaſticis præditorum, qui jam-pridem famâ nuntiante didicerant, quos ab infidelibus non admodùm remotis fructus retuliſſet, factum fuit, ut Cuzcum à ſuis Prælatis vocaretur, ſpe ſimilium profectuum ſi ex illius urbis cathedris ad populum more ſuo diceret. Præſtitit id quamdiu gravis ætas & continuati ſemper dolores permiſerunt, quibus tandem obrutus ceſſit, conceſſitque in patriam feliciorem, ubi eum congeſta tot annis ac præmiſſa merita præſtolabantur.

CAPVT VI.

Quid in Hiſpania ac Romæ fecerit P. Didacus Guitierrez.

APPVLISSE ex Peruvia in Hiſpaniam, tàm longæ profectionis cauſam, honorificum P. Franciſci Serrano de eo teſtimoniū, quodque illi iter Romanum diſſuaſiſſet, jam me narraſſe (b) memini. Ve- (a) lib. præced. cap. 4. 1.
rùm nunquàm clariùs patuit quanto animo negotia novi Orbis ſuorumq; Confratrum deſideria complecteretur, quàm cùm non tantùm res difficiles, ſed etiam creditu impoſſibiles, quas fortè alii non tentaſſent, perfecit.

2. Romæ nullas iſto tempore Indulgentias poſſe obtineri illi dictum erat. Et ne levitatis dictum accuſetur, dixerat P. Serranus Prælatus ejus, novem annos Præfectus Provincialis, vir probitatis

 pruden-

prudentiæque integerrimæ. At nihil impoſſibile amantibus videtur. P. Didacus certè & ab obluctante P. Serrano Romam adeundi precibus facultatem extorſit, ipſumque, cum Romæ eſſet, Pontificem Pium V. ſuperavit, cumulatiùs omnia, quàm ſperare potuiſſet, conſecutus. Pius ſiquidem verè pius, & conſervandæ augendæque Chriſtianæ fidei quàm maximè invigilans, cùm ex P. Didaco minutim intellexiſſet, quàm amplis progreſſibus illa tùm Auguſtinianorum tùm aliorũ operâ in novo ſe mundo dilataſſet, non continuit ultrà paterna viſcera, ſed ea liberaliſſimè in dandis Indulgentiis & Sanctorum reliquiis profudit, auſus etiam ſcindere Sanctiſſimæ crucis lignum, ut in quo Salvator omnium pependerat, aliqua ejus pars à novis hiſce Chriſtianis videri poſſet & honorari: nihilque unquàm pretioſius in novum hunc mundum fuit tranſlatum. Verba Pontificis, ut major dictis noſtris fides aſtruatur, annotare placuit. *Ex dicta Sanctiſſimæ crucis ligno quod in Sacriſtia Apoſtolica reconditum ſervari curamus, quandam parvam particulam eidem Didaco, quam ad dictas Indiarum partes reverenter tranſportare debeat, libenter donaverimus & elargiti fuerimus.*

3. Hæc Romæ, quæ impoſſibilia pleriſque videbantur, feliciter Gutiertius geſſit. Hiſpaniarum quoque Regem Philippum II. in tanta rerum omnium, quæ objectabatur, anguſtia, non minùs faventem eſt expertus. Nam amplas ſurgentibus monaſteriis eleëmoſynas deſtinavit. Sumptus, quotquot novi illuc Apoſtoli transfretarent, Apoſtolis dari præcepit, inſuper, nullâ temporis limitatione, medicinas infirmis, Sacrificiis vinum, oleum lampadibus. Anno prætereà M. D. LXXII. expeditis ſuper eo literis omnibus Epiſcopis, Audientiiſque Peruviæ mandavit, ut ſervarent novam Pontificis bullam Romæ datam anno M. D. LXVII. quâ & vetera Mendicantium privilegia confirmabat & conferebat nova.

4. Interfuit inſuper Gutiertius Provincialibus Caſtellanæ Provinciæ Comitiis, quæ ſuis ſuffragiis Præfectum Provinciæ impoſuerunt egregium virum P. Gabrielem Pinelo. Quid porrò in eis egerit Gutiertius, ſequentes Pinelli literæ dicent.

Muy Reverendos Padres en eſte nueſtro Capitulo qui ſe celebrò en el monaſterio de San Auguſtin de la villa de Villadolid, ſe hallò el Religioſo y zeloſo Padre Fray Diego Gutierrez Procurador, general de eſa Provincia, con quien tuvimos todo contento y alegria por las buenas nuevas, que nos dio del frutu que nueſtros Religioſos hazen en eſas partes mediante el favor del Señor. Su Mageſtad ſea ſervido de darles gracia para que guien animas al cielo, que eſto nos obliga mucho a privarnos de las plantas, que con trabajo tenemos criadas para el ſervicio de la Provincia, y darlas para el aumento de eſa, y aſi lo que nueſtro Predeceſſor le concedio, con entera voluntad le confirmamos En lo que toca a la viſita que empeçò el Padre Fray Luys Alvarez en eſa Provincia por comiſion del Padre Provincial deſta, ſegun ſomos informados, cesò por mandato de nueſtro Predeceſſor, haſta ver los recaudos deſto ocaſion no ſe proceda en ella, los quales vueſa Paternidad embiarà con brevedad, porque ſabemos el contento que ſe recebirà en eſa Provincia de la proſperidad que ay en eſta en Religion, letras y pulpito. lo hazemos ſaber a vueſa Paternidad para dar gracias al Señor por ello, y nos haga encomendar a ſu divina Mageſtad que proſpere y guarde en ſu ſanto ſervicio. De Valladolid a veynte y nueve de Iulio de mil y quinientos ſetenta y dos.

5. Et ne quidquam P. Gutiertii felicitati defuiſſe putetur, etiam præſtantium Religioſorum animos, ut deſertâ patriâ in barbaras regiones proficiſcerentur, evicit. Felicitas tamen iſta humana fuit, quæ nunquam non aliquid adverſi habet admixtũ. Nam & P. Balthaſarem de Armenta etiam à Provincia Peruana in Hiſpaniam miſſum amiſit, & apud eos, qui bis mille peſa à Rege

ſibi

ſibi conceſſa ſolvere juſſi erant, expertus eſt, non eſſe æquè facilia *promittere & dare*, miniſtris præſertim, dùm ſuis interim ſtudent commodis, Regia beneficia ſuâ tergiverſatione gravantibus. Dilatio ſolutionis in alterum etiam annum Noſtrorum profectionem diſtulit: illo autem cum P. Didaco Gutierrez ad ignotas hactenus terras, ſolâ charitate fortes alacreſque, ſolverunt

P. Gaſpar de los Reyes
P. Dominicus de la Sermanda
F. Didacus de Caſtro Diaconus.
P. Melchior de los Reyes.
P. Petrus de Solis, Mayorazgo en Badajoz.
P. Ioannes de Aillon.
P. Ioannes Cagica.
P. Petrus de la Fuente.
P. Didacus de Genova.
P. Lazarus Fernandez.
P. Franciſcus Navarro.
P. Franciſcus Ximenez.
P. Didacus Nieto.
P. Iulianus Martel.
P. Ioannes Martinez de Ormachea.
P. Bartholomæus de Aranda.

6. Appulerunt autem ad portum Limenſē *Callao* anno M.D.LXXIII. poſt Sacroſanctæ Trinitatis ſolemnitatem die quartâ. Vbi cùm ſe ex nauſea maris tœdiiſque itineris aliquantùm refeciſſent, quilibet opus, ob quod venerant, ad nutum Superiorum non ſegniter aggreſſus eſt, ut dicetur aliquando. Luctuoſam autem P. Bartholomæi de Aranda toti Peruviæ mortem (erat enim ſingulari doctrinâ ac eloquentiâ præditus) uno hîc verbo annotabo. Dixerat ad populum *Chuquiſaca*, more ſuo, ferventer, hinc ſitim contraxerat, quam ut ſedaret, bibit ex obvio poculo modicè quidem pro ſitis vehementia, ſed ſibi fataliter, errore liquoris in poculo contenti: arbitratus enim vinum eſſe, ſumpſit atramentum, quod candidam ejus animam illo ipſo die in cælum tranſmiſit. Id enim à virtutibus, quibus vixerat, id à zelo, quo in vitia & idola detonabat, ſperare fas eſt. Præter quæ etiam illud omnibus mirabile viſum fuit; elapſis ſcilicet plurimis annis, cùm terra è loco, in quo P. Bartholomæus humatus fuerat, effoderetur ad parandum alteri Religioſo recèns defuncto ſepulchrum, repertum eſt illius corpus non modò integrum ſed & ſucculentum. Quare claudi quidē hoc ſepulcrum juſſit Prælatus & alteri terræ Religioſum mandari, illâ tamen incuriâ, quæ plurimorū eſt, quod nullo ſigno notaverit hujus ſepulturæ locum, ut propterea & Eccleſiæ & frequenti Religioſorum mutatione tam pretioſæ exuviæ ignorentur, obſervatæ tamen ab æterno omnia videntis Dei oculo, qui eas, cùm illi viſum fuerit, manifeſtabit.

CAPVT VII.

Limenſis Cœnobii ſitus mutatur.

VBI nunc Limæ Parœcia S. Marcelli eſt, olim fuit vetus Auguſtinianorum Cœnobiū, ideò perpetuâ veneratione dignum, quod exiguo illo viginti-duorum annorum tempore tot ſanctitate ſcientiiſque præſtantes viros produxerit, plurimorum etiam, quorum animæ, poſt exactam magnâ innocentiâ indefeſſiſque laboribus vitam, ad meliorem patriam abierant, corpora ſuo ſinu receperit. Nunc autem illud in alium locum transferre Patribus, Provinciæ præſertim Præfecto P. M. Luiſio Lopez, & Conventus Priori P. Antonio de los Reyes, qui P. Franciſco Martinez de Biedma, poſt ejus ad Inſulas Philippinas diſceſſum, ſucceſſerat, viſum fuit. Mutationis cauſas, annum, diem, modum, contradictiones aliorum, ſceda dicet de his à P. Provinciali Luiſio conſcripta.

2. *Al cabo de veynte y dos años, que la Orden eſtava fundada en la ciudad de los Reys, viendo el ruin ſitio que tenia, y que aunque al principio de ſu fundacion ſe pensò que la ciudad ſe eſtenderia hazia la mar, deſpues ſe fue eſtendiendo al contrario, hazia la parte de arriba ſiguiendo el agua limpia, por donde el Convento ſe quedò al cabo de la ciudad faltò de agua, y eſa que avia muy ſuzia, y falta de tierra para labrar, y enfermo, lleno de moſquitos. Por eſtos y por otros inconvenientes, no obſtante que tenia dos quartos hechos, el uno de celdas altas y bajas, y el otro que ſervia de Igleſia, el P. Fray Luis Lopez ſiendo Provincial ſe determinò con todo & ſecreto poſible de traſladar el monaſterio a la quadra donde al preſente està, y aſi Martes como a las ocho de la noche nueve de Iulio de mil y quinientos ſetenta y tres con media doçena de Frayles ſe metio en una caſa pequeña, que de ſecreto eſtava conprada, y llevando conſigo un eſcrivano Alonſo de Valencia, tomò la poſeſion delante de Pedro de Vega Alcalde; y quando vino media noche ya eſtava la caſa pueſta en forma de monaſterio. adereçado la Igleſia, y pueſtas campanas, tañido a ſilencio, y rezados Maytines. y como a las tres de la mañana ſe començaron a decir las Miſas, y a ſu hora el P. Provincial dijo la miſa cantada con mucha ſolenidad de la commemoracion de nueſtro Padre San Auguſtin, porque aquel dia ſe rezava della; al cabo de tres dias vinieron los Padres Dominicos y Mercenarios, poniendo grandes pleijtos ſobre las canas, y por echarnos del ſitio con violencia y neceſidad, ſe concertaron las dos Ordenes, y conpraron a Bartolome Garcia la caſa de la eſquina, que era el principal ſitio de la quadra, y aſi una noche muy de ſecreto tomaron la poſeſion, ronpiendo una pared muy grueſa de la calle, entraron las dos Ordenes, y ſe fueron derechos, los unos a quitar la canpana, y los otros a poner ota canpana ſuya, y otros a cantar Maytines. Dioſe parte a la Audiençia Real que vinieſe a evitar aquel eſcandalo, con que ſe alborotò la ciudad con diſcenſiones. Vino la Audiencia y el Proviſor del Arçobiſpo, a los quales el dicho Provincial pidio augilio, y dando ſelo, no obſtante que eſtavan cantando Maytines, los obligaron a ſalir de la caſa, con eſtar dentro el Padre Provincial de Santo Domingo, y el Viſitador de los Padres Mercenarios con la gente mas granada de ſu Orden, y quedamos en pacifica poſeſion, aya ſido para mayor gloria de Dios. Dioſe cuenta a ſu Mageſtad de las contradiciones y pleytos, y mando por ſu cedula dada en Madrid año de mil y quinientos ſeſenta y quatro a dos de Otubre, que nos favorecieſe y anparaſe el Virrey.* Novum hunc Conventum latè deſcripſimus libro ſexto.

HISTORIÆ PERVANÆ LIBER XIII.

De converſione Vilcabanbæ per Auguſtinianos, baptiſmo duorum Ingarum, apoſtaſia unius, & utriuſq; tragica morte, ac de illuſtri martyrio P. Didaci Ortiz, Proto-martyris Peruviæ. &c.

CAPVT I.

Quædam præmittuntur, ut ſolidior ſit ſequens hiſtoria.

1. CHARITATIS Auguſtinianorũ erga infideles, lætorum progreſſuum, incredibilis ingratitudinis, crudelitatis barbaræ, patientiæ in martyre inauditæ, vindictæque divinæ inſolitis exemplis plenus hic liber eſt. Quæ ut diſtinctè proponamus, operæpretium erit & tempus noviſſe & regni ſtatum. Quapropter brevi methodo in memoriam ſunt revocanda, quæ prolixè primus ſecunduſque hujus hiſtoriæ liber narravit.

2. Mortuo *Guaynacava* duodecimo Peruviæ Ingæ ſucceſſit filius ejus natu major *Guaſcar*, ſed infelicibus prorſus auſpiciis, fatoque cruento, rebellione ſcilicet fratris minoris *Ataguálpa* ab initio agitatus, extinctuſque parricidio in *Xauxa*. Atagualpam Franciſcus Pizarrus in *Cajamarca* cum fortiter ſuperaſſet, non ſine præcedentis gloriæ macula occidi juſſit. Poſt quos regni gubernacula *Mancocapac* ejus nominis ſecundus ac *Guaſcaris*, *Atagualpa* & *Guaynacâva* frater ſuſcepit, in concitandis univerſim in Hiſpanos Indis ferventior quàm fortunatior. Multùm tunc utrimque ſanguinis fuſum fuit, actumque erat de Hiſpanis, niſi hi altiori ordinatione monarchiæ Peruanæ fuiſſent deſtinati. Fatigare tamen *Mancocapac* maluit majorum ſuorum fortunam, quam increr cedere indignanti. Quare in *Vilcabamba* montes Andeſque ſecedens, ruptis undique pontibus, injectis in ſemitas arboribus & ſaxis ingentibus, atque diſpoſitis opportunè numeroſiſſimis Indorum copiis, omnem Hiſpanis aditum intercludere ſategit, niſi fortè ipſi pœnarum metu aliamve ob cauſam gentem ſuam fugientes ad Ingæ patrocinium convolaſſent. Neque tunc, niſi ejurato Hiſpaniarum Rege, ulla aſyli ſpes erat. Et perſtiterunt apud fugitivum non obſcura majeſtatis majorum ſuorum veſtigia, infractus in rebus arduis animus, & reverentia ſubditorum, regibus etiam florentibus invidenda. Ejus adhuc imperium audiebant plurimæ Provinciæ, ut *Manaries*, *Momoris*, *Sapacaties* aliæque, quæ magnâ copiâ militem ad Ingæ arbitrium ſuppeditabant. Non pauci ex regionibus, quas Hiſpanorum vires occupaverant,

rant,

rant, Indi, exoſi novas leges externumque cultum, avidè ad ſuos populares confluebant, nec admittebantur, niſi culta à majoribus idola venerarentur. Rebus ita conſtitutis, & Franciſcum Pizarrum, & Rodericium Ordoñez à Didaço de Almagro miſſum, dùm perrumpere vi in ejus ſtationem niterentur, fortiter glorioſeque repreſſit; auſus inſuper ultrò excurſionibus inimicum laceſſere, ut Hiſpanis redditus fuerit formidabilis, laborarentque illi eum ad pacis conditiones invitare, magnorum titulorum & cenſuum opulentorum promiſſis, quam vix tandem obtinuit Blaſco Nuñez Vela Prorex, per Gomeſium Perez, qui Cuzco ad Ingam profugerat, eratque ei in deliciis, quas Gomeſius paulò poſt, impetu actus impotentis iræ, magno ſcelere fœdavit. Didicerat Inga longo cum fugitivis Hiſpanis, maximeq; Gomeſio, commercio non tantùm eorum mores ſed & luſus: his ſe oblectare allato pacis contractu voluit: luſum fuit globo, initâque inter Ingam & Gomeſium diſceptatione, cum hic irreverentiùs, quàm par erat, Ingæ loqueretur, ille alapam Gomeſio impegit. Gomeſius opprobrii impatiens arreptum ſubito motu globum temporibus Ingæ impreſſit & occîdit, ſed quem mox cum omnibus, qui in *Vilcabanba* erant, Hiſpanis furentes Ingæ morte Indi, defuncti manibus immolârunt. Quàm facilis caſus maxima humani ingenii molimina evertit, quando luſus in publicum lætitiæ de inita pace teſtimonium inſtitutus, eandem, priuſquàm plenè naſceretur, extinxit.

3. Poſt patrem Mancocapac, hæres Regni factus eſt filius natu major *Sayritupac*, cujus ad fidem Catholicam, atque ad Regis Hiſpani obedientiam acceſſionem, prolixè ſuprà (a) ſcripſimus, ex cujus filia unica Marchiones de Oropeſa deſcêdunt. Defuncto ſine prole maſcula ſucceſſit ejus frater ſecundò genitus *Cuzitito Quiſpe Tupangui*, ſecum habens in *Vilcabanba* tertium germanum *Tupac Amaro* non imperii, ſed habitationis conſortem.

(a) lib. 7. cap. 7.

4 Eſt porrò *Vilcabanba* terra montoſa continuiſque ferè *Andibus* producta, calida ut plurimùm, habet tamen partes multo frigore moleſtas. Omnis in univerſum continuis ferè pluviis eſt obnoxia. Non caret argenti venis, & fuit antiquis temporibus ex ejus montibus erutum auri plurimum. Poſtquàm tota in Hiſpanorum venit poteſtatem, erexerunt illi municipium in ea *Sancti Franciſci de Victoria* dictum, quod verſus Orientem leucas ampliùs viginti Cuzco recedit, habens latitudinem auſtralem medio gradu, quàm Cuzcum, majorem, quæ eſt in decimo quarto.

CAPUT II.

Auguſtiniani prædicant fidem in Vilcabanba, convertuntq; Monarchiæ Perüanæ Ingam ſeu Regem.

QVANTA eſſent in Vilcabanba prędicandæ fidei obſtacula, facilè conjiciet, qui, quod capite pręcedenti diximus, penitiori oculo conſiderabit. Pugnabat ſiquidem contrà eam non ipſa modò hominum barbaries, ſed conceptum pridem nutritumque in nationem Hiſpanicam, à qua ſubjiciebantur, odium; quod ſedulò fovebant Ingæ ſeu veteris commemoratione majeſtatis pro magna parte ab adventitia gente per violentiam oppreſſæ, ſeu ſumptis armis ſubditos ad propulſandam injuriam animantes pro- 1.

poſito

poſito priſtinæ libertatis decore, dedecoreque vilis ſervitutis.

2. Verùm & hæc tam immania impedimenta perrumpere charitas Auguſtinianorum ſperabat, edocta non uno exemplo vires magiſterii, quo Deus, quò vult, humana corda inflectere poteſt, & ſæpè ex infinita ſua miſericordia ſolet. Hoc ergò animo primus Spartam illam aggreſſus eſt P. Marcus Garcia anno ſupra milleſimum quingenteſimum ſexageſimo ſexto, qui ab annis novem Auguſtiniano Ordini Limæ fuerat initiatus, oriundus *Oternelo* Regni Legionenſis. Hic triennium præcedens *Capinotenſibus* impenderat, & quia eximio id à ſe fructu factum obſervârat, nihil in poſterum reputabat impoſſibile. Quare communicato cum P. Ioanne Bivero Cœnobii Cuzcenſis Aſcerarchâ, ſub quo Marcus vivebat, conſilio, inſtructuſque rebus neceſſariis difficilem provinciam aggreditur. Ac ne quis eorum, quæ dicentur, fidem habeat ſuſpectam, præmonitum lectorem volo, omnia, ſeu quæ de laboribus P. Marci, ſeu de P. Didaci Ortiz martyrio, ſeu de caſtigatione barbarorum ac *Vilcabanba* deſolatione toto hoc libro narrabuntur, eſſe deſumpta ex informationibus diligentiâ Patrum noſtrorum Peruanorum factis, atque Romam ad Summum Pontificem miſſis ad obtinendam ab eo B. P. Didaci Ortiz Peruviæ Proto-martyris beatificationem. Quas nemo cavillari poteſt, quod apud judices ſæculares inanimadvertentiâ Religioſi ad illas deputari, ac multitudine bellorum & Epiſcoporum infrequentiâ, fieri cœptæ ſint, has enim poſteà ratihabuit ac perfecit doctrinâ ſimul ac pietate excellens Antonius de la Raya Cuzcenſis Antiſtes.

3. Omnem ad Vilcabanbam aditum aut fluviis aut arborum ingentiumque ſaxorum obſtaculis fuiſſe interclusum diximus. (a) Quibus & iſtud accedebat incommodi, neminem Indorum, ſi de vado aliquo ſecretâve ſemitâ rogarentur, aliud

(a) cap. 1. num. 2.

ſeu metu ſeu reverentiâ Ingæ reſpondere ſolitum fuiſſe, quàm nulli ſibi eſſe quæ petebantur, aut à ſe ignorari. Quare deſperatum Hiſpanis cum *Vilcabanbenſibus* commercium omne habebatur: ſola viam charitas, quamquàm non ſine maximis laboribus, invenit, penetravitque P. Marcus non in Provinciam modò, ſed ad ipſum etiam Ingam ad inſolitam hominis ſpeciem & habitū obſtupeſcentem iratumque, quòd ſuo ingreſſu monſtraſſet nondum ſibi ſatis ab exteris cautum. Humanitate tamen ſuâ rationibuſque P. Marcus animum barbari, non tantùm ut non ſæviret, ſed & ut fidem Catholicam illo conſentiente prædicaret, evicit.

4. Tunc alas charitatis explicuit P. Marcus volando potiùs quàm eundo ad diverſas partes ut munus Apoſtolicum obiret. Prima illi cura fuit cruces paſſim in viis & montibus plantare, quibus dæmones è regione fugaret, aut poteſtatem comprimeret: magnum enim illi in tota Peruvia converſioni infidelium, quà terrendo, quà illudendo, quà veteris conſuetudinis commoda exprobrando attulerunt impedimentum. Proxima, ædiculam ſacram excitare, in qua collocato Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſacramento, (quod ſit in æternum benedictum) armamentariū haberet contrà infernales legiones. Hanc *Puquiura* conſtituit à *Vilcabanba* itinere duorum dierum remotæ, ubi tunc Ingæ aula erat. Experientia docuerat Auguſtinianos gentem plurimùm cæremoniis addictam: hanc Marcus illecebram ſeu ſacris operaretur ſeu cultum illis proponeret veri Dei, adhibuit ſtudioſiſſimè, ut rithmos etiam cantioneſque, quibus Chriſtianæ fidei myſteria & rudimenta continebantur, componeret, curaretque ut hæc cum voluptate à pueris & puellis diſcerentur & canerentur. Quæ cùm grandiores maximeque parentes ſuâ dulcedine oblectarent, ſtudio ſciendarum cantionum ipſam ſimul fidem imbi-

imbiberunt, non aliorum, quàm quos ipſi genuerant,magiſterio. Alii priorum exemplo proles ſuas ultrò P. Marco obtulerunt ſimiliter erudiendas: & multi etiam nobiles hac voluptate capiebantur idemque factitabant. Atque hac ſuavitate cęrimoniarumque gravitate non paucos ad fidei diem ſplendoremque perduxit, qui antea *Diem* meriſſimis tenebris offuſi velut numen, *Punchao* ipſis dictum, fuerant venerati. Nonnullos etiam Cuzci baptizatos collegit: ut jam eum haberet fidelium numerum, qui parœciam conſtitueret.

5. Magi tamen Magnatumque aliqui iniquis contra P. Marcum ſuſurris Ingæ animum diſtrahebant, ut vel exilio vel morte peregrinum doctorem mulctaret, viceruntq; ſæpe, ut alteruttrum exequeretur. Rurſus tamen, ſi in eundem oculos memoriamque ab externis impulſibus defęcatam converteret, amabat, ſeu cæleſti motus virtute, ſeu potentiâ modeſtiæ & manſuetudinis, quam in mentes etiam barbarorum exercere ſolent. Stupebat inſuper Inga ad rigoroſum divitiarum & rerum mundanarum, quibus Indi juxtà ac Hiſpani tantâ aviditate inhiabant, contemptum, atque ad angelicam prorſus caſtimoniam inter homines, in quibus profuſiſſima libido dominabatur. Factumque paulatim his Marci virtutibus, ut charus Ingæ efficeretur, audireturque libentèr: tandem etiam ut fidem Catholicam illo docente ediſceret, ac baptizaretur, baptiſmique diem magnâ oſtentatione celebraret. Baptizata etiam ejus uxor fuit. Dici voluit ille *PHILIPPVS CVSITITO*, hæc *ANGELINA POLANQVILACO*. Et quia nulla fortiùs natio, quàm Perüana Regis ſui exemplum imitatur, non pauci Magnates, ingenſque populi multitudo ad fidem ac Baptiſmum acceſſerunt.

6. Tot felicibus ſucceſſibus auctus fuerat Chriſtianiſmus, idque ſpatio non amplius octo menſium, ut Marcus jam multitudini impar alios petere à Provinciæ Præfecto P. Ioanne de Sancto Petro cogeretur ſibi auxiliaturos. Ad hæc nova certatim pleriquè ſe offerebant, ſed ſelecti dumtaxat deputatique, qui irent, duo, P. Ioannes del Canto & P. Didacus Ortiz. Verùm, dùm hæc ad Provinciæ Auguſtinianæ Præfectum perſcribuntur, illeque de ituris in *Vilcabanbam* Apoſtolis diſponit, ſubito motu tota Religionis facies mutatur, & quæ ſerenior eſſe non poterat, mox triſti ſuffuſione obnubilatur.

7. Inexpectatæ mutationis duas præſertim cauſas invenio, prætextus plures. Cauſa prima fuit dæmonum poteſtas & minæ; ſecunda Ingæ libido unâ uxore, prout divinæ, eccleſiaſticæque præſcribunt leges, non contenta, quam P. Marcus reprehendebat. Prætextus ſuo loco non ſilebimus.

8. At de dæmonum potentia ac cultu hæc ſcienda. Erat in pago *Chuquipalpa* non longè *Vitcos* ædes Soli ſacra *Yuracrumi* dicta, & in ea lapis candidus fonti imminens, in quo dæmon viſibilem ſe exhibebat, neque ullibi ſolemnior in tota *Vilcabanba* ejus cultus erat: forma autem colendi, ſi diductam à lęto pectore manum atque verſus Solem protenſam rurſus ad os reducerent, oſcularenturque in ſummę teſtimonium ſubjectionis. Eadem ſcilicet quam Iob deſcribit & execratur. (a) *Si vidi ſolem cum fulgeret, & lunam incedentem clarè, & eſt lætatum in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo, qua eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum.* Blandiebantur hîc dęmones idololatris, at Chriſtianis dira quęque minabantur, terroreque injecto alios, ne baptizarentur, prohibere, alios jam baptizatos rurſus ad ſui cultum revocare ſatagebant. Et, ut eſt gens Perüana in univerſum inconſtans, revocaverunt non paucos. Ingę etiam palam exprobrare auſi ſunt, quòd tam nullâ ratione neglectis deſertiſque majorum ſuorum ritibus puerili flexibilitate ad peregrinam incognitamq;

(a) Iob cap. 31.

cognitamque Religionem tranſiiſſet, aliosque magno numero Indos ad eandem ſuo exemplo traduxiſſet. Se certè, niſi ad veterem ſui adorationem rediret & prohiberet adventitiam ſectam, celeri caſtigatione id effecturos ut tam inſiguis levitatis eum ſeriò pœniteat.

9. Iſtis dæmonum terriculamentis ſuorumque à nova ad antiquam religionem deſciſſione, etiamſi nondùm Inga publicè fidem Catholicam ejuraret, deſtrueretve Eccleſiam aut pelleret in exilium novum præconem, dabat tamen nauſeæ ſuæ & averſi ab ea animi, deſideriique, quo abeſſe P. Marcum voluiſſet, nō obſcura argumenta. Nam cùm Ioannes Gualpa ex Indorum præcipuis ſacrâ lymphâ ablui filium non obtentâ priùs licentiâ curaſſet, eum Inga non modò aſperis verbis, ſed frequentibus ingenti ſaxi ad lumbos ictibus (quod genus tormenti eſt apud barbaram gentem ignominioſiſſimum) caſtigavit. P. Marcum inſuper impotentiſſimâ furioſiſſimâque oratione perſtrinxit eo fine ut concepto ex regia indignatione, quæ mortis alteriuſve mulctationis imminentis prænuntia eſſe ſolet, terrore, ſpontaneo diſceſſu Provinciam deſereret prædicationemque.

10. Nihil timebat P. Marcus, quia nihil perdere pauper Chriſti poterat, ſperabatve rerum temporalium. Nam & de milite olim apud Lampridium Alexander Severus verè pronuntiavit, *Miles non timet niſi veſtitus, armatus, calceatus, ſatur, & habens aliquid in zonula.* Triſtabatur tamen lacrymabaturque copioſiſſimè, quod fruſtratum ſe videret ſpe adeò ridentis priùs meſſis in Eccleſiæ horreum inferendæ, quodque etiam jam illata corrumperetur. Vnicum illi inter tot mœſtitiæ occaſiones ſupererat ſolamen, quod nondùm pueri ſuæ diſciplinæ ſubtraherentur, quos tenerrimi adfectus oſtenſione doctrinâque Chriſtianæ fidei, adverſus quàm inanis eſſet omnis omnium dæmonum conatus, & tenaciùs Eccleſiæ aſtringere, & contra irritas minas præmunire laborabat. Hi aderant P. Marco in Eccleſiis ſerviebantque. Sed neque hæc ſolida aut diuturna lætitia fuit. Vix annus tranſierat cum animadvertit P. Marcus paternum contagium in filios tranſfuſum, hoſque fieri non ſolùm moribus improbos, ſed imbibere etiam ethnicorum cærimonias. Omnem hîc movit lapidem ut naſcentia vitia, antequàm adoleſcerent, eradicarentur. Et quia omnium pænè nationum juventus plurimùm blanditiis donisque pellicitur, his primùm teneros animos tentat: verùm quæ ubique ferè potentia ſunt, imbecilliora ſunt apud Peruanam terrore magis moveri natam. Quem ut incutiat moderatas adhibet caſtigationes. Sed quia peſtis invaſerat ipſum Reip. caput, in exaſperationem morbi ipſa tranſierunt remedia. Advocatum ad ſe P.
Marcum ſeveriſſimè objurgat, ex- "
aggerans lenem caſtigationem no- "
mine crudelitatis, hanc Magna- "
tibus, hanc ſibi quàm maximè diſ- "
plicere: manifeſtum fieri innatum "
eſſe Europæis ſuperbè in alios ſævi- "
te, qui non tantùm majores ſuos "
occupato nobiliſſimo imperio violentis armis ejecerint, pergántque "
veros excludere hæredes, ſed e- "
tiam in Provinciis quas nondum "
ſubjugârint, præſumant præci- "
puorum filios verberare, qui in- "
ter illos manſuetudinis volunt ti- "
tulo gloriari: caſtigare delinquen- "
tes filios etiam facinoroſiſſimos "
parentibus, magiſtratibus, Re- "
gibus eſſe commiſſum non aliis: "
caveret proinde has in poſterum "
injurias inferre, niſi juſto vel- "
let è Provinciis ſuis exilio ex- "
turbari. "

11. Ita ſemel iterumque P. Marcum Inga invaſit. Ille quidem modeſtè, conſtanter tamen reſpondit, "
iſtas puerorum caſtigationes magi- "
ſtris eſſe permiſſas ipſam clamare "
naturam, omnium conſenſu gen- "
tium eſſe receptas, ſine his omnem "
Remp.

„Remp. omneque imperium neceſſe „ eſſe interire, neque ſine his ſteriſſe hactenus Peruanum. Verùm facilè perſpexit P. Marcus obtentui haberi has puerorum caſtigationes, reverà autem Ingam fidem abominari fideique præconem, præſertim, cum hic non ſemel regiæ libidini (& hæc eſt ſecunda mutandæ Religionis cauſa) contradixiſſet. Nam cum altera etiam *Nuſta* (hoc nomine Peruani potentem excellentemque nobilitate fœminam appellant) baptiſmo eſſet abluta, ſumpſiſſetque, ſicut prior, nomen Angelinæ, utrâque tanquàm uxore Inga utebatur. Obſiſtit P. Marcus, eſſe hoc in Chriſtianorum moribus inauditum, prohibitum legibus non tantùm Eccleſiaſticis, ſed divinâ inſuper naturalique, licèt hanc conſuetudinis luxuriæque violentia nonnunquàm obfuſcet. Verùm fortior apud regium animum libido fuit quam leges: proindeque
(a) libidini. manifeſtè P. Marcum, qui illi (a)
(b) leges. „obluctabatur, & has (b) inculcabat, malè habere cœpit, ſecutique „ Regis exemplum ſunt non nobiles modò ſed plebæi, qui & reverentiam fidei magiſtro debitam & hactenus ſervatam exuerunt, & ſubſtraxerunt, quibus aleretur. Et quamquàm pauculis rebus ſobriiſſimus indigeret, & has tamen Cuzco accipere neceſſe fuit, vixitque diu pane biſ-cocto inde ſubmiſſo, quem tantiſper, donec P. Didacum Ortiz ad eum deducamus deſeremus.

CAPVT III.

In Vilcabanbam etiam P. Didacus Ortiz ingreditur.

PRIVSQVAM 1.
P. Didaci Ortiz perſecutiones in Vilcabanba toleratas martyriumque deſcribamus, operæ-pretium erit præcedentis vitæ decurſum breviter perſtringere. Natus eſt in pago *Getafe* duabus Mantuâ Carpetorum (c) (c) Madrid.
leucis remoto, quibus parentibus mihi incertum, niſi quòd conſtet domum *Ortiz* eſſe perveruſtam ex Biſcaya in Caſtiliam tranſlatam. Quare probata ſatis Didaci nobilitas eſſet, ſi firmis eſſet rationibus ſtabilitum ex hac eum domo genus traxiſſe. Sed non eſt iſtud Religioſę hiſtoriæ ſcriptori nimis ſcrupulosè inquirendum, cum non ex locorum vel generis dignitate ſed morum nobilitate innoteſcere debeamus, nec urbium claritate ſed puritate fidei. Non invenio quidem quibus fuerit ſtudiis puer oblectatus aut inſtitutus moribus, non ignoratur tamen Hiſpalim (d) mundi theatrũ (d) Sevilla.
nationumq; omnium gremium, eum contendiſſe, ſtudio ſive augendarũ rerum, ſive omnigenę ſcientię comparandæ, ſive conſanguineorum voluntate aut invitatu. Quis enim in re incerta certi aliquid ſtatuat? Certum tamen eſt eum admodùm adoleſcentẽ Ordini Auguſtiniano fuiſſe adſcriptum in inſigni illius Vrbis Cœnobio, quod tot viros protulit ſcientiâ, virtutibus, ac obſervantiâ illuſtres.

2. Vitam egit ab ipſis Religionis incunabulis perfectorum virtutibus commendatam, ut cenſeretur ipſos citiùs fructos produxiſſe quàm oſtendiſſe flores, præſertim

ſortim humiliatis, obedientiæ, ſilentii, patientię, caſtitatis, orationis, ac charitatis, quam tunc maximè explicuit, cùm illuc è Peruvia appulit Pater Didacus Gutierrez, & poſt eum P. Ioannes de S. Petro novos operarios conducturus, (a) & invenit inter cæteros P. Didacum Ruiz Ortiz ad operam in novam infidelium meſſem collocandam propenſiſſimum.

(a) vide lib. 7. cap. 4.

3. Vix in Peruviam appulit (appulit autem anno poſt natum Chriſtum milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio) cùm totum ſe barbaris linguis addiſcendis impendit, ne earum ignorantiâ diu à ſuſcepto converſionis infidelium munere retardaretur, avidior ipſe animarum quàm avariſſimus quiſque auri argentique. Ipſa addiſcendi ſollicitudo, quo igne intùs ageretur, manifeſtè prodebat, atque ex ea Conſodales maximos proventus non dubitantes ſunt augurati: ipſe autem fatebatur ad celerem earum ſcientiam nihil ſibi magis quàm opem cæleſtem profuiſſe. Certè adventus ſui anno nondùm abſoluto (b) à Patribus Comitiorum Provincialium miſſus eſt, qui *Ianacachenſibus* (c) viciniſque populis fidem prædicaret; quod ſine linguarum peritia non inane modò fuiſſet, ſed fatuum potuiſſet reputari. Vicarius *Ianacachenſis* tùm P. Didacus de Dueñas erat. Fuit autem olim *Ianacache* municipium non incelebre, Curia vicinarum partium, idololatrarum veneficorumq; Univerſitas. *Chuquiago* vicinum eſt, ſed Septemtrionalius, quàque eſt in *Vilcabanbam* ingreſſus. Terram *Ianacache* (quod idem eſt ac ſal nigrum) Indi omnes vicini ſummo cultu venerãtur, quod in ea credant Legiſlatorem ſuum vixiſſe, ſicut Mahumerani Gateræ montem, in quem Mahumetus ſanctitatis ſimulatione ſeceſſit. Sequentibus temporibus plurimum priſtini ſplẽdoris deperdidit non tam innatâ rebus omnibus ſublunaribus inconſtantiâ, quàm cæleſti vindictâ. Solæ ſuperſunt plateæ deſertæque domus, atque aliquæ hinc indè ſparſæ Hiſpanorum villæ, quibus pecora nutriunt bubulcis & opilionibus Indis, in divinæ ultionis teſtimonium perſeverare permiſſis, qui planiſſimè, quotieſcumque cauſam deſtructionis ſuæ interrogantur, fatentur non eſſe aliam quàm quod immani crudelitate viri mixtim fœminęque Religioſum Auguſtinianum Chriſti fidem prædicantem lapidarint & ejecerint.

(b) anno ſcilicet 1563.
(c) de Ianacache.

4. Invenit, ut ad caput redeamus, P. Didacus duplex prædicationi apud *Ianacachenſes* obſtaculum, ſummum eorum in idololatriam ſtudium, & peſſimum Chriſtianorum, qui eum præceſſerant, exemplum, quo nihil triſtius apud imbecilles animos accidere poteſt. Fuiſſe in Peruvia ſub initium ad inſtructionem Indorum adhibitos homines otioſos, ignorantes, ſordidos, cupidos, aliiſque vitiis obnoxios alibi diximus, (d) *Vijarayeos* ab ipſis Indis in vituperium appellatos, quorum neque doctrinâ, cùm non niſi preces aliquas Hiſpanicè, noſſent, erudiebãtur, & eorum prætereà imitatione provolvebantur in plurima flagitia, aut hactenus ſibi ignota, aut à quibus arcebantur ſeveritate optimarum legum ab ingis obſervatâ. Vtrumque obſtaculum feliciter P. Didacus perrupit, abſtraxitque hos ab idololatria, illos à morum corruptela. Non poterant tamen firmi illi nexus niſi fortibus armis dirrumpi: fuerunt hæc je, uniũ, oratio, & indefeſſa Indis in omnibus neceſſitatibus, morbis maximè, impenſa obſequia. Glorioſiùs ſibi arbitrabatur pauperculo in ægritudine Indo adſtare eumque fovere, quàm in aulis converſari Principum.

(d) lib. 4. cap. 6. nu. 8.

5. Hinc ad Cœnobium *Chuquiagenſe* (e) juſſu Superiorum conceſſit, ubi laſcivi eum adoleſcentes, cum in cellulam ſolus abiiſſet, obſervãrunt, arbitrati alicujus turpitudinis cauſâ immaturam ab eo ſolitudinem quæſitam; ſuo ſcilicet pede cũ metientes: talis namq; unuſquiſque eſt

(e) Chuquiago.

quales

quales ipſi alii eſſe videntur. Nec alium caſtum facilè concipiet impurus, nec fur juſtum, nec liberalem avarus, nec ſobrium ebrioſus. Verùm dùm penitimam curioſi introſpiciunt, vident ſanguinolentum duris ictibus tergum, pluribus aliis fortiſſimè oppugnari, confuſique didicerunt quantùm inter homines & homines interſit, quorum cùm pleriqùe carnem ſuam perniciosè foveant, nonnulli eandem ſalubriter oderunt. Poſteà in *Puna* unâ *Potoſio* leucâ remota tuncque ipſum *Potoſium* auri venis ſuperante prædicavit inter tam propinqua avaritiæ irritamenta ipſe pauperrimus, ac proinde *beatus quòd poſt aurum non abiit nec ſperavit in pecunia theſauris.* (a) (a) Eccl. 31.
Ditiſſimus tamen aureâ charitate in ipſas provolavit tabernas, cùm ut à potandi eos conſuetudine alienaret, tùm ut haberet quos erudiret. Deinde Cuzcum revocatus primum Supprioris, exinde Æditui Sacri officium agere juſſus eſt, P. Ioanne del Canto, cujus alibi vitam dabimus, uſus familiariſſimè. Fœminarum conſortium planè vitavit: Si charitas, ut illis loqueretur, imperaret, fecit hoc defixis in terram aut aliò tranſlatis oculis, ſolitus dicere, ſatis eſſe ad animæ ruinam ſi dumtaxat audirentur. Et ut videas manifeſtè quàm nihil ad martyrii agonem naturalis proſit audacia, ad quod ſola divini auxilii potentiâ infirmitas roboratur humana, non tantùm Deum offendere anxiè timuit, ſed res quotidiè & innoxiè obvias, ut ſtrepitum, ipſam etiam umbram. Ornando tamen templo ſtudioſiſſimè ſe impendit, neque potuiſſet ullum ejus ingenio aptius eſſe exercitium. Verùm inſidebat altè animo profectionem in Peruviam à ſe ſuſceptam fuiſſe non ut in templi aut monaſterii miniſteriis occuparetur, quod in Hiſpania multò poterat commodiùs, ſed ut infidelium converſionem ſuâ prædicatione ſollicitaret promoveretque. His cogitationibus occupatum vehemens invaſit morbus. Tunc ſeriò, conſentiente Prælato, vovit prædicaturum ſe infidelibus, atque inter illos moriturum. Præſtitit id, poſtquàm convaluerat, primò apud barbaros *Viros Capinotanos* ſub Vicario P. Rodericio de Vera anno M. D. LXVI. Et quia igneus ejus zelus quietis erat impatiens, anno proximè inſequenti (b) rurſus *Ianacachenſes* inviſit, ingratior genti, quàm (b) 1567.
præcedens ejus ſollicitudo merebatur, tandemq; ab ea lapidibus, prout antè narravimus, (c) ejectus Cuzcum, novam evangelizandi occa- (c) hoc cap. num. 1.
ſionem quæſiturus, revertitur. Nata hæc paulò pòſt P. Marco ob ingentes fidei in *Vilcabamba* ſucceſſus copias auxiliares petenre, quâ ad opus iſtud Euangelicum deputantur P. Ioannes del Canto & P. Didacus Ruiz Ortiz (d) ſolus, felicitate ſuc- (d) cap. 2. num. 6.
ceſſuum turbatâ, profectus eſt P. Didacus maximo P. Ioannis dolore, quem cognito Sodalis martyrio quadraginta poſteà anni extinguere non potuerunt, quibus vixit nunquàm immemor ſe à purpurea iſta, quam tam exiguo erat P. Didacus tempore conſecutus, corona excluſum, ſorte non abſimili in ſacris literis de Sanctiſſimis Apoſtolis Iacobo & Ioanne, uti nominibus non abſcedunt, expreſſâ, ubi Iacobus martyrio, crudelitate Herodis, committitur, Ioanne ad decrepitam uſque ætatem permanere juſſo, & inter diſcipulorum manus naturali morte interire. Conſtat certè P. Ioannem del Canto centum & decem annos, dùm exceſſit, ſuperaſſe.

6. P. Didacus verò Lupo Garcia de Caſtro nomine Regum Caſtellæ Peruviam gubernante, & P. M. Ioanne de Sancto Petro Provinciam Auguſtinianam in *Vilcabanbam* non minoribus quàm anteà P. Marcus, (e) (e) cap. 2. num. 3.
laboribus atque ex iiſdem cauſis natis penetravit, P. Marco, qui hactenus omnia incommoda tædiaque ſolus devoraverat, ſolatium, Ingæ cor-dolium futurus. Lætitiam tamen Inga ex adventu ejus ſimulabat aut etiam veram gerebat, quòd arbitraretur P. Marcum moleſtiis fa-

fatigatum

tigatum Cuzcum rediturum; nihil autem P. Didacum, ne offenderet novus advena, aſperſi in reprehendendo contra ſe auſurum. Forte etiam ut hâc adfectus erga P. Didacum profeſſione, P. Marcum ad æmulationem & invidiam provocaret. Quapropter dies, quibus à P. Didaco viſitabatur, velut feſtivos agebar, ſæpè eundem ad menſam adhibebat, mittebatque fercula lautiora, qui cauſa fuerat ut P. Marcus extremæ neceſſitatis telo penè extingueretur. Sed non erant hæc ad guſtum parvo vivere aſſueti nihilque præter animas amantis. Hæc tamen benevolentiæ barbarę teſtimonia dirigere ad ſanctiores fines ſategit. Veniam prædicandi verum Euangelium alterumque ſacellum erigendi petivit & obtinuit. Huic exſtruẽdo municipium *Guarancalla* habitatoribus frequens, aliiſque pagis, in quos non difficulter ex eo prædicatio fidei derivari poſſet, commodè cinctum, ac trium ferè dierum itinere à *Puquiura*, ubi P. Marcus perſiſtebat, recedens. Ibi P. Didacus inſolitâ diligentiâ & Eccleſiam & ſuæ habitationi tuguriolum, & pauperibus ægtiſque Indis noſocomium brevi tempore, quia humili ſtructurâ; abſolvit, erectis paſſim in montibus compitiſque ſalutiferæ Crucis trophæis. Fremebat iſta videntes venefici, cæteri verò P. Didacum venerabantur; virtutibus viri inſolitis pellecti, magis continuis ejus in illos beneficiis: veſtiebat nudos, curabat ægros, omnes erudiebat, quare indies plurimi utriuſque ſexus omniſque ætatis ad ſacrum fontem ſalubriter abluendi accurrebant.

7. Ita quidem P. Didacus amabatur, proficiebatque; P. Marcus verò in *Puquiura* cum impudentiſſimo ſcelere & obſtinatis animis luctabatur. Inga ethnicos ritus non omittebat, aut abſtinebat à multitudine uxorum, magnates autem compotationibus exercebantur à ſuperſtitione non immunibus & quibus nõ rarò dæmon ipſe viſibili ſpecie præſidebat. Has P. Marcus nec ferre religiosè poterat, nec fructuosè reprehendere. Ferret? radicem tolerabat omnium malorum. Reprehenderet? certa erat Ingæ Magnatumque offenſa. Hanc tamen incurrere maluit, quàm permittere ut tam immanibus quotidie criminibus Deus exacerbaretur. Quare veneno, cujus occultiſſimus eſt in corpus impetus, eum tollere ſtatuunt. Sed à Catholico, propter metum quidem Ingæ occulto ideóque concepti criminis conſcio, monitus, diuque, quid ſibi potiſſimùm agendum eſſet, perplexus, decrevit tandem conſilio Chriſti jubentis, diſcipulos, cùm in una ſe civitate perſecutionem pati ſentirent, fugere in aliam; (a) & pulverem etiam pedum contra obſiſtentes populos excutere, (b) uti, Cuzcumque proficiſci. Conſilii ſui certiorem P. Didacum reddidit, Eccleſiæ ornamenta ejus ſollicitudini commendans. Exequendi autem propoſiti hanc apud ſe inibat rationem: ſimularet aliò ſe iter inſtituere, paulatimque inter montes & valles declinando verſus Cuzcum ſe convertere, impedendo quatriduum quinctiduumve itineri, quod aliàs ſeſquidio abſolviſſet. Hoc modo aggreſſus fugam eſt pro omni commeatu ſecum portans biſ-cocti panis duas cruſtas. Non latuit diu Ingam fuga, ejus indicium, ut creditum eſt, dante illo, cui ſervandam commiſerat Eccleſiæ ſupellectilem, non animo quidem maligno aut inimico; quippè qui periculum, in quo P. Marcus verſabatur, ignoraret, ſed ſtudio retinendi eum, quem ipſe plebſque tenerrimo adfectu proſequebantur. Miſſis itaque Inga Centurionibus quinque reduci fugientem juſſit, objurgavitq; impotenter reductum quod ſe inſcio ex ſubjecta ſibi Provincia abſcederet. Ad quem humiliter P. Marcus, *Hæc*, inquit, *Rex, neque inanis, niſi admodùm fallar, abitus mei cauſa fuit. Non modò non recipiunt hi Indi fidem, quam prædico, ſed eam palàm ſubſannant & execrantur cum maxim*

(a) Matth. 10. 23.

(b) ibidem verſu 14.

xima Creatoris Dei & Salvatoris Ieſu Chriſti injuria etiam hi, qui eandem ſuſcepto baptiſmo profeſſi fuerunt. Quam ſi conſtanter ſervarent, nulla me ab iis mors divelleret. Aula veſtra terror, ut me fugiant, omnes percellit, neque quiſquam aut ad doctrinæ Chriſtianæ rudimenta aut ad baptiſmum accedit, niſi Cuzco adventitii, quos ibi erudire opportuniùs ego Confratreſq; poterimus. Nihil quidem ad hæc Inga reſpondit, redire tamen ad Eccleſiam P. Marcum juſſit.

8. Advolavit *Guarancallâ* P. Didacus aut Eccleſiæ ſupellectilem, ſi P. Marcus abeſſet, ſumpturus, aut eum, ſi reperiſſet, retardaturus, donec alius pro eo Religioſus Cuzco adveniſſet. Repertũ *Puquiura* complexus magnum illi gaudium attulit, & mutuo complexu accepit. Deinde invicem exhortati ad conſtantiam prædicationis ſtatuerunt nullam pro ea moleſtiã declinare. Hoc animo Ingam ſalutatum iverunt capturi occaſionem ad fidei Catholicæ profeſſionem eum denuò animandi, aut ſumpturi nova apoſtaſiæ experimenta. Ille vultu ad mediocritatem cõpoſito advenientes excipiens, *Ad municipium*, ait, *Vilcabanbam non invenuſtum & nunquàm hactenus à vobis viſum vos ducere animus mihi eſt, ibiq; regiâ menſâ & feſtivitate recreare.* Vilis apoſtata & irriſor præconum fidei, quam altero eorum docente didiciſti cujuſque ſignaculum geris ex animo nunquàm delendum, iſtâne ſimulatione opus erat, ut cinctus exercitibus tuis ſævires in duos planè inermes, patique magis quàm nocere paratos?

9. Neque ultra ſequentem diem dilata profectio fuit: ipſe ſublimis nobilium humeris, uti Ingæ ſolent, aureâ eburneâve ſede geſtabatur. Cumque ad locum *Vngacacha* perveniſſent, feſtivitatis, ſcilicet, quam cogitârat exordium ſumpſit: vallem omnem inciſis fluminũ ripis repleri aquis juſſit, perque eas Religioſos per duarum leucarum ſpatium ſummo frigore umbelico tenus ac propterea inſtabilibus lapſantibuſque ſæpè veſtigiis tranſire, barbaris ad ſpectaculum egregiumque cũmentum aperto ſplene cachinnantibus, deindeque Patribus nuntiari, non patere aliam in *Vilcabanbam* viam, ut moleſtiæ tam inſignis objectu deſiderium in *Vilcabanba* prædicandi extingueret, ejiceretque è Provincia. Verùm ardentior eorum erat charitas quàm ut flumine obrui poſſet, imitabaturque Aſbeſton Arcadiæ lapidem qui accenſus ſemel, extingui nequit. (a) Verum hîc fuit quod aliâ occaſione cecinit Poëta, (b)

Alit unda flammas, quoq; prohibetur magis,
Magis ardet ignis, ipſa præſidia occupat.

(a) S. P. Auguſt. lib. 21. de civitate Dei cap. 5.
(b) Seneca in Medea actu 5.

Alacres nimirum gaudenteſque in mediis undis laudes Altiſſimo decantabant, & vix egreſſi ac etiamnùm madidi lutoque ſordidè conſperſi prædicationem exorſi ſunt & proſecuti tres ſeptimanas, majori certè fructu, quàm aliàs multis menſibus cõſequerentur. Ipſæ nempe in præcones fidei diſcipuloſque Chriſti motæ perſecutiones fœcundiores ad convertendum infideles ſemper fuerunt, ſeu divinâ ordinatione ſeu patientium conſtantiâ altiùs in præcordia aliorum penetrante. Ingæ autem magnateſque ſuperſtitioſis compotationibus & ritibus idola venerabantur veneficorum gregibus permixti. Quæ ut Religioſos Auguſtinianos laterent, extra municipium eos hoſpitari voluerunt. Sed eſt aurita nimis perſpicaxque Charitas: in ipſas provolaverunt tabernas, libereque barbarum ac ſacrilegum morem ſuor deteſtati. Ipſi hâc audaciâ in furorem verſi vix à tumultuaria noſtrorum cæde temperaverunt. Sed major tam egregiis athletis corona cælitùs parabatur. Veneficos conſulũt quomodò obmuteſcere faciant atque abigant peregrinos hos ac tàm ſibi importunos homines.

10. Die unâ ad deliberandum petitâ ac conceſſâ cum idolis veris dæmonibus cõſilia ſeriò conferunt. Sententia reſpondentium fuit, Vt

qui

qui deliciis divitiiſque emolliri vincique non potuiſſent, libidine, quæ cupiditatum omnium eſt maximè violenta, tentarentur. Quæruntur undique formoſiſſimæ Indæ, quæ ſpe præmii ab Inga animatæ & ad omnem laſciviam ab infernalibus magiſtris edoctæ rigidam advenarum caſtitatem oppugnarent. Rejectæ ſunt exploſæque. Reſumunt illæ dæmonum veneficorumque juſſu inſultum, non jam aperto Marte, ſed velut per cuniculos: veſtiuntur duæ cappis nigris & velut ad ſolamen afflictis ſubmittuntur; non niſi convitia retulerunt: mox aliæ duæ albo habitu indutæ ſuccedunt penetrantque in ipſum Auguſtinianorum cubiculum, nullâ nimirum ſerâ aut peſſulo, more Peruanorum, obfirmatum. Repelluntur multò, quàm priores, ignominioſiùs. Sed nec quidem ſic devictæ deſiſtunt: occurrunt per municipium aut campos tranſeuntibus, & laſciviſſimis moribus ingenitum in membris ignem nulliſque unquàm victoriis ſatis extinctum provocare nituntur. Omnis in vanum contra eos, quos Spiritus Sanctus ſolidaverat, conatus fuit.

11. Ægrè intereà Noſtros habebat eſſe ſine ſacrificiis Eccleſias ſuas *Puquiurenſem* & *Guarancallenſem*, quò inſuper ſuorum precibus revocabantur; quare exoratâ ab Inga diſcedendi veniâ animatiſque ad conſtantiam, quos in Vilcabanba ſacro fonte abluerant, per eandem, quâ venerant, viam eaſdemque moleſtias regreſſi ſunt, niſi quòd à neophytis ſuis, qui magiſtris adhærebant ſerviebantque, expedire ſe non poſſent. Dixiſſes Ingam ipſum die ad pompam deſtinato procedere, adeò frequens in omnes vias turba, aut ut, quantùm poſſet, comitaretur, aut ut extremum vale proclamaret, aut ſupremâ benedictione contra ſuperventuras adverſitates firmaretur, procurrebat.

CAPUT IV.

Dæmonem, combuſto præcipuo ejus adoratorio, P. Marcus & P. Didacus Puquiurâ ejiciunt.

1. CRUDELE, quod Dæmon in pago *Chuquipalpa* in Indos exercebat, imperium ſuprà (a) notavimus. Illud nunquàm hactenus fuit truculentius, quàm cùm PP. Marcus & Didacus abfuerunt. Hi familiam ſuam ejus furore læſam ac imminutam, alii pecudum greges querebantur infeſtos, timebant verò eum omnes. Quare ſummis votis expetiti redierunt. Primæ » poſt reditum preces baptizatorum » fuerunt, ut, quandoquidem Deum » & Ieſum Chriſtum prædicarent » omnipotentem, ipſi autem Sacer- » dotes appellarentur *Dios paranti* id » eſt, Dei Vicarii, ſævum hoc dæmonium procul à ſuis finibus ablegarent, modumque ponerent tot » Chriſtianorum malis. Quod ſi non » facerent, non mirarentur Indos » nondùm ſatis contra novos furioſoſque hos inſultus roboratos, deſertâ Eccleſiâ doctrinâque Chriſtianâ, » ad ſacrificia recurrere potentis illius idoli, quod ſe Solem dicebat » omniumque rerum patrem, legem » autem Chriſti meras eſſe nugas, ejuſque Sacerdotes mendaciſſimos » impoſtores. »

(a) cap 2. hujus lib. num 8.

2. Altè hæ ſupplicantium preces in præconum animum non magis rogantium ſollicitudine, damnis, & lacrymis, quàm rationum pondere penetraverunt, animadverterunt ſiquidem divinam potentiam in comparationem cùm diabolica vocari, & periculum eſſe ne huic illa, niſi

celeriter

celeriter occurreretur, ab ignaro cæleſtium diſpoſitionum ac rudi adhuc populo poſthaberetur. Quare ſpiritu orationeq; Eliæ (a) ad Dominum confugerunt. *Oſtende*, inquiunt, *Domine Deus hodie quia tu es Deus Iſrael & Chriſtianorum, & nos ſervi tui, & juxta præceptum tuum fecimus omnia verba hæc. Exaudi nos Domine, exaudi nos, ut diſcat populus iſte quia tu es Dominus Deus & tu convertiſti cor eorum iterum.* Tùm voce præconis ad conſtitutum diem adeſſe in Eccleſia areaque vicina juſſerunt incolas advenaſque, viros ac mulieres omnis ætatis, atque unumquemque lignum adferre, ituros ſe pariter & crematuros cruentum illud dæmonium, à quo decipiebantur & adfligebantur. Adfuit ad ſignatum diem ingens multitudo, ſed non eodem omnes animo. Damnum paſſi ad vindictam de illatis injuriis ſumendam: Dubii in fide nutanteſque, rei eventum viſuri: ſtabiles Catholici ſpectaturi infamis dæmonis caſtigationem ejectionemque: venefici certam, ut ipſi quidem arbitrabantur, victoriam de devicto adverſario pro ſuo idolo omnium in illis partibus potentiſſimo conclamaturi. Acceptam deinde Crucem Religioſi fiduciâ adfuturi cælitùs auxilii hilares omnibus prætulerunt, locum potentis illius Dæmonis cultu celebrem, cùm ad eum perveniſſent, conſtitutis ab Eccleſia precationibus exorcizârunt, factâque à ſe & omni multitudine ad Deum oratione cinxerunt undique allatis oratorium lignis. *Nunc*, inquientes, *oculis veſtris perſpicietis quàm impudens dæmō iſtic reſidens fuerit impoſtor, & quàm vana ejus contra Chriſtianos in Deo ſuo & Ieſu Chriſto, quem nos prædicamus, & præter quem non eſt alius Deus, confidentes, ira minæq;*. Tum ſubjecto in pyras igne, *Abſcede*, ad Dæmonem clamant, *infamis creatura, & divinam in alio potentiam venerare, quæ te olim ſuperbientem è cælo deturbavit, addixitq; nunquàm intermorituris tormentis: Deſine ejus tibi honores adſcribere, qui nullum unquàm admiſit admitteve aqualem. Sat diu tolerata tyrannis tua, quâ inter infideles imperium adfectaſti, credentibus ludibrium facta. Deſere ſedes has fraudibus occupatas, nec eas, niſi alterum ames incendium, in poſterum reviſe. Cede eas Creatori tuo Dominoq;*. Dum his dæmonem vituperiis aggrediuntur Auguſtiniani, celeri fugâ, quàm magno rugitu & montis concuſſione iniît, ille cōfeſſus eſt imbecillitatem ſuam, dùm ab illis, qui verá fide armantur, invaditur. Domus tota, templumque, ac petra in favillas redacta, lætum omni populo ſpectaculum dedit. Qui effusâ mox voce identidem pronūtiârunt, *Deus Chriſtianorum ipſe eſt Deus, idola autem inania peſſimarum æmulorumq; dæmonum ſimulacra.* Soli tedière venefici pudore confuſi.

3. Fama admirabilis & ſtupendi evētùs omnem mox regionem pervaſit, pertraxitque ad Dei veri cultum & baptiſma plurimos: Ingam autem ac Coyam (ita primariam Ingarum uxorem appellari alibi diximus (a) magnateſq; gloriâ Chri- (b) lib. 1. ſtianorum, veneficorum lamentis, cap. 2. nu. 1 ac tam ſolemni idoli ſui infamiâ tantùm non in rabiem actos properare *Puquiuram* fecit, omneque furori nimis leve tormētum, quo Religioſos celebris incendii autores cruciarent, videbatur. Factum tamen ſeu ordinatione divinâ, ſeu Catholicorum ipſis etiam Magnatibus occultè permixtorum conſilio, ſeu concepto ex Hiſpanorum vicinitate ac Indorum converſorum numero timore, ut nihil tunc acerbiùs conſtitueretur, quàm ut P. Didacus ad Eccleſiam ſuam *Guarancallenſem* (b) remit- (c) de Guarancalla. teretur, P. Marcus verò perpetuó mulctaretur exilio, adjectâ mortis, ſi rediret, comminatione.

4. Triſtem maximè ſententiam reddiderunt neceſſitas ploratuſque novellorum Chriſtianorum: qui Apoſtolis ſuis, antequàm ſepararētur, inſignem auri maſſam, & quæ ter mille peſis æſtimabatur, attulerunt, quæ ab his, quippè qui conſtantiſſimè divitias aſpernabātur, nō aliâ ratione voluntateq; fuit admiſſa, quàm

ut

ut ex ea calices aliæque hierothecæ ipſis adhuc Indis, ut ſperabant, ſervitoræ pararentur. Totam ſecum P. Marcus ſumpſit. Cuzcum profectu-rus, ibique res, quas ex illis diſpoſuerant, curaturus. Diſcedéntem Ingæ Centuriones inſolenti planè ac moleſto comitatu ad terminos Provinciæ deduxerũt. Ipſe autem Cuzcum perveniens nuntius fuit oculatus indubitatuſque eventuum in *Vilcabamba* tàm diverſorum, ac tradito Prælatis, quod adferebat, auro, ſategit quidem ut ſacra vaſa pararentur, ſemper tamẽ triſtis lacrymaniſque, quòd à tàm propinqua, & quam digito jam tangere videbatur, paſſionis occaſione repelleretur. Reliquum ejus vitæ poſteà exequemur.

5. Nunc autem P. Didacum per acerbiſſima tormenta ſequemur ad glorioſiſſimam mortem. Cum ille, poſt P. Marci abſceſſũ pararet ſe ut *Guarancallam*, prout juſſus erat ablæ decreto, abiret, placuit priùs Ingam ſalutare, ne hujus officii neglectus novæ perſecutioni cauſa obtenderetur. Accedentem Inga humaniter ſuſcepit, detinuitque ne diſcederet, addens, parentis ſe eum loco habiturum; velle ut conſtanter ſibi adſit: depulſam P. Marci exilio iram; hujus non aliam fuiſſe cauſſam quàm quòd Indorum pueros caſtigaſſet. Ita vilis apoſtata vanas furori ſuo ſubditorumque cauſas prætexebat, cùm nondùm aut vellet aut auderet patefacere veras. Tantùm intereſſe putavit, quam ob cauſam iraſci crederetur.

6. His amoris indiciis occultari poſſe apoſtatam animum Inga reputabat, nihilo à vitiis emendatior, quæ in ipſo P. Marcus reprehenderat, quæque P. Didacus, cùm ea adverteret ac nanciſceretur tempus reprehenſioni opportunum, non ferret. Intereà totum ſe charitatis obſequiis impendit, invigilans non animatum tantùm ſaluti, ſed & curandæ corporum ſanitati. Charitatem hanc apud omnes, præcipuè apud advenas voluit eſſe illuſtrem. Et quando hic peregrini deeſſent, Ingam ſuum veneraturi, ut eſt natio illa Ingarũ cultui immodicè addicta, undique accurrebãt: alios ad aulam negotia quæ nunquàm deſunt, alios ſolvẽda rigoroſè tributa trahebant, quorum plurimi, cùm longo centum ducentarumque leucarum itinere partim per algentes frigore, partim per æſtuantes calore terras accederent, non modicis incommodis & difficilibus morbis reddebantur obnoxii. In hos omnia charitatis officia alacer explicabat, eorum ſæpè medicus, coquus, & apud Ingam advocatus. Altiùs tamen hæc ſervitia & ad ſalutem animarum dirigebat, ut per illa ſcilicet ſuaviter Indorùm animis fides illaberetur. Intereà certè dùm cibos coqueret, dùm lectulos componeret, dùm medicinas adferret, triſteſque conſolaretur, tam induſtriè rudimenta Chriſtianitatis idolorùmque abominationes inſtillabat, ut non pauci ſacrà lymphâ abluerentur, omnes etiam nondùm planè converſi, poſtquàm ad propria revertiſſent; præcones fierent & inuſitatarùm virtutum quas in P. Didaco obſervaſſent, & doctrinæ, quam ex illo audiviſſent: eveniebatque ut & ipſi & eorum auditores ſi nondùm vitia plenè deteſtarentur, certè minùs amarent. His ſanctis occupationibus ampliùs annum exegerat ad utramque indefeſsè Eccleſiam currens recurrenſque.

7. Verùm quæ paulò antè P. Marcum cura adflixerat, eadem modò P. Didacum ſollicitum habet. Pluralitas uxorum, quas Inga alebat fruebaturque; & profuſæ atque ſuperſtitioſæ dæmonis præſentiâ Caziquorum ſeu Magnatum potationes. Utrumque crimen, cùm inter baptizatos tolerari nullatenus poſſet, Chriſtianâ libertate P. Didacus reprehendit, neque gratiâ Ingæ timens excidere, neque territus recentibus, quorum ipſe fuerat

fuerat ſpectator, exemplis furoris, quem tantò in ſe crudeliorem formidare potuiſſet, quantò ille ſi ſolet eſſe effrenior iteratis ſtimulis concitatus, niſi omnem planè timorem zelo honoris Dei anteà exuiſſet. Ac *Coya Angelina* quidem libertate & conſtantiâ monitoris irritata odium concepit, poſteà paritura. Inga autem & Caziqui detectâ ſimulatione & omni reverentiâ abjectâ palàm perſequi Chriſtianos cœperunt, cogentes, ut abjuratâ, quam ſuſceperant, fide, ad idolorum cultum redirent; & urgentes hos, qui fidem negârant, ut baptizatos parvulos idolis immolarent, beneficio quidem parvulorum maximo, cuique æquale ab amico Inga ſperare nunquàm potuiſſent, ſed immanitate, quam ipſi etiam barbari horruiſſent.

8. Nec ſegnior in animandis ad ferenda pro Regis ſui & Salvatoris gloria ſupplicia Chriſtianis P. Didacus erat, advolans ad quoſcumque poterat afflictos. Accidit intereà nova ſed inſignis exercendæ charitatis occaſio. Hiſpanus quidam Romero dictus effodiēdorum metallorum auri & argenti egregiè peritus in *Vilcabanbam*, intemeratam adhuc Europæorū cupiditate Provinciam, venit, quærendique metalli ab Inga licentiam petivit & obtinuit. Invenitque paucis diebus auri venas non-contemnendas. Quod cùm ad Ingam ſpe impetrandæ diuturnioris ampliorisque licentiæ tuliſſet, hic veritus, ne, publicatâ auri-fodinarum famâ, omnis cupidorum exercitus in ſuas ditiones converteretur, occidi Romerū juſſit. Qui cùm contra præcipitem inconſultamque ſententiam jure ſe defendere pararet, rumore vulgato P. Didacus accurrit ſupplicatione ſuâ infortunatum Romerum ſupplicio extremo erepturus, aut certè in tanta neceſſitate confitentis peccata auditurus. Cùm Ingæ nunciaretur properare ad aulā P. Didacum, ille ſuſpicatus quod res erat, ac præſcindere volēs preces rogaturi, miſſo repente nuntio vetuit ne propiùs accederet, ſed ad Eccleſiam ſuam rediret; fore, ni faceret, cum ipſo ſimul Romero necandum. Atque ita quidem Romerus capite plexus pœnas dedit ſeu immodicæ ſeu imprudentis cupiditatis: Inga autem non tantùm injuſtitiâ ſententiæ, ſed negato inſuper ad ſepulturam corpore, barbaræ reliquit crudelitatis exemplum. Nam cum interfecti cadaver P. Didacus depoſceret more Chriſtiano humandum, tantùm abfuit ut concederet, ut etiam ſub indignationis ſuæ comminatione prohibuerit à loco, in quo jacebat, removeri; voluntatis ſuæ eſſe teſtatus ut vel à volucribus vel feris voraretur. Poſteà tamen in flumen projectum fuit. Hîc P. Didacus Tobiæ, *qui mortuis atque occiſis ſepulturam ſollicitus exhibebat* (a) *plus timens Deum quàm Regem* (b) officium & animum ſumpſit, contemptiſque Ingæ minis quærēdo corpori quatuor ad ripam fluminis diſcurrens noctes impēdit.

(a) Tobiæ cap. 1.20.
(b) ibidem cap. 2.9.

9. Placuit præterea larvato ſpeciei ſingularioris affectus commento conſtantiam P. Didaci experiri, eumque ebrietatum ſuarum reddere participem aut ſpectatorem: non defuturas hac occaſione ſeu cavillandi ſeu ſæviendi cauſas. Epulum Caziquis ſuis Centurionibuſque Inga inſtruit, & ad illud vocari P. Didacum curat. Rogatus pluries variiſque rationibus inflexibiliter ſe excuſat, nunc Sacri neceſſariò dicendi, nunc aliarum occupationum reponens impedimenta. Quod Ingæ cæteriſque, ac maximè Martino Pando Secretario Regio, uti præter opinionem, ita accidit acerbiſſimum. Exacerbatos omnium animos magis accendit potus intemperantior, ut inter delicias convivantium mors P. Didaci ab omnibus jactaretur, Coyâ Angelmâ Polanquilaco conceptū anteà odium parturire geſtiente, ideoque calentes aliorum animos ſuis orationibus in furorē præcipitante. Adeò ut nec his epulis ſua defuerit Herodias illiciti reprehenſione concubitûs cōcitata.

10. Quinto

10. Quinto ab hinc die Inga ad patris ſui *Manco* Majorumq̀ue ſuorum ſepulcrum conceſſit, copioſis illud lacrymis ethnicorum ritu perfundens. Iſto in manes parentis officio perfunctus, diei reliquum atmiludio, quod ad imitationem Hiſpanorum didicerat, cum Martino Pando, ex Hiſpani cum Inda concubitu nato, exegit. Corporis autem, quod craſſum habebat, mole, motuſq̀ue vehementiâ cùm immodicè æſtuaret, neglectâ calentis corporis curâ, id unum egit quòd largiſſimo ſe potu proluerit, inebriaveritq̀ue, indè in ſupremam ægritudinem prolapſus.

CAPVT V.

Infelix Ingæ mors, & P. Didaci glorioſum per multa tormentorum genera martyrium.

1. ASOMNO, in quem ebrius inciderat, Inga experrectus, latera dolore premi, & repleri inflatâ inuſitatè linguâ os ſenſit; cùmq̀ue gravatum præcedẽtis potus exceſſu ſtomachum exonerare vellet, evomuit ſimul ſanguinem: qui cùm copioſior eſſet, quàm ut per anguſta oris, quod craſſior ſolito lingua occupabat, latera trãſmitti poſſet, per nares ſibi exitum quæſivit. Periculo Ingæ publicato adeſt mox P. Didacus, immemor ſui, quod ex recenti Magnatum offenſa imminebat. Scopus accurrentis erat, ut ſi poſſet, Ingam ad Catholicæ fidei profeſſionem, quam deſeruerat, revocaret. Solent ſcilicet mortis propinquitas & æternorum cruciatuum timor conſilia ſæpè ſana admittere, quæ luxus ſanitaſq; & tidentior fortuna exploſiſſent. Iſta ergò ſeriò Ingæ P. Didacus inculcat, nihil profuturus, ſcelerum conſuetudine mentem illius obcæcante. Nocte exactã cùm dolor augeretur & alias inſuper corporis partes invaderet, nec ceſſaret ſanguinis ejectio; malo Regis cõſternati aulici; maximeq̀ue Martinus Pando & Gaſpar Sulcayaoa, qui præcipuâ apud Regem gratiâ pollebat, confectam barbaro more ex albumine ovi & ſulphure medicinam ægrotanti obtulerunt, ſiſtendo ſanguini, ut arbitrabãtur, oppidò opportunam. Oblatam ab amiciſſimis, omnia jam, ut ſolent tyranni, timens, primò recuſavit, increpuitq̀ue acerbiùs offerentes, quaſi pro remedio venenum fuiſſent præbituri. Poſteà verò reſumpto ad gliſcentem ægritudinẽm animo converſus ad Martinum Pando referri, quod recuſaverat, poculum juſſit hauſitq̀ue intrepidè, *Quàm te*, inquiens, *Martine amaverim amemq́, nullo unquàm, quàm nunc, manifeſtiori diſcere documento potuiſti, qui ſalutem meam hauſtu medicinæ in arbitrium tuum tranſmiſi. certus nihil à Te mihi, quod noceat, propinandum.* Crevit ſubitò ſeu naturâ ſuâ ſeu potionis virtute malum & intra ſpatium horarum viginti quatuor à cœpto laterũ dolore logã Apoſtatã Patriſq̀ue Didaci pertinaciter monitis obluctantem infortunatiſſimâ morte extinxit. Atque hæc veriora ſunt pluribuſq̀ue ac dignioribus teſtimoniis roborata, quàm quæ poſt annos viginti novem duæ mulieres aſſeverârunt, audiviſſe ſe ex Ioanna Guertero Martini Pando uxore, non adfuiſſe ſcilicet Ingæ jam morituro aut P. Didacum aut Martinum Pando, neque ab hoc ſumpſiſſe poculum, quod ultimum hauſit.

2. Mortuo in hunc modum Philippo Cuſitito, mox frater ejus natu minimus, nomine *Tubac amaro*, qui in pago *Marcanay* ad territorium *Vetere - Vilcabanbâ*, ad decimumquintum ferè *Puquiurâ* lapidem

diſſito degebat, Inga ſalutatus eſt, tradito, quale ibi io uſu erat, (a) ei regni diadema. Verùm aliud P. Didaco diadema paratur, colore purpureo quidem alteri non abſimile, gloriâ verò multò excellentius, ad quod tingendum totum ille ſanguinem impendit. Coya etenim Angelina impotentis animi mulier cupidaque vindictæ, morte mariti impatiens reddita, & ſimul ab ejus libera jugo, ingens, quod pridem conceperat, odium unico velut partu in præconem, à quo pluries fuerat reprehenſa, effudit. Adeſſe ſibi jubet ex Magnatibus quinque, quos in mortem Religioſi juraſſe ſciebat; Horum nomina erant *Curipaucar* exercitus Indici Legatus, *Guandopa, Canarco, Tumi,* & *Atoc.* Hos tumultuariâ iratâq; oratione compellat. *Vt quid vobis viventibus peregrinus ille doctor etiam-num vivit quem è medio ſublatum jam dudum oportuit? Segnes nimiùm virorum iras eſſe non ſemel experta, ſentio ex tarditate veſtra incrementum ſumere iram noſtram. Ite, capite hunc advenam, &, ſi poteſtis, unà cum Martino Pando ejuſdem ferè gentis homine (b) diſcerpite.* Cùm irent ut Coyæ mandatum exequerentur, alii in crudelis ſocietatem ſceleris ſeſe adjunxerunt, *Macora, Sotic, Manacotana, Paucar Inga, Paloc, Cegne, Gualpayucra, Rimache, Tupa,* &c, quibus cæterorum dux erat, *Martinus Pando*, ſolus inter hos poſteriores baptizatus, ſed eo deteſtabiliùs crudelis, quòd poſt plurima eaque ingentia beneficia in Præceptorem ſuum nullâ causâ ſævierit. Hic dux furentis quindecim carnificum cohortis factus gloriæ eſt P. Didaci ſuffragatus. Nam cùm illo ductore, qui ultimum Ingæ poculum propinârat, ab improbis ad necem quæreretur, omnis ab illo abſterſa fuit ſuſpicio parricidii veneno in Ingam attentati, cujus impietas malevolorum cum reum facere (frequentes hæ ethnicorum technæ fuerunt) potuiſſet. Quare ſi crimen aliquod in morte Ingæ intervenifſet, fuiſſet id non P. Didaci, ſed Martini Pando & Gaſparis Sulcayana. Verùm & hos abſolvit remedii, quod tunc ab illis datum fuit, uſus in India ad iſtius generis ægritudinem maximè conſuetus.

(a) lib. 1. cap. 8. nu. 3.

(b) erat ex Hiſpano & Inda natus.

3. Veræ igitur tàm immanium ſupra omnem fidem cruciatuum, ad quos hiſtoria nos trahit, cauſæ fuerunt odium veritatis, quâ non ſemel Ingam, Coyam, Magnateſque caſtigârat, & incenſum in *Chuquipalpa* (c) idolum. Obſervavit ſtudioſè pieque gravis Scriptor P. M. Antonius de la Calancha (d) quantâ ſimilitudine hujus in Peruvia Proto-martyris tormenta paſſionem Chriſti imitentur. Quod hîc ſemel notare placuit, atque lectorem ad dicti Autoris opus verbo evocare. Nos hujus rei eventum abſque aliarum permixtione commentario ſcribimus.

(c) cap. 4.

(d) lib. 4. Chronici ſui cap. 5. & 6.

4. Furens turba noctu egreſſa ac ducem ſuum ſecuta P. Didacum in templo invenit fervidæ orationi intentum. Cæleſte invocabat auxilium contra tempeſtatem, quâ turgidam notârat aulam, erupturam. Non eos detinuit loci reverentia, non orantis modeſtia, non naturæ lex neminem damnans punienſve inauditū: non ipſum denique Martinū deterruit venerandū Sacerdotium. Omnes certatim conviciis primùm, ac mox verberibus innoxium adorſi ſunt, pro armis habentes, quidquid vel ipſa humanæ naturæ compoſitio, vel aliundè furor miniſtraret, pedes, alapas, pugnos, baculos, lanceas, tela. Poſteà prehenſis, quos in capite coronæ in modum Religioſi geſtant, pilis detrahunt in terram, pedibuſque pectus, ventrem, ſcapulas, omniaque omninò membra conculcant, convitia *proditoris*, impoſtoris à dæmonio poſſeſſi, falſæ doctrinæ autoris ac deorum ſuorum inimici identidem ingerentes. Finem verberandi laſſitudo fecit non miſeratio, quam non facilè timida pectora, qualia plerumque Perüani gerunt, admittunt; tantoque unuſquiſque, ſi rerum potiatur, immitior eſſe ſolet, quanto eſt imbellior: generoſus

animus,

animus, niſi impulſus, non nocet; moxque, ubi vitæ, famæ, bonorumque defenſioni ſe ſatisfeciſſe arbitratur, ignoſcit.

5. Illi quamquàm ſinguli vires ſibi reparandas quiete ſentirent, hanc tamen à miſello, qui omnium ſuſtinuerat impetnm, abeſſe voluerunt. Injecto in collum ejus & brachia fune, (qui, quod ex acutis arborum ramuſculis ſit contextus, velut culter penetrat) hæc poſt tergum religant, detractiſque, prætetquam quibus partes, quas natura eſſe ſecretas voluit, velarentur, veſtibus, ſub dio, ubi calens ex præteritis agitationibus lividumque corpus frigore conſtringeretur, conſtituunt. Tunc ad illum, *Impoſtor, dic ſi in Regis noſtri morte complex non fuiſti. Aut ſi ille fato ſuo interiit, eundem ex mortis imperio revoca ad vitam, quam Chriſto tuo poteſtatem tàm jactabundis ſermonibus adſcribis. Niſi faxis, vitam tibi, ne impunè profudiſſe mendacia puteris, inuſitatis eripiemus cruciatibus.* Ad quæ humiliter manſueteque ipſe. *Quid enim mali vobis feci, quem tam malè mulctatis? Sint hæc ad honorem Dei, quæ patior. Si etiamnùm Inga veſter ſupereſt, communiq; nobiſcum aurâ veſcitur, incruenti oblatione ſacrificii ejus à Deo meo ſanitatem poſtulabo. Si exceſſit, eandem pro anima ejus ſalute victimam immolabo. Vt autem revocetur ad vitam, quis vobis promittat? Vt ego non audeam, mea me peccata detinent. Conſtanter tamen & ſæpè & millies aſſevero, Deum meum Chriſtumq; meum omnium eſſe mortuorum Dominum, potentemq;, quos volet, reſuſcitare.* Quo reſponſo, quod ſuâ modeſtiâ furentes animos mitigare potuiſſet, magis irritati, eâdē, quâ anteâ, ſeu verberandi ſeu convitiandi inſolentiâ innocentem invaſerunt, iſto certè crudeliores, quod jam non in integrum ſed ex præcedentibus ictibus imbecille corpus fuerint debacchati, quodque immitibus funis tractibus carnem conciderint dimoverintque ſuis locis brachia. His permixtìm inconditis clamoribus vociferabantur. *Regem noſtrum mortuum reſuſcita, qui prædicas Deum, quem adoras, omnipotentem. Omnipotens fateor*, reddebat ille, *quem colo & prædico, Deus eſt, ſed ego magnus peccator ſum. Sint ad honorem Dei quæ patior.* Talia dicentem pluriesque ad eaſdem ab illis repetitas blaſphemias eadem reſpondentem continuis fuſtigationibus impetebant ad mediam uſque noctem.

6. Tunc cum duobus tribusve Chriſtianis (erant hi, quoſque ſuſtentabat & veſtiebat, plurimi, ſed quos metus ad latebras, indefenſo magiſtro & nutritore ſuo, coëgerat) ingreſſus eſt Ioannes Quiſque inter Indos inclytus, & Regi, dùm viveret, charus. Hos carnifices conſpicati, veritique ne cæterorum Chriſtianorum nomine ad defenſionem Sacerdotis ſui properarent, fingunt has illi à ſe pœnas, quòd Ingam occîderit, infligi; larvam hanc, mox ut viderint, quo animo Ioannes advenerit, poſituri. Cùm enim ille ingratus apoſtata ſeu verbis ſeu ictibus inſolentiùs cæteris ſæviret, alii abjecto metu omiſſâque parricidii calumniâ, veram furoris cauſam intrepidè effantur, clamantque, ut aut Ingam reſuſcitet aut fateatur Chriſtum ſuum id facere impotentem. *Non eſt*, ait ipſe, *impotens ad iſta Chriſtus meus, ſed ego miſerrimus peccator ſum.* Sed & Coya atroces artificum animos repetitis identidem nuntiis magis magiſque incendebat, ut jam inter crimina haberetur, minùs ſæviiſſe. Quare nihil, quod ad incrementum dolorum facere poſſe videretur, omittunt. Frigidam funi nodiſque infundunt, ut eâ inflati arctiùs carnes conſtringerent, & innatâ ejus qualitate corpus congelaretur, utrâque autem cauſâ dolor redderetur vehementior. Sed duriora omnibus improperia erant. Effuſæ undique voces reſonabant, *Nunc libertati, quâ Deos noſtros, ſummâ injuriâ, exſibilaſti, quâ nos, nullâ reverentiâ, caſtigaſti, merces redditur. Dic Chriſto tuo ut Regem noſtrum reſuſcitet, & te cruciatibus his eripiat: nā, quos hactenus paſſus es, luſus ſunt ſecuturis com-*

parati. P. Didacus autem ſolitâ ſuavitate eandem canebat cantilenam. *Si vivus, dùm dies orietur, perſtem, ſacris operabor, Deumq; meum rogabo, ut, ſi quidem nominis ſui gloria judicet expedire, vita reſtituat Ingam veſtrum. Timere tamen meorum me facit memoria peccatorum.* Atque ita inter verbera & opprobria tota exacta nox fuit.

7. Iam lucem mundo Sol reduxerat, ſpiſſiores tamen tenebras in cordibus impiorum obſtinatio denſabat. Sacrum dicere & Ingam reſuſcitare imperant impotenter vinculis nondùm ſoluto. Hæc ut ſolvant P. Didacus precatur, paratum ſe dicens imperatis, quantùm vires ſinerent, quantùm Deus faveret, obtemperare. Solvunt, at non ſine intimo doloris ſenſu, ruptâ violenter funium cum carne conglutinatione, quam diuturnitas temporis fecerat & ſanguinis cōſtipatio. Verùm quî moribus tam variis corpus inflecteret, quod vix loco conſiſtere debilitas ſinebat? quî luxata membra ad officia revocaret? Ob hæc tergiverſantem conſpicatus Martinus pando, exutâ omni humanitate arripit capillis dejicitque in tergum, atque in pectus & ſcapulas inſiliens, *Hoc tibi modo*, ait, *impoſtor, membra reponam.* Et repoſuit, ſed crudeliori, quàm luxata fuerant, ſupplicio, ut ne quidem tunc uti illis ad Miſſæ officium potuerit. Quæ non barbaries tantillas, donec vires revocaſſet, indulſiſſet inducias? Nonne ipſam contra tormenta pugnare lictorum naturam putares? Sed *Tipſo* Indus ferâ omni atrocior miſelli & vix ſpirantis pectus, ventrem, ſcapulas, brachia tam frequentibus & immitibus ictibus perpluit, ut vel ipſi, qui tormenta inferebant, extinctum arbitrarentur. Et jacuit ita aliquantulùm. Cùm autem ad mentem rediret, ſufficerentque ad formandam vocem vires, ita, languide adhuc tamen, effatus eſt. *Sit pro amore Dei, qui vobis ignoſcat. Quid vobis mali feci, quod in me tàm immaniter ſævitis?*

8. Miteſcere hac voce tygrides potuiſſent, quâ ſceleſti illi magis obduruerunt. Dicere Miſſam jubent & meminiſſe aut revocandum per ipſum ad vitam Ingam, aut ipſi mox è vita migrandum. Sacris ſe veſtibus, opitulante Deo, induit: Sacrum inchoavit; ad populum, quando id faciendum ſacri præſcribunt ritus, ſe vertit; non alios tamen eorum, quibus Dominum apprecabatur, conſpexit vultus, quàm vibrantium in ſe haſtas, & ſacris illudentium myſteriis. Indigni in Eccleſia geſtus tàm copioſè lacrymas è celebrante expreſſerunt, ut rivi inſtar defluentes Caſulam, Albæ manicas, Corporale, ac ipſum, quòd natantes oculos propiùs admovere neceſſe eſſet, librum irrigaverint, uti omnes concorditer teſtes aſſeruerunt. Zelanti charitati ante omnia ſemper gravis fuit divini cultus contemptus, proximè æterna perditio animarum; proprii corporis curam ſemper in poſtremis habuit: cujus tamen tormenta etſi generoſus vincat animus, ipſi naturæ moleſtiſſima eſſe perſentiſcit. Nam & Dei filius noſtrâ carne indutus appropinquante paſſione triſtem ſe eſſe uſque ad mortem confeſſus fuit, Patremque Deum, ut, ſi poſſibile eſſet, calix iſte à ſe tranſiret, rogavit, non ſine ſanguineo ſudore totum corpus percurrente. (a) Potuit itaque præteritorum & imminentium rurſus dolorum horror lacrymarum abundantiæ in P. Didaco opitulari.

(a) *Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22.*

9. Cùm ſacrorum virtute verbòrum panem in corpus, vinum in ſanguinem Chriſti tranſire feciſſet, aliquantulùmque ſe oblati à Chriſto in ara crucis ſacrificii memoriâ reficeret, atque commendaret fervidâ prece Deo, ut, ſi ita viſum foret, reſuſcitatione Ingæ infideles ad credendam mortuorum reſurrectionem ducerentur, omnes quidem has moras moleſtè ferebant; Ioannes Quiſpe verò cæteris impatientior alapam magnis viribus meditatus impreſſit. Ad quæ ille erectis primùm ad cælum oculis ac mox in ſacram hoſtiam defixis non

aliter

aliter reſpondit, quàm, *Sint omnia pro amore Dei*. Res mira! exaruit eo ipſo inſtanti ſacrilega manus, quam Joannes aridam tulit annis ſex ſupra quinquaginta in teſtimonium non magis divinæ vindictæ, quàm barbaræ feritatis. Supervixit ſiquidem ille ad annum uſque milleſimum ſexcenteſimum vigeſimum quartum, ſub initium quidem, ne fortè Hiſpanis vindicibus puniretur, negans delictum, poſteà verò palàm illud, cæleſtemque ſimul punitionem confeſſus. Rogatus cur magis ipſum quàm cæteros ſacrilegii participes tam celeriter ſuperna ira occupaſſet, reddidit incunctanter, quòd, cùm ipſe Chriſtianorum ſacris eſſet imbutus, atque eum P. Didacus præcipuo fuerat favore proſecutus, crudeliùs nihilominus cæteris in eundem ſæviſſet. Cauſam porrò hujus cum inſigni ingratitudine crudelitatis fuiſſe imbecillitatem animi imparis infidelium opprobriis, quibus, quòd Chriſtianus eſſet diſcipuluſque vilis & impoſtoris Religioſi, illi improperabant, & nimis impotentis ut metum mortis, quam ab aliis ſibi inferendam formidabat, ſuperaret. Ut utraque, impropetia ſcilicet mortemque, evitaret, atroci hoc facinore voluiſſe omnibus monſtrare, quàm averſum à Sacerdote, quem perſequebantur, ejuſque religione geſtaret animum.

10. Quis non arbitraretur Indorum pectora, quæ jam ad omnem benignitatem adamante duriùs obriguerant, tàm manifeſto divinæ iræ exemplo fuiſſe conſternanda? Verùm ſolent obdurata inuſitatis prodigiis in furorem potiùs agi quàm miteſcere. Accidit hoc certè P. Didaci tortoribus, qui ad manſuetudinem ejus humanâ majorem, & aridi brachii portentum vix ſibi, donec Sacrum abſolveret, ab ictibus temperârunt, ſacroſancta myſteria blaſphemis continuò clamoribus interturbantes.

11. Ut ſacras poſuerat veſtes involant immites Indi, verberibuſque confusè certantes, cur non reſuſcitaſſet Ingam, exquirunt. *Potuit*, ait ille, *Omnipotens, quem confiteor & prædico, Deus, id, quod petitis nullo ſuo labore aut moleſtiâ feciſſe, ſi ejus placitum fuiſſet voluntati, & gloriæ opportunum. Sed quis rogat Omnipotentem, aut in inſcrutabilia ejus penetret judicia?* Nondùm loquendo finierat, quandò rurſùm, uti fecerant priùs, deficientibus viribus tremulum invaſerunt, & tantùm-non elumbârunt & exoſſârunt, eò ſemper deteſtabiliori crudelitate, quò in magis miſerum debacchabantur. Hîc iterum inſignis præ aliis Martini Pando notata ſævitia fuit & ignominioſa opprobria.

12. Nulla corpori requies, aut ullum datum fuit cruciatuum intervallum, ut portentum ſit tot inflígi continuò potuiſſe, & patientem in vivis perdurare. Voluit procul-dubio Deus novo iſti mundo dare forte Chriſtianæ patientiæ exemplum, ut diſcerent jam baptizati, & increduli obſtupeſcerent veræ charitatis vires, quâ tanta; tantâque modeſtiâ perferuntur. Tàm malè, ut dictum eſt, habitum mox in altam, quæ in cœmeterio erat, crucem agunt, ſcindentibuſque, quas diximus, chordis collum, brachia ac pedes ſtrictiſſimè alligant ut novis vulneribus caro divideretur. Patebat commodè ad ictus ſuſcipiendos anterius corpus, illudque tàm immani ac diuturnâ, variatis ac mutuò ſuccedentibus tortoribus, fuſtigatione fregerunt, ut ruptis venis laxatâque carne ſanguinis rivi defluerent. Nec ferociùs in corpus quàm in animum tunc ſævitum fuit. Nam detracta ab altari ornamenta, eaque cum caſula, alba, calice, corporali, in aream in conſpectum ejus allata variis ſed non nominandis ſordibus ſacrilegè fœdârunt, ſacrato calice ad profanas potationes abutentes, illudenteſque Chriſto, tàm ſcilicet ad ſuſcitandos mortuos & ad liberandos ſibi ſervientes potenti. Inter hæc una iſta P. Didaci elatis in cælum oculis languidè pronuntiantis vox audie-

audiebatur. *Pater dimitte illis non enim ſciunt quid faciunt.* (a) Illi intereà in humilem pauperis Religioſi cellulam irrumpentes extractam indè ſupellectilem, cappam ſcilicet albam ac nigram, duaſque tunicas breviores & ſtragulam unam, inter ſe partiti ſunt, ut & in hoc ſimilitudinem paſſi Salvatoris, ignorantes quidem ſed altiori proculdubio acti directione, exprimerent. Loca deinde ubi celebrare, ſedere, dormire ſolitus erat quaſi ea placuri, fricabant radebantque, altare demoliebantur, omniaque velut anathema ac indignum, quod ultrà hominum conſpectibus objiceretur, projecerunt in flumen, ejus impetu in alias regiones deferendum. Potuitne abominationis, quâ Catholicam Fidem deteſtarentur, ſignum dari manifeſtius?

(a) Lucæ 23. 34.

13. Abſtractus de cruce, cùm impotens pedibus conſiſtere, quòd longum jejunium, continua tormenta, ac fuſus tàm copiosè ſanguis vires abſtuliſſent, in ſcabello, quod fortè ibi erat, conſediſſet, rurſùs eum Martinus Pando calcibus pugniſque aggreſſus eſt, ac alii poſt eum Indi. Cauſa hujus ſævitiæ erat quod triſtes madenteſque lacrymis oculos in cælum elevaſſet. *Ecquid*, vociferantur, *cælum aſpicis furcifer? aliquodne ab ejus incolis tibi auxilium adfuturum ſperas, quo manibus noſtris eripiaris, qui non potuerunt mortuum ſuſcitare?* Hîc ariditate brachii caſtigatum Ioannem Quiſpe ob impactam Sancto Martyri alapam plurimi teſtes volunt. Siluit ſummâ manſuetudine P. Didacus, rogavitque viribus deficiens ut panis ei buccellam darent. Quem cùm bis-coctum adeoque durum, ut eum vix inhærentes maxillis ob crèbras concuſſiones dentes comminuere non poſſent, attuliſſent, aquam poſtulabat ad molliendum panem atque ad reſtinguendam, quâ mirum in modum torquebatur, ſitim. Verùm barbari omni humanitate exutâ ſalem, fel, herbam illis *colpa* dictam amaritudine myrrhæ noſtræ non abſimilem, aliaque cum illis excrementa in urina ſordidè permixta eſurienti ſitientiq; obtulerunt. Oblatum tot nauſeis plenum vas P. Didacus recuſavit, donec impoſitis collo mucronibus & pectori lanceis ad bibendum urgeretur. Tunc oculis rursùm in cælum molliter projectis totum, naturâ licèt ampliùs quàm ad omnes hactenus pœnas reluctante, hauſit.

14. Perhorreſce ad hæc ipſa crudelitas, ſed magis etiam ad ſpectaculum quod producere aggredimur. Vix evacuârat tàm amarum immundumque calicem, cum ipſi, creſcente cum ſingulis, quæ inferebant, tormentis furore, utraſque P. Didaci genas labiumque inferius ſub lingua ſeu ferro candenti, (b) ſeu veriùs reperto fortuitò oſſe (c) perforarunt, rudique, qualem non ſemel deſcripſimus, fune (d) per foramina immiſſo, qui per collum propenderet, per plateas ad Coyam Angelinam, ut ſpectaculo ſuæ feritati digno frueretur, pertraxerunt, execrabilibus cum maledictionibus, ſeu odio veritatis fideique ab illo prædicatæ, ſeu Coyæ adulatione, proſequentes. Cerne, acerbiſſima Coya, lividum, tumidum, fractumque tot ictibus totum corpus; vide ſanguinis rivos undiq; in terrã defluentes; intuere capiſtrum agno manſuetiſſimo multò crudeliùs, quàm indomitis ſolet equis, injectum, &, ſi nondùm in feriſſimam feram degeneraſti, miteſce. Sed non habent vindictæ fœmineæ modum.

15. Dùm ſe carnifices vident inſolito ferocitatis ſpectaculo Coyæ placuiſſe, eandem ſibi gratiam à *Tupac Amaro*, qui defuncto fratri recèns in imperio ſucceſſerat, promittunt. Hic in municipio *Marcanay*, quod *Puquiura*; ubi cœptum fuit martyrium, novem Indicis, Hiſpanis quindecim ferè abeſt leucis, ſedem vivente adhucdùm fratre fixerat, & tunc totus feſtivis ob delatum ſibi regni diadema epulis vacabat. (e) Iter monroſum erat, & projectis paſſim lapidibus arduum. Illuc ergo P. Dida-

(b) P. Nicolaus Cruſenius in 'ino monaſtico 3. parte cap 46. P Georgius Maigretius in ſua Martyrographia P. Ioannes Nævius in Exem. Auguſtiniana, ioque ſecundum primas informationes à Prorege Martino Vriado Romam anno 1606. miſſas.
(c) P. Antonius de la Calancha lib. 4. cap. 6. ſecundùm informationes poſteriores factas in ordine ad beatificationem P. Didaci.
(d) Priores catenam, ex iiſdem informationibus dixerunt poſteriores funem.
(e) Ibid. ſup. num. 2.

P. Didacum non ducunt ſed trahunt immani capiſtro. Si debilis integros ac properantes non aſſequeretur, ſi pedem offenderet, ſi in terram decideret, ſævis funium tractibus, velut miles calcaribus equum, adigebant, ſæpè pro ludicro habentes miſellum in terram dejicere ut tolerabiliùs viderentur poſſe inſanire.

16. Furentem properantemque turmam Indi, qui ad novum Ingam munera oblaturi pergebant, in via conſpicati, attonitique inuſitatâ hominis afflicti ſpecie, dùm è propinquo curioſiùs intuentur, ægrè quidem, tandem tamen ſubſiſtendo agnoverunt eam eſſe illius, à quo tantis antè beneficiis fuerant cumulati. (a) Lacrymas omnibus extorſit ac ſimul deſiderium juvandi magiſtrum quondam ſuum, medicum & advocatum. Præcipuam verò non à ſtemmate magis quàm miſerationis affectu laudem Alphonſo Tipſo Lucumenſi (b) hiſtoria adſcripſit. (c) Verùm horum pietas aliorum magis impietatem auxit, dum lacrymas preceſque pro miſero fuſas conviciis ac minis inſuper, niſi ſibi moleſti eſſe deſinerent, repulerunt. *Quid ſtatis*, inquiunt, *bruta animantia? Abripite vos ac itinere veſtro, pergite, niſi velitis à nobis mox in fruſta diſcerpi.*

(a) cap. præc. nu 6.

(b) de Lucuma.

(c) P. M. Antonius de la Calancha lib. 4. cap. 6. num. 7.

17. Ita his, qui miſererentur, depulſis, barbaries rursùm P. Didacum ferociùs, quia, ut arbitrabatur, ſine teſte, adgreſſa eſt, deduxitque, ubi ingruens mox remotam quidem cœpto injecit itineri, nullam tamen attulit iſti, qui maximè indigebat, quietem. Verùm alligatum ad palum tunicâque nudatum & frigori ſub dio objectum, diriſſimè, velut ſi modò furere inciperent, carnem dicam, neſcio, an priora vulnera, impetiverunt; P. Didaco inter hæc non aliud, difficulter tamen, pronuntiante, quàm *Sit pro amore Ieſu Chriſti, qui vobis ignoſcat & mei miſereatur.* Ad Ieſu nomen, ad quod ipſi etiam dæmones contremiſcunt, velut in rabiem acti tam atrociter innoxium perſeuerunt, ut miraculum ſit, animam ex contuſo toties corpore non effugiſſe. *Omnibus*, ad hæc ait P. Didacus, *quibus lubet, me tormentis obruite, non abripietis fiduciam quam in Deo Ieſu Chriſto collocavi. Ille nunc mihi ad patienter ferenda vires, & pro tolerantis incomprehenſibilem brevi tribuet coronam.* Tùm Martinus Pando cæteris ſemper ferocior inhumaniorque, *Non permittamus*, inquit, *ut Ieſum Chriſtum invocet, ne ipſi auxilietur & nos caſtiget.* Infelix apoſtata & ingrate canis, ſi hactenus credidiſti poſſe, cùm volet, militi ſuo ſuppetias adferre Chriſtum, cur in Sacerdotem ejus, in doctorem tuum, inque patrem tuum, qui in Evangelio te genuit, barbaram turmam duxiſti, & ad ſæviendum crudeliùs exemplo tuo verbiſque incitaſti? cur eum, qui cùm occiderit (Chriſtianis enim legibus imbuto loquor) poteſt corpus & animam mittere in gehennam, antequàm tàm ferociter inſanires, non timuiſti? Iuſtus eſt nec falli poteſt aut impediri, ac proinde debitas opportunè à te ſcelerum pœnas exiget.

18. Finitâ in opprobriis & injuriis nocte cùm immitibus tractibus rurſus oſſa luxaſſent, ea rursùm pari, quâ ante, (d) feritate, & conſimili convitio repoſuit, alii etiam præcedentis diei tormenta repetiverunt, ſed ex arreptâ occaſione atrociores. Ingens magno impetu decidens procella non corporibus tantùm madore infeſta erat, ſed & inſtabiles reddebat inceſſus, & in occurſum itinerantium prægrandes lapides devehebat magna pedum offendicula. Sæpè igitur lapſantem in lubrico ſolo P. Didacum tractu funis dejecerunt, ſæpè eâdem violentiâ erexerunt. Sub noctem, quæ, à quo martyrium cœpit, tertia eſt, in ſpecum detrudunt, eoque modo conſtituunt ut influens largo canale aqua caput, humeros, totum denique corpus copioſè perfunderet. (d) ſup. nu. 7

19. His tantis tàmque diuturnis incommodis mortuum ipſi etiam, qui

qui illa intulerant, arbitrabantur. Verùm repererunt multò,quàm reliquerant valentiorem, divinâ proculdubiò conſolatione & manu, ut illuſtrior redderetur inter infideles patientia & conſtantia Chriſtianorum,ſuſtentatum. Cum accedentes ad ſe carnifices eſſet conſpicatus, eos benignè in hunc modum affatur. *Cur tàm eſtis in me immites? quaſi proprios ego vos filios dilexi, nutrivi, & docui leges omnipotentis Dei.* Ipſi verò ſilere juſſum mendaciiſque improperio illuſum è ſpecu educunt, trahuntque conſueto furore ad pagum *Guarancalenſem*, in quo Eccleſiam ipſe conſtruxerat, Chriſtianam tradiderat doctrinam, adminiſtrârat Sacramenta. Triſte nunc per omnes ejus plateas ſpectaculum exhibuit. Hinc abreptum eodem die ad novum Ingam *Tupac Amaro*, quem in *Marcanay* habitare epuliſque ob ſumptum recèns diadema vacantem diximus, (a) deducunt. Hic velut blaſphemũ, Diiſq; ſuis, maximè *Punchao*, exoſum averſatus, nunquàm, ut in conſpectum ejus veniret, permiſit; nec conſenſit, etiamſi aulicorum id preces ſeriò flagitarent. Capitis tamen condemnavit & inauditum,& conceſſo,quod ipſi mallent, genere mortis, in utroque injuſtus & barbarus.

(a) ſup. nu. 2

20. Vltimum tàm inclyti,quique cum præcipuis in Eccleſia certet, Martyris agonem ſpectemus. Pronunciatâ inter convivia tam impiâ ab Inga ſententiâ, condemnatum rapiunt ad locum aliquantulùm à pago remotum, quem inter duos colles interlabens rivus irrigabat, ſed ſuppliciis facinoroſorum deputatum, ac proinde *Inga patibulum* communiter dictum. Poſt P. Didaci martyrium nomen *Mananguañunca* id eſt, *nullatenus morietur*, ſumpſit & retinuit, æternum inuſitatorum tormentorum ab ipſo toleratorum monumentum. Hæc ſiquidem cùm ſæpius talia fuiſſent illata, ut ab ipſis etiam lictoribus tenacem quantumlibet animam fuiſſe expulſura crederentur, ipſe tamen ſuperviveret, immortalis opinionem illis ingeſſit. Quamobrem frequentiſſimè *mananguañunca* exclamantes, appellationem loco, uſque ad illud tempus infami,dederunt hactenus conſervatam.

21. Ibi tunicâ albâ, quæ ſola illi reſtabat, exutum atque in loco editiori conſtitutum, quintâ jam vice, atrociſſimè flagellaverunt, ut carnes hinc inde defluerent. Poſteà fœdè conſpuerunt fuſtigaveruntq́;. Cùm nec ſic moreretur,calamos inter manuum ac pedum ungues adegerunt. Deinde frequentibus ſagittis velut herinacium confixerunt, excitatoque ex putida materia copiosè fumo, & obturato pannis ore ſuffocare nitebantur. Dirè etiam ferrò faciem fricuerunt. Tandem, cùm in ipſorum exprobrationem vita ei prorogari videretur, Ioannes Tupa arreptam ſecurim gravi ictu capiti ejus inflixit. Cecidit ejus impetu jacuitque aliquanrulum P. Didacus ſenſibus deſtitutus, quibus cum redderetur, repetito ab eadem manu vulnere læthaliter ſaucium moribundumque barbaro tormento, ne ullum deeſſet, adacto ſcilicet per podicem ac ilia ad fauces uſque ligno, extinguere voluerunt, &, quia in omnibus cruciatibus cælum aſpicere conſueverat, hunc in eo oculorum motum irridentes, capite deorsùm & pedibus ſursùm in terra fixerunt, aggeſtâ terrâ lapidibuſque totum obruentes, & exiguum, quod ſupererat, ſpiritus ſuffocantes. Informationis, quam Provincia Perüana ad illuſtriſſimum Alexium de Meneſez ex Ordine Eremitarum S. P. Auguſtini Archiepiſcopum Goanum, magnũ illum Indiæ Orientalis Apoſtolum, ac poſteà Luſitaniæ Proregem miſit, hæc ipſa, quæ adſcribimus, §. 14. verba ſunt, eadem, quæ jam diximus atteſtantia.

Deſpues de eſto le tranſpaſaron con un palo largo por las partes naturales, haſta que con mas de dos palmos ſalieſe por el celodrillo, y teniendo deſte manera al fortiſsimo

tiſimo y valeroſiſſimo Martir incarõ el palo en tierra, poniendole la cabeça ázia bajo, diciendole qui mirava mucho al cielo, porque el ſoldado de Criſto deſeoſo de imitar a ſu Capitan en los tormentos y en la vitoria, pedia fuerças y favor al cielo, en quien tenia pueſto los ojos. Y viendo que aun con todos eſtos martyrios eſtava como una roca combatida de las olas del mar con una invencible patiencia, le echaron mucha tierra y piedras con que le dejaron cubierto. y con eſte cruelíſſimo ſupplicio dio ſu anima al Señor, por cuyo amor tanto padecio por los años de ſetenta y uno.

22. Et iſtis quidem ſuppliciis ex miſerrima vita ad immortalem P. Didacns anno poſt ſeſqui_milleſimũ ſeptuageſimo primo migravit, nondùm tamen fractum ejus cadaver furorem evaſit perſequentium. Nam capite ejus amputato atque in rupe collocato, reliquum corpus feris avibuſque diſcerpendum projecerunt. Adhuc tamen timebatur neque planè credebatur mortuus. Quare unus aliquis ex ſceleſta turba, *Didacus Aucalli* dictus, qui poſteà Provinciam adminiſtravit, *Videte*, inquit, *quàm conſtantes in cælum oculos impoſtor ille defigat. Ne fortè contra nos vindictam pro ſe impetret reſuſcitationem, manibuſve noſtris eripiatur, in vicinam hanc foſſam caput, & deſuper corpus projiciamus.* Placuit ſtultum inſanientibus conſilium, atque cum dicto executi ſunt, adhibitiſque nitri & patrli vini ritibus, quibus blaſphemos abominati genti mos erat, foſſam lapidibus corpori injectis compleverunt, rati ſatis hâc victimâ idolorum iræ, ut placaretur, litatum.

CAPVT VI.

Prodigia mortem B. P. Didaci ſecuta, & tremenda Dei in Vilcabanbenſes vindicta.

VERVM qui falſorum & Inanium Deorum iram tàm cruentâ victimâ placare ſatagebant, eâdem veri Dei vindictam concitârunt, voluitque Deus ut ipſi, qui divinam ibi venerationem occupârant, dæmones prænuntii fierent cladis ſecuturæ, cauſâ ejuſdem expreſſâ. Timor tremorque mox omnes nefandi ſceleris conſcios invaſit, ut Caini inſtar quò fugerent, quove ſe antro abſconderent, dubitarent. Videtur ſcilicet conſtanti Superùm ordinatione formido inſequi illos, quicumque deliberato injuſtoq; homicidio ſanguinem fuderint innocentûm. Convocant magorum ſuorum primarios cauſamque rogant tàm inuſitati tremoris. Qui, communicato priùs per incantationes cum dæmonibus conſilio, reſponderunt, 1.
Creatorem rerum omnium ac Do- »
minum verumque Deum indignis »
Sacerdotis ſui tormentis irritatum »
ſtatuiſſe Ingam omneque ejus ſtem- »
ma, ac ſævos ſacrilegii adminiſtros »
atque univerſam Provinciam me- »
morandâ ſæculis omnibus clade & »
vaſtitate exſtirpare ſanguine inno- »
xio hanc vindictam proclamante. »
Quo reſponſo velut ad decidentia jam in caput fulmina aucta conſternatio fuit.

2. Alterum portentum erat. Sole ad occaſum vergente ignis ædes invaſit epulis Indorum & ſuperſtitio-

ſis potationibus atque ſciſcitandis oraculis dedicatas, vagatumque citò & latè incendium, antequam ad reſtinguendum multitudo concurrere poſſet, tectum abſumpſerat. Viſus tunc omnibus coluber eſt medias flammas candenteſque carbones identidem atque illæsè permeare. Conſulta rurſum oracula rursùm prænuntia fuerunt vicinæ per ignem & ſanguinem cladis ob mortem Sacerdoti veri Dei tàm crudeliter illatam. Ita non raró dæmones licet inviti, cùm Summus jubet Dominus prædicant enormitatem criminum quorum fuerunt importuniſſimi incentores, intentantque acerbè minas ob inflictos dolores perſonis, quarum ipſi ſanctitatem abominantur.

3. Neque diu dilata caſtigatio fuit. Nondùm enim exacto à morte P. Didaci menſe vehementiſſima Provinciam peſtis occupavit: acceſſit intolerabilis fames locuſtis aliiſque vermibus grana & cibos abligurientibus: culices, quorum ibi ſemper abundantia eſt, tunc magnis agminibus conglomerati velut atræ nubes aërem obſcurabant, inferebantque moleſtiſſimum hominibus bellum. Mortua paſſim corpora ſtrata jacebant, alia mortis imaginem pallore macieque referebant, quibus ſola vox relicta videbatur, quâ ſe plangerent, atque lævis tortoribus crudelitatem tot tantorumque malorum cauſam exprobrarent devoverentque diris.

4. Quapropter illi, cum non ſatis à furore ſæviencis populi ſe tutos eſſe arbitrarentur, partim latebris, partim fugâ in alias regiones ſalutem quærebant. Verùm

Sequitur ſceleſtos ultor à tergo Deus.

Curipaacar Indici exercitus dux, cùm infeliciter cum irruentibus in *Vilcabambam* Hiſpanis conflixiſſet, tabidam animam evomuit. *Manacotana* truncatâ manu infortunatè exceſſit. *Paucar Inga* ex regio ſanguine, *Chogne* & *Gualpa Yurra* præcipitio interierunt. *Ioannes Tupa*, qui ultima capiti B. Martyris vulnera infixerat, fugeratq; ad *Chûchos*, Indus *Sucte* cœpto per guttur ictu, quod apud eam gentem ſummæ eſt ignominiæ, caput amputavit, *Rimache Tupangui* captus à Cuzcenſibus ac Limam ductus furens obiit. *Ioannes Quiſpe* quinquaginta ſex annis aridum in ſceleris teſtimonium brachium tulit. *Martinum Pando* paulò poſt B. Martyris mortem variis ſuppliciorum generibus Indi ipſi mactârunt. *Guandopa, Canarco, Tumi. Atoc, Sotic* & *Paloc* mutuis ſe interemerunt vulneribus.

5. Solus autem *Didacus Aucalli* miſericordiam conſecutus eſt, precibus proculdubiò P. Didaci conceſſus. Hic author fuerat ut capite deorſum in foſſam B. Martyris corpus projicerent, nunc ex turba perſequentium tactus præco veritatis annos natus omnino ſexaginta magnis & repetitis quotidie, donec ad *Vilcabambæ* deſtructionem poſt exactũ à Martyrio P. Didaci annũ Hiſpani irrumperent, vocibus clamabat. *Deſerite idolorũ cultũ & Chriſtum adorate. Hic verus Deus eſt, idola autem veſtra inania dæmonum ſimulacra Væ idololatris! Væ huic Provinciæ! Solus Chriſtus Deus verus eſt. Conſiderate quot ſimul flagellis, quia Myſtam ejus occidimus, atteramur Ingis antè militavi, ac cum iis omnes Provincias, quæ plurimæ latiſſimaq; Quitum inter & Chilen vaſtiſſimo ſpatio interjacent, percurri vidiq; multos magos, flamineſq; Deorum præcipuos chariſſimoſq; Ingarum juſſu decollari, nec ullâ unquàm tot funera clade vindicari obſervavi. Vnam Chriſti Sacerdotem inſani necavimus, & certantibus penè inter ſe malis, peſte, fame, locuſtis, erucis, incendio uno tempore obruimur, mutuoq; quantùm poſſumus, peſſimè devovemus. Nonne hæc manifeſta, niſi planè cæci ſumus, ſunt teſtimonia, legem quam nos docuit, rectam fuiſſe, & ſanctum, quo nos lavit, baptiſma? Fugite, quæ vos offuſcãt, tenebras; redite, qui baptizati eſtis, ad Chriſtum, & ad eundem, qui nondùm abluti eſtis, currite, qui tàm ſuis eſt amicis benignus, & tàm atrociter obluctantes caſtigat. Væ nobis, quanta nobis imminent mala! Væ his, qui Chriſtum Deum*

eſſe non cagnoſcunt aut venerantur? Væ terra noſtra! Væ filiis & filiabus noſtris! quanta miſeriarum tempeſtas capitibus noſtris impendet, quòd tàm cruentis tormentis perſecuti fuerimus eum, qui ſollicitudine laboribuſq; pater nobis fuit, medicus, & advocatus.

6. His ſimilibuſque indies ſermonibus *Ancalli* vociferabatur. Et cum quidem, ut taceret, Magnates increpabant; Inga verò *Tupac Amaro* licèt mentis acie Majoribus ſuis impar eſſet, eam tamen clariorem habebat, quàm ut Regi indigna cenſeri potuiſſet. Altè proinde animum ejus & *Didaci Ancalli* vaticinium, & idolorũ oracula penetrabant, monſtrabatque quædam cõvertendi ſe, atque Patres Auguſtinianos revocandi deſideria, quæ tamen mox priſtinæ cõſuetudinis violentiâ rurſùm opprimebantur, ut Chriſti gratiam non niſi illo tempore, quod ipſi ſæculi æſtimatione fuit ignominioſiſſimum, fuerit conſecutus. Quæ cùm ſequenti capiti tractanda reſervamus, notemus P. Didaci cruciatus non tantùm fuiſſe paſſioni
(a) cap. 5. num. 3. Chriſti ſimillimos, (a) ſed paria utriuſque mortem prodigia, paria vaticinia fuiſſe ſecuta. Et altera quidem jam narravimus; altera autem in Flavii Ioſephi libris, quos de bel-
(b) lib. 7. cap. 12. lo Iudaïco ſcripſit, legimus, (b) quæ totidem ejus verbis huc referemus.

7. *Denique miſerabilis populus illis quidem fallacibus, Deumq; calumniantibus credulus erat. Certis verò prodigiis & futuram ſolitudinem prænuntiantibus, neque attendebant animo neque credebant: ſed velut attoniti nec aut oculos habentes aut animas, edicta Dei diſſimulavêre. Modò cùm ſupra civitatem ſidus ſtetit ſimile gladio, & per annum perſeveravit cometes: modò cùm ante defectionem primiq; belli motus ad diem feſtum azymorũ populo conveniente (octavus autem dies erat Aprilis menſis) nonâ horâ nocturnâ circum aram itemq; templum tantum lumen effulſit ut clariſſimus dies putaretur. Et hoc uſque ad mediam permanſit horam. Quod imperitis quidem bonum augurium eſſe videbatur, ſacrorum verò peritis, priùs quàm eveniret, ſtatim dijudicatum eſt. Eodemq; feſto die etiam bos, cùm ad hoſtiam duceretur, agnum in medio fani peperit. Orientalis autem porta interioris templi, cùm eſſet ænea atque graviſſima, & ſub veſperam vix à viginti viris clauderetur ſeriſq; ferro vinctis obſeraretur, peſſuloſq; altos haberet in ſaxeum limen demiſſos, uno perpetuo lapide fabricatum, viſa eſt noctis horâ ſextâ pateſcere. His autem curriculo per cuſtodes templi Magiſtratui nuntiatis, aſcendit ille, vixq; eam potuit claudere. Verùm & hoc iterum ignaris quidem ſignum optimum videbatur: Deum namq; bonorum portam ſibi aperuiſſe dicebant. Prudentiores verò templi tutamen ſponte ſuâ diſſolutum iri cogitabant; & hoſtium donum eſſe, portas aperiri, ſolitudinemq; illo oſtento ſignari inter ſe pronuntiabant. Poſt dies autem feſtos diebus paucis vigeſimo prima die menſis Maii viſio quædam apparuit fidem excedens. Pro fabula autem fortaſſe, quod dicturus ſum, haberetur, niſi, qui viderunt, ſupereſſent, & clades digna præſagiis ſecuta fuiſſent. Namq; ante ſolis occaſum viſi ſunt per inane ferri currus totis regionibus, & armatæ acies tranantes nubila, & civitati circumfuſa. Feſto autem die, quem Pentecoſten vocant, noctu Sacerdotes intimum templum more ſuo ad divinas res celebrandas ingreſſi primùm quidem motum, quendamq; ſtrepitum ſenſerunt, poſteà verò ſubitam vocem audiêre, quæ diceret. Migremus hinc. Quod autem his horribilius fuit, Ieſus quidam filius Anani plebeius & ruſticus quadriennio, priuſquàm bellum gereretur, in ſumma civitatis pace atque opulentia, cùm ad feſtum diem veniſſet, quo ategias in honorem Dei componi in templo ab hominibus mos eſt, repente exclamare cœpit. Vox ab Oriente, vox ab Occidente vox à quatuor ventis. Vox in Hieraſalymam & templum: vox in maritos novos novaſq; nuptas: vox in omnem hunc populum. Atque hæc interdiu noctuq; clamitans omnes civitatis vicos circuibat. Nonnulli autem virorum inſignium, adverſum omen indignè ferentes, corripiunt hominem, multiſq; verberibus afficiunt. Ille autem neque pro ſe, nec ad eos, qui ſe mulctabant, ſecretò quidquam locutus, eadem, quæ priùs, vo-*

ciferans perſeverabat. Magiſtratus autem rati, quod erat verum, magis divinum eſſe hominis motum, ducunt eum ad Romanorum Præfectum, ubi plagis uſque ad oſſa laceratus neque ſupplex cuiquã fuit, neque lacrymavit, ſed, ut poterat, inclinans maximè flebiliter vocem ad ſingulos ictus reſpondebat, Væ Væ Hieroſolymis. Albino autem interroganti (is namq; judex erat) quis eſſet, vel undè ortus, aut cur iſta diceret, nihil retulit. Non prius autem ceſſavit à luctu miſeræ civitatis, donec eum Albinus furere judicatum dimiſit. Ille autem ad belli uſque tempus neque adibat quemquam civium, neque loqui viſus eſt, ſed quotidie velut orationem quãdam meditatus, Væ væ Hieroſolymis, querebatur. Sed nec imprecatus eſt cuiquam, cùm in dies ſingulos mulctaretur, nec victum offerentibus benedicebat. Sola verò ejus reſponſio ad omnes erat, triſte præſagium. Maximè autem diebus feſtis vociferabatur; idq; per annos ſeptem & quinq; menſes continuos faciens neque voce raucior fuit, neque delaſſatus eſt, donec obſidionis tempore ipsâ re perſpectis auguriis ipſe quievit. Supra murum enim circumiens iterum, Væ væ civitati ac fano ac populo, voce maximâ clamitabat. Quum autem ad extremum addidiſſet, Væ etiam mihi, lapis tormento miſſus eum ſtatim peremit, animamq; adhuc illa omnia lugentem dimiſit. Hæc ſi quis reputet, profectò inveniet Deum quidem hominibus conſulere, modiſq; omnibus præmonſtrare, quæ ſunt eorum generi ſalutaria; ipſos autem ob dementiam ſuam malis voluntariis interire.
Hactenus Ioſephus.

CAPVT VII.

Irrumpit in Vilcabanbam Hiſpanus exercitus, capitur Inga, baptizatur per R.mum P. Auguſtinum de Coruña ex Ordine Auguſtiniano Epiſcopum de Popayan, & à Prorege Franciſco de Toledo capitis condemnatur.

TVRBABANT quidem Ingam *Tupac amaro* tot inſolentio eladis præſagia, vera tamen illam evadendi media ſi nõ aſpernabatur certè negligebat. 1.
Intereà etiam fratrum ſuorum Patriſque exemplo *Vilcabanba* ſitu ac inacceſſibilitate fretus (*a*) crebris excurſionibus Hiſpanos, quorum odium ſimul cum ſanguine hauſerat, infeſtabat, ſemper aliquot eorum deſideratis. Prorex Franciſcus de Toledo, quià biennio (*c*) in Peruviam advenerat, & ſuorum funeribus & ipſo rei pro partibus Regiis momento motus, totus in eo erat, ut pacificis mediis Ingæ animum lucraretur Hiſpanitatumq; Regi amicum redderet. Hoc tentare placuit, ſelectis, qui id Ingæ perſuaderent, P. Gabriele de Oviedo Dominicano Almæ Vniverſitatis Limenſis Cathedratico, Garcia Rodriguez Licentiato, aliiſque aliquot Hiſpanis atque Indis Cuzci primariis.

(*a*) cap. 1. num. 2.

(*b*) anno 1569.

riis. Qui ubi ad fluvium *Acobanba* perveniſſent, ut paucorum periculo cauſa adventûs omniū indicaretur, octo, qui nuntium Ingæ deferrent, miſſi Indi ſunt, ut ſi Proregis conſilium barbaro diſpliceret, mitior ſuæ gentis miſeratione ita eſſet. Verùm ille ſeu novi imperii, cui non omnis ferendo animus, inſolentiâ, ſeu fato ſuo, Divinâ ſcilicet Providentiâ vindictam ſcelerum repoſcente, ad exitium urgeretur, rationes omnes aſpernatus Legatos contra jus gentium morte mulctavit. Duo tamen indignè ſævientis crudelitatem fugâ declinantes ad reliquos ad *Acobanbam* eventum rei præſtolantes evaſerunt, nuntii barbaræ immanitatis facti. Quare Cuzcum re infectâ re-
(a) *Atilano.* dierunt. Tùm *Atilanus* (a) *de Anaya* Ingæ in primis charus ſocium ſe prioribus Legatis iturum obtulit, fortunatius aliquid à vetere cum Inga neceſſitudine ſibi promittens. Sed caſſa omnis, dùm de ſcepteris agitur, amicitia eſt. Ipſa inſuper, quæ
(b) treynta cargas de preſentes. plurima ferebat, (b) munera inimica fuerunt. Cum pontem ille *Chuquiſaca* attigiſſet, juſſus ab Inga eſt ſolus, cæteris ſubſiſtentibus, ad *Vilcabanba* interiora atque ad ſe accedere, fallaci mandato, ut credulum ac ſuis deſtitutum ſociis obrueret. Mactatus fuit ad ipſum pænè ingreſſum, didicitque, quod prodeſſe jam non poterat, infelix, non iiſdem incedere paſſibus privatorum Regumque amicitiam. Vnus funeſtæ
(c) uti negro. necis nuntius (c) ex ſuo famulitio ad Hiſpanos evaſit.

2. Tantum aberat ut quidquàm propoſitione pacis proficerent Hiſpani, ut etiam auderet fratris ſui *Sayri* parùm dignè ab illis habiti exemplum exprobrare. Quare ad belli conſilia ſe Prorex convertit, provocatus non tantùm ſacrilegâ P. Didaci nece, totque ſuorum, quæ quotidiè inferebantur, damnis, ſed obviâ etiam inquietorum inſolentiâ Hiſpanorum, minitantium paſſim, niſi quod ſeu per fas ſeu per nefas poſtulabant, conſequerentur, ad *Tupac Amaro* defectionem. Fiebat hinc, ut nec inter cives adminiſtrari juſtitia, nec apud milites ſervari diſciplina poſſet. Adeò omni Reip. nociva ſunt, ad quæ facinoroſi impunè confogiant, in vicino receptacula, maximè ſi ad præmia honoreſque fugitivis pandatur iter.

3. Bellum itaque conſentiente Capitulo perſoniſque principibus decretum eſt III. Kalendas Auguſti (d) anno M.D.LXXII. Ac primùm (d) 30. Iulii.
luſtratus miles, juſſique ad bellum procedere omnes Commendatarii. Ita ducenti quinquaginta computabantur. His ſponte ſuâ Nobilior quiſque, inſuper & Indi *Cañares* accedebant. Cura occupandi pontem de *Chuquiſaca* Ioanni Alvarez Maldonado Centurioni ac tunc conquirendæ Provinciæ *Opatanenſis* (e) Præfecto recèns nominato data eſt. Deſignatus exercitus Lega- (e) de Opatan.
tus Martinus Hurtado de Arbieto *Guancalli* (f) Commendatarius: Cen- (f) de Guancallo.
turiones Martinus de Meneſes, Antonius Pereyra, Martinus Garcia Oñas de Loyola à militari non minus prudentia quàm audacia laudatus. Rumor autem ſpargebatur in Chilen hanc expeditionem parari ut falſâ opinione *Vilcabanbenſes* incauti redderentur. Et Gaſpar quidem Sotelo cùm ſeptuaginta ſelectis militibus *Avancay* faucibus occupatis, at Luiſius Pimentel diſtributis opportunè per vallem *Mayomarca Guamangenſibus* quinquaginta fugam Ingę intercluſerunt. Sed nec hic cognito Hiſpanorum conſilio ſegnis in colligendis ſuis fuit. Primum erat jugis montium, ad quorum pedes inimico tranſeundum erat, inſidere, & magnis molibus ſubjectos obruere. Fecerunt tamen id exiguo Hiſpanorum damno, qui præcedentium bellorum experientiâ declinare irruentes machinas docti erant. Inſtructâ deinde, barbaro more, acie prohibere advenientes, majoribus animis quàm bellandi peritiâ, decreverunt, loci tamen opportunitate uti non indocti. Is ad fluvium *Coyaochaca* erat anguſtior quàm ut plures ſimul admitteret,

mitteret, & clauſus hinc indè aſperis montibus. Ibi, dato ſigno, magno impetu, & factâ velut nube ſagittarum, in advenientes Hiſpanos irruerunt, irruperuntque viciniùs quàm ut ſchlopetorum ictus nocere poſſent. Strictis ergò gladiis cominùs dimicabatur. Verùm anguſtiarum difficultatibus virtute Hiſpanorum ſuperatis, antequàm in aperto loco pugnam experirentur, Indi magnâ celeritate fugerunt, inſequente eos Loyola, qui priùs cùm Indo, à quo invaſus erat, diu fuerat magno præcipitii periculo luctatus. Viginti leucarum ſpacium *Vilcabambenſes* fugiendo confecerant, idem inſequendo Hiſpani erant emenſi, unâ hîc victoriâ perpetuam in ſubactis jam terris quietem concipientes. Quæ tamen procul-dubio non adeò ipſis fuiſſet incruenta (tres dumtaxat deſiderati ſunt, vulnerati plures) ſi Ingam habuiſſet, qui fortunam bellando fatigare, quàm ſe Hiſpanis tradere, maluiſſet. Impetu quodam & ſecretiori vi adactum diceres in ruinam. Primum ejus magnumque peccatum fuit, exercitui pro Provinciis, quæ & naturâ erant munitæ, & ultimæ reſtabant, dimicaturo non adfuiſſe, permiſiſſeque, quæ ſibi diſplicebat, Ducū arbitrio pugnam. Secundum, nec minus, florente adhuc atque animis viribuſque vegeto exercitu, illapſum animo dedendi ſe conſilium admiſiſſe. Reputabat ſcilicet apud ſe quàm juſta eſſet pro coronæ, pro imperii, pro patriæ defenſione pugnandi cauſa, & quàm infortunatus fuiſſet primæ pugnę ſucceſſus; fuiſſe quondam fratri ſuo *Sayri* attributos ab Hiſpanis reditus terraſque ſi non Majeſtati imperii, certè honorabili privatæ vitæ congruentes; pares ſibi non denegandos; vivi his poſſe jucundè, quietè, feliciterque, quæ omnia ab aulis exulant imperantium. Atque ità inerter, ſi divinam ordinationem excipias, nullâque conditione ſtipulatâ in manus ſe tradidit Hiſpanorum; quibus fortunatior ea deditio accidit, quàm ut ſperari unquàm potuiſſet. Illi cum perſona Ingæ uxores ejus omnes, duos filios, unam filiam, omneſque ſanguinis regii Indos, qui eum comitabantur, in poteſtatem receptos, ſolemni triumpho Cuzcum, duce Martino Garcia de Loyola (nam Martinus Hurtado de Arbieto in *Vilcabamba*, ut recèns devictam firmaret, ordinaretque, remanſerat) duxerunt, ubi ſumptuoſiſſimum quōdam nulloque bitumine ex magnis lapidibus conſtructum Ingarum palatiū, huic pro carcere fuit attributum.

3. Prorex Franciſcus de Toledo aſſidente ſibi Loarte Iuris Doctore, Prætore Limenſi, ac nominato Fiſcalo eum de latrociniis ſuo aut juſſu aut permiſſu factis, & de morte P. Didaco illata accuſari juſſit, ac brevi cauſæ cognitiune capitis cōdemnavit, omnibus non admirantibus modò de ſententiæ inopinatione, verùm abominantibus etiam ejus injuſtitiam. Tota pro eo civitas Proregis clementiam inclamabat. Religioſi pietatem. R.^mi verò Auguſtini de Coruña ex Ordine Auguſtiniano Epiſcopi *Popayanenſis* præcipua pro infortunati Ingæ liberatione ſollicitudo fuit. Poſitis ſiquidem in terram genibus, manantibuſque ubertim per genas lacrymis, ac tandem cæleſtis iræ comminatione vitam illi dari popoſcit. Hanc cùm non obtinet, ut in Hiſpaniam ad Regem Philippum (fuit is nominis illius ſecundus) cum cauſæ inſtructione mitteretur, urſit. Verùm parabat Deus in una ſententia & inconſtantiæ rerum humanarum, quâ premere Franciſcum diſponebat, & ineluctabilis poſt ſcelera vindictæ, quâ Ingam opprimere, exemplum. Preces igitur ſupplicantis Antiſtitis ferreus Prorex non admiſit, daturus aliquando juſtas inclementiæ ſuæ pœnas. Pro ſolâ deindè animæ ſalute, quandoquidem corporis deſperata eſſet, ab Auguſtino actum. Doctrinam ei tradere Chriſtianam ac baptiſmi deſiderium ingerere tùm per ſe, tum per Ordinis ſui, qui ne uno quidem temporis momento ab

illo

illo aberant, aliorumque Religioſos magnopere ſategit, & tandem perſuaſit. Vt tamen in carcere baptizaretur nunquàm Inga conſenſit.

4. Verùm triſte omnibuſque ſæculis memorandum irridentis fortunæ ſpectaculum Inga tot tamque excellentium Regum ſoboles ac
(a) lib. 1. c. 8. tanti, quale alibi deſcripſimus, (a) Imperii hæres dedit, dùm mulo inſidens, fune collum manuſque ligatus è carcere educitur ad ſupplicium. Eratque ſupplicio ipſa ſupplicii, quæ præcedente præcone proclamabatur, cauſa ignominioſior; animadverti ſcilicet in eum tanquàm tyrannum & Catholicæ Majeſtatis proditorem. Quam cùm per interpretem didiciſſet, ne quidem in iſta fortuna diſſimulavit; accitoque ad ſe præcone, *Falſum*, ait, *eſſe, quod proclamas nec ipſe ignorare potes; nec Tyrannus fui unquàm nec proditor Regis; ſed Rex ipſe, qui contra invaſores imperium Majorum meumq́, quoad licuit, tutatus ſum. Publicabis igitur, ſi vera voles, mori me quia ita Proregi lubet, & propter peccata mea.* Ita quidem languidè deficientibus viribus ſitique guttur aſtringente, ſed conſtanter pronunciabat: Religioſi autem omnium Ordinum intoitaq; Indorū multitudo undique eum ſtipantes omnes in lacrymas, plurimi in miſerabiles lèſſus profuſi præſentis fortunæ miſerationem teſtabantur. Verùm cùm Indorum planctus vehementior eſſet, quàm ut Religioſorum præcipuæ ſalutis ſatagentium voces ab Inga intelligi poſſent, ut ſilentium omnibus indiceret, poſtulârūt. Ille diſſolutum ad illum finem brachiū dextrum apertamque manum non minore, quàm in regio throno potuiſſet, majeſtate ad aurem vſque elevavit, demiſitq; ſeorſim ad femur. Neque ſeveriore mandato opus fuit, ſed innatâ genti Ingarum ſuorum veneratione tantū ſubitò ſilentium factum, ut ne tuſſis ulla aut ſingultus perciperetur, mirātibus ad obedientiam barbarorum Prorege, qui lamentabilis tragœdiæ, cujus auctor erat, occultus per feneſtram ſpectator ſtabat, Hiſpaniſque omnibus.

5. In theatrum deductum Auguſtinos de Coruña, ipſo petente, baptizavit, impoſitu nomine non Philippi, ut quidam arbitrantur, ſed Pauli, ut ex certis conſtat monumentis, quod ideò ipſe elegerat, quòd didiciſſet Paulum Apoſtolum genere nobilem capitis amputatione fuiſſe extinctum. Obſervatum fuit atque inter miranda computatum, Ingam ſimul cùm baptiſmo priſtinas vires ſerenamque vultus magnanimitatem recepiſſe, quâ ſtetit ad carnificis gladiique intuitum imperterritus: neque jam ullius triſtitiæ, quam proxima mors & mortis ignominia adferre potuiſſent, ſed conſtantis majeſtatis veſtigia notabantur, & humilis Crucifixi & Dei paræ veneratio. Poſt quam ultimùm Chriſtianeque ita Caziquos ſuos atque reliquos Indos affatus eſt. *Scitote, magnanimi Principes, qui quatuor regni mei partes adminiſtratis, Chriſtianum me eſſe baptizatumq́, ac me vitam hanc tot ſemper alternantis fortunæ (ipſi ſcitis) caſibus, & nunc extremo opprobrio objectam finire in confeſſione legis Chriſti, qui verus eſt Deus. Accipite animoq́ altè admittite hæc à Rege veſtro ſuprema verba, quæ tacere jam non licet, niſi decipere vos etiam poſt mortem velim, quod feci, feceruntq́ hactenus Majores mei omnes. Noſtrâ inſtitutione mandatoq́,* PVNCHAO, *Solem; Guacas ſeu fana, Saxa, Flumina, Montes aliaq́ plurima (b) velut Numina adoraſtis, vera tamen vana mentis commenta & dæmonum ſimulachra. Ampliùs etiam credulitate veſtrâ abuſi ſumus, dùm quæ imperaturi eramus, veſtris nos ſæpè aſpectibus, ſimulato Solis aut* PVNCHAO *contubernio, ſeduximus, ut velut immortalium Deorum, quæ noſtra erant, ſancita à vobis haberentur, ſervarenturq́ religioſiùs. Hæc me frater meus* CVSITITO *docuit, ipſe à majoribus hæreditariâ inſtructione acceperat. Chriſtus, ejuſq́ ſecundum æternam & nobis ignotam generationem Pater atque ſpiritus* (b) lib. 1. c. 4. alib. que.

Sanctus ſunt Vnus Veruſq; Deus, qui cælum & terram ac mundum hunc univerſum omnemq; ejus ornatum creavit, à quo ſolo ſperanda bonarum actionum præmia, & malorum formidanda vindicta. In hunc credite, & longas mihi fraudes ignoſcite; pro quarum, aliorumq; criminum expiatione indignam Regem mortem latus ſuſtineo.

6. Non dixit tantùm, ſed & alacer jugulum præbuit carnifici amputandum (*a*) felicior ipſe fati ſui ignominiâ, quàm Majores ejus divinis poſt funera exhibitis honoribus. (*b*) Fatum tamen ejus omnes, quotquot aderant, multis lacrymis planxerunt; at Rex Philippus tulit acerbiſſimè, indignumque regiâ gratiâ tam crudelis ſententiæ Iudicem putavit. Illum ſiquidem in Hiſpaniam reducem, atque in aulam ad venerationem Regis cum ingentium præmiorum, quæ animo conceperat, ſpe accedentem Rex planè averſatus eſt, *Non te*, contracto vultu inquiens, *in Peruviam miſi, ut Reges occideres, ſed ut Regibus miniſtrares.* Poſteà etiam centies & vigeſies mille ducatos, quibus annuos auxerat cenſus, reddere juſſit. Ita Franciſcus de Toledo prudentiæ, pietatiſque, ac multarum præterea virtutum gloriâ illuſtris poſt firmarum legibus Perüanum imperium mœſtitiâ tabeſcens interiit, illius Regis ſeveritate punitus, ad quem accedere pro vitæ defenſione Ingæ non permiſerat, Deo ſimili ſemper peccato pœnâ reos caſtigante.

(*a*) lib. 1. c. 8.

(*b*) an. 1572. in Maio.

7. Patri *Tubac Amaro*, poſteà Paulo dicto ſuperſtites manſerunt filii duo unaque filia, quos cum triginta ſex regii ſtemmatis Indis Limam exules Prorex Franciſcus miſit. Filiæ curam Illuſtriſſimus Hieronymus de Loayſa Archiepiſcopus Limenſis ſuſcepit, non diu habuit. Nam intra duorum annorum ſpatium uterque filius, & triginta quinque extincti ſunt, quibus trigeſimus ſextus, filiaque Ingæ non ampliùs ſeſqui-anno ſuperfuerunt. Omnes item, qui ex Hiſpani & Indi ſeminis commixtione nati erant, extra Peruviam Prorex idem exulare juſſit, ubi pauperes miſeroſque variis caſibus vita deſtituit.

8. Hic igitur maximi florentiſſimique Perüani imperii poſt annos ampliùs quingentos, (ſexcentos nonnulli computant) ex quo cœperat, interitus fuit. Gualcare & Atagualpa extinctis, eorum frater Manco diadema adeptus, tres habuit filios, poſt patris mortem, ordine nativitatis ſibi in imperio ſuccedentes, *Sayri Tupac* (*c*) *Cuzitito Quiſpe Tupangui*, (*d*) & *Tupac Amaro.* (*e*) Primus in baptiſmo Iacobus dici voluit; ſecundus, Philippus; tertius, Paulus. Philippus *Cuzitito* improles obiit; Pauli *Tubac Amaro* ſoboles non diu patri ſupervixit; (*f*) Vnicam Iacobi *Sayri Tubac*, qui Regi Hiſpaniarum obedientiam præſtitit, filiam *Beatricem Coyam* Prorex Martino Garciæ de Loyola matrimonio junxit; ex quo conjugio nata Maria Coya nupſit Ioanni Henriquez de Borja, qui Marchionis titulo terras *Iacobo Sayri* attributas, *de Oropeſa* dictas, in valle *Yucay* quinto à civitate Cuzcenſi lapide poſſidet; neque alia ex regio Ingarum ſanguine quàm hujus Mariæ progenies ad poſteritatem tranſiit. Fuerat quidem regium diadema *Paullu* Ingæ, qui dùm ſacrâ lymphâ tingeretur Chriſtophori nomen ſumpſit, à Didaco Almagro, quòd Regis Hiſpaniarum partibus faveret, datum, ſed vivente adhuc ejus fratre Mancone ideoque neque inter Ingas verâ ſucceſſione locum invenit. Ex hoc natus Melchior Carolus in Hiſpaniam ſpe amplarum donationum profectus, Eques S. Iacobi à Rege creatus filium genuit, qui abſque liberis extinctus eſt. Atque ita eventus Ingæ *Guaynacapae* vaticinium comprobavit. Prædixerat ſcilicet ille, quo ſpiritu afflatus incertum, regiam omnem ſobolem interiturã, ſed ſummâ ſuâ felicitate, utpotè quę perdendo terrenum imperium, novæ legis doctrinâ, ignotique Majoribus

(*c*) lib. 7. ca. 7 num 3.

(*d*) lib. 13. cap. 1. & 2.

(*e*) ibid. ca. 5. num. 1.

(*f*) hoc cap. num. 7.

Majoribus ſuis ac melioris Dei prædicatione, cæleſte duraturumque regnum conſequeretur.

9. Nunc ſi, quæ alibi diximus, (a) breviter repetamus, hanc Ingarum ſeriem eruemus.

(a) lib. 1 ca. 3 li. 7. c. 7. & hoc libro 13.

1. *Mangocapa.*
2. *Chinchiroca ſeu Ingaroca,*
3. *Lloqui Tupangui.*
4. *Mattacapa.*
5. *Capac Tupangui.*
6. *Ingarequeſ*ſeu *Incarocá,*ſeu etiam nonnullis,*Topayupangui.*
7. *Tupangui.*
8. *Viracocha.*
9. *Vrco.*
10. *Tupangui.*
11. *Topa,* ſeu *Tupac, Tupangui.*
12. *Guaynacáva,*ſeu,*Guaynacapac.*
13. *Guaſcar.*

Poſt imperium verò ab Hiſpanis occupatum hi fuerunt.

1. *Manco.*
2. *Sayri Tupac.*
3. *Cuſitito.*
4. *Amaro.*

10. Ita igitur Ingæ *Tubac amaro* Proceresque miſerè perierunt; nec diſſimili *Coya Angelina* tantæ iu B. Martyrem crudelitatis auctrix horrarrixque diſceſſit. Omnis autem *Vilcabanbenſis* Provincia per militem Hiſpanum ad eam redacta fuit ſolitudinem, ut uſque modò nullus in illa pagus habitetur, domibus flammâ aſſumptis, hominibus verò omnis ſexus ætatiſque aut trucidatis aut fugitivis. Chriſtiani certè, quorum ingens P. Marci, & B. P. Didaci prædicatione factus erat numerus, vel Cuzci aſylum quæſiverunt, vel latebris, quæ in illis montibus ſunt frequentes, primum irruentis hoſtis furorem declinaverunt.

CAPVT VIII.

Mors P. Marci Garcia.

NVnc fuiſſe diximus (b) primum, qui fidē Catholicam in *Vilcabanbam* intulit, Eccleſias exſtruxit, ſcolās aperuit, Ingam *Cuſitito* ejuſque conjugem *Coyam Angelinam* ad fidem perduxit, & fonte ſalutari tinxit: quemque poſteà idem Inga, quod publicam ejus libidinem, & pulygamiam, ſuperſtitioſaſque Magnatum ebrietates reprehenderet, poſt varias perſecutiones ejecerat in exilium. Ille audiens tàm glorioſum P. Didaci, per martyrium in eadem *Vilcabanbenſi* Provincia toleratum, triumphum, nunquàm à lacrymis, quibus infelicitatem ſuam, atque hanc gloriam ſibi negatam deflebat, valuit temperare. Pari P. Ioannes del Canto, qui ab ipſo quaſi illius Provinciæ, ad quam ardebat, limine, Superiorum juſſu fuerat revocatus, triſtitia cruciabatur. Neutri tamen laborum aut zeli merces periit; quamquàm diutiùs P. Ioanni, qui annos ampliùs quadraginta B. P. Didaci Martyrio ſuum plorans infortunium ſupervixit, fuerit dilata. P. Marcus quippè *Chuquiſacam*, ut ibi moraretur, non admodùm diu poſt P. Didaci mortem petiturus, fluvil, cujus alveum tranſire parabat, aquis hauſtus ſuffocatur, Deo proculdubiò ordinante, ut eodem, quo plurimùm fuerat cruciatus, (c) elemento opitulante ad cæleſtem coronam perveniret. 1.

(b) hoc lib. cap. 2.

(c) hoc lib. cap. 3. nu 9.

CAPVT IX.

Tranſlatio corporis B. Martyris P. Didaci ex foſſa in quam illud idololatræ projecerant, & varia ejuſdem miraculis.

1. REBVS Vilcabenbenſium ad aliqualem quietem redactis, ſeu quòd ipſi irrumpentium animi cladibus ſatiati mitiores redderentur, ſeu quòd pauci, in quos ſæviretur, ſupereſſent, iiſque montium cavernis latitantes ac magna ex parte Chriſtiani, ideoque non timendi, placuit Martino Vrtado de Arbieto Provinciæ Præfecto civitatem condere, eòque Hiſpanorum, cum quibus ſuperſtites Indi aſſueſcerent, coloniam deducere. Civitati *Sancti Franciſci de Victoria* nomen dedit. Habet hæc latitudinis meridionalis gradus paulò-minùs quatuordecim, aliquantò, quàm Cuzcum, orientalior. Sacris in ea præfeſſe Didacus Lopez de Ayala juſſus eſt, inſignis pietatis multarumque virtutum laude Sacerdos commendatus. Hæ primæ Hiſpanorum curæ fuerunt: ſecundæ de quærendo ac honorificè condendo P. Didaci corpore. Ad hoc nobiles aliquot à Præfecto deputati. Publicato pii operis rumore adfuerũt cum deputatis milites quàm plurimi atque ingens promiſcui vulgi multitudo. Indi item principales plebæique ex cavernis, in quas confugerant, ſuo ſtudio nationis ſcelera in Beatum Martyrem expiaturi, paratique majori certamine foſſam lapidibus purgare, quàm illa injecerat. Repertum corpus ſuaviſſimi odoris, quem à cæleſti virtute provenire nullus dubitavit, fragrantiam longè lateque diffudit, addiditque ſedulis priùs animis non-modicum devotionis incrementum. Illi loculo impoſitum, fabricatoque ad id aptè feretro geſtãtes (quilibet felicitatis loco computans humeros ſacro oneri ſuppoſuiſſe) deferunt ad civitatem nullo jubili, quod adhiberi poterat, genere intermiſſo. Extra eam ad leucæ quadrãtem prælato ſalutiferæ crucis ſimulachro & plurimis ex virginea cera tædis, inuſitatâ in iſta Provincia pompâ, obviam corpori Præfectus & Curio proceſſerant; allatumque profundè venerati, ſuppoſitis humeris promoventes in Civitatis *Sancti Franciſci de Victoria* fano ſublime, apertoque loculo ſpectabile juxta altare majus depoſuerunt. Sacrificio incruento Curio operatus eſt, recitato inſuper in B. Martyris laudem panegyrico. Moltò tamẽ felicior in eo Præfectus fuit Indici idiomatis periti ſſimus, hortans ut tanto cæli beneficio, quo theſaurum hunc omnibus Peruviæ montibus præferendum conſecuti erant, dignis gratiarum actionibus reſponderent. Omnibus etiam ſacrilegæ mortis cõplicibus hujus celebritatis occaſione ignovit. Verùm ſolus divinæ vindictæ ſupererat Ioannes Quiſpe *Inga Cuſitito* quondam favore, nunc aridi brachii punitione ob impactam Martyri alapam notiſſimus.

2. Duos ampliùs menſes aperto loculo corpus expoſitum jacuit, concurrẽtibus ad ejus odorem omnibus vicinis. Odor autẽ ſuavis gratuſque erat velut roſarum, cujus fragrantiam nullæ aliæ res quantumvis odoriferæ non dico ſuperare, ſed ne imminuere quidem poterãt. Reliquiarum ejus particula cum aliorum Sanctorum Reliquiis cõpoſita ſuo ſe odore prodebat, eandemque prorſus fragrantiam arculæ multo tẽpore cũ rebus maximè odoriferis impoſita conſervabat. Fortè tunc odoris illi beneficiũ eſt attributum, quandò inter ungulas carnemque

ſpinæ, ſine quibus roſæ non naſcuntur, fuerunt adactæ.

3. Hæc autem ejus miracula annotata invenio. Ipſo, quo in Eccleſiam corpus inferebatur, die, Mencia de Saucedo Præfecti Martini Hurtado filia oculos ægra & vitio cæcitatis periculo miſera, per confertam multitudinem magno conatu ad B. Martyris exuvias loculo incluſas irrupit: pater loculum, cujus claves gerebat, & ſuo ergà gnatam adfectu, & ipſius accedentis deſiderio non vulgari motus aperuit. Omnes ſollicitè eventum rei expectabant. illa oculos benedicto corpori affricuit, levavitque nullo ægritudinis veſtigio notatos. Ad hujus miraculi celebritatem fecerunt præſentium multitudo, plurimorum nobilitas dignitaſq; lanatæ genus, ac amor, quo eam omnes proſequebantur.

4. Privignæ tam admirabili curatione excitata noverca Ioanna de Ayala Præfecti conjux, quam diu dentium dolor miſerum in modum adflixerat, ejus etiam exemplum ſecuta eſt; os corpori B. Martyris applicuit, & abſceſſiſſe dolorem ſenſit. Qui cum ſæpè rediret, ſemper eodem medico multiplicatis ob eandem neceſſitatem miraculis depulſus fuit. Neque enim, quod idem crebriùs iteraretur, indicium infirmioris potentiæ fuit, ſed conſtantioris; ac ideò fortè repetitæ, ne facilè ſuperni beneficii memoria evaneſceret, ac debitæ gratiarum actiones negligerentur. Nemo mannæ beneficium Iudaico populo conceſſum minus meritò æſtimaverit, quòd quotidie cælitùs daretur, renovareturque, non panis naturâ, ſed ordinatione divinâ. *Volebat ſiquidem Deus Iudæos quotidiano beneficio ſibi obſtringere, ut deponerent avaritiam, at ſtudium habendi ſuperflua, eumq; timerent offendere, à cujus beneficentia videbant ſe, uxores, liberos, & omnia quotidie pendere.* (a)

(a) Leonardus Marius

5. Alphonſum de la Cueva ex Peruviæ conquiſitoribus unum, quique corpus B. Martyris ex foſſa erueràt & ſuis ſuſtuleret humeris, variæ ſed occultæ infirmitates torquebant. Hic ſe ad corpus ejus proſtravit, auſus magnâ certè fiduciâ ſua in eum obſequia allegare: & poſt preces ſurrexit ab omnibus ſanus. Idem per eundem medicum malignarum febrium periculum, & acutiſſima dentium tormenta evaſit: nullumque patiebatur ægritudinis genus (patiebatur autem plurima) quod non per hanc manum levari ſenſerit.

6. Iamque confeſſus omnis conventuſque miraculorum ejus, quem non P. Didaci, ſed ſolo Sancti nomine appellabant, famâ replebatur. Cumque Hiſpanus aliquis filium, quem ex Inda genuerat, haberet quinquennem, cum morte tertiâ jam die ſine omni cibo luctantem, timereturque omni momento ejus ex hac vita exceſſus, qui ad viſendum puellum concurrerant, patrem culpare incuriæ cœperunt, qui Sanctum, obvium paſſim medicum, pro filiolo non adiret. Neque diu laborandum fuit, ut patri prolis amantiſſimo, quod vellent, perſuaderent. Adivit, gnatulumque loculo ſuperpoſitum ad mediæ ſpatium horæ reliquit, ipſe interim ſupplicationibus Sancto directis intentus. Tunc filium recepit ſed ſanum, vegetumque, & nullâ pallidi coloris, qui ob ægritudinis vehementiam luridus eſſe cœperat, notâ permanente.

7. Puerorum quos à febribus Sanctus curaverat, non facilè iniri numerus potuiſſet. Adulti fuerunt multi; Ioannes Alvarez, Ioannes Fonſeca & Franciſcus Perez Fonſeca inter primos Conquiſitores, ob miraculoſos à Sancto acceptos favores locum in monumentis Ordinis invenerunt. Iſtud autem beneficium fuit planè ſingulare, quòd ab ipſa Sancti corporis in civitatem Sancti Franciſci de Victoria illatione tot, quæ turbine quodam in Provinciam à Deo vindice immiſſa eam obruerant, mala, ut peſtis, locuſtarum, culicum, ſiccitatis, ceſſàrint;

Sancto multò potentiùs poſt vitam, quàm dum viveret, pro perſecutoribus ſuis exorante.

8. Duos ampliùs menſes corpus beatum ita in aperto ſtetit; poſt hos fornici ob id ſub ſummo altari præparato incluſum, ſui tamen memoriam & venerationem ſeu reliquiis ab eo acceptis, ſeu patratione miraculorum apud omnes obtinuit. Securi ſub ejus protectione etiam difficillima tentabant. Hoc præ cæteris memorandum. Miſerat Martinus de Hurtato Præfectus turmam militum, ductore Alphonſo de la Cueva, qui interiora terræ luſtrarent, &, quos poſſent, Regi Hiſpaniæ conciliarent, aut ſubjicerent. Latè ſe, ac per varias nationes profuderunt, ubique ſub patrocinio B. Martyris Didaci felices. Iam pænè non timere continuâ proſperitate didicerant, & ad ducentas uſque à *Vilcabanba* leucas proceſſerant, ſui, pluſquàm oportuerat, incurii, niſi concedamus illos certam ex ope toties per B. Martyrem lata fiduciam concipere prudenter potuiſſe.
(a) *de los Manaries.* In Provinciam *Manarietarum* (a) illapſi ſunt. Eſt porrò *Manarietarum* gens non magis numero copioſa, quàm animis audax feroxque, neque Chilenâ, cum quâ idem clima ſortita eſt, inferior, quæ nullius hactenus imperium quàm Ingæ, atque ſub modico tributo, admiſerat. Illa ad nuntium peregrini populi copioſo mox exercitu occurrit, pro agnata longaque à Majoribus accepta libertate alacriter, qnia victorias æquali cum certaminibus numero computare ſueta, pugnatura. Hiſpanis occurſu tam copioſi animoſique exercitus territis primus Alphonſus de la Cueva fiduciâ in Deum, Sanctumque, prævivit, exemplo Ducibus omnibus imitando. Elatâ quippe voce orationes, quas primas Chriſtiani, quorum cum nomine ſimilis eſt educatio, addiſcunt, pronuntiavit, ſcilicet, *Pater noſter, Ave Maria, Credo, Salve Regina.* Has ut Indi audiverunt, imperato ſtrictè ſilentio conati ſunt diſtinctiùs eas percipere. Tum furore in pietatem converſo Alphonſum in hunc modum allocuti ſunt. *Quæ tu oras, eadem orare, cū Ingæ tributum ſolituri in Vilcabanbam pergebamus, jampridem edocti ſumus ab illo Dei Vicario (Dius parantin* appellant barbari*) P. Didaco. Ille auxilium omnibus, nobis præſtitit ſingulare, ſolitus neceſſitates noſtras Ingæ velut optimus patronus explicare; fatigatos cibo potuq; reficere; ægros obſequiis, medicinis, & ſermonibus ſanctis recreare, inculcans ſedulò, nobis à Deo infirmitates immitti, ut diſcamus illius nos beneficio ſanos eſſe, quàm diu ſumus, & ab eodem ſanitatem perditam precibus repetamus, nunquamq; vita tàm fragili nimium fidamus. Sanctum illum æſtimavimus, æſtimamuſq;, atq; incunctanter aſſerimus totam Ingæ proſapiam eſſe deletam, & attritos tot malis Vilcabanbenſes, quòd ille* (b) *contrà innocentem injuſtè ſententiam pronuntiârit; hi* (c) *crudeliter ſint executi.* (b) Inga. (c) Vilcabanbenſes. *Mortem ejus nos publico plurimos dies luctu planximus.* Neque tunc quidem, cùm hæc Indus diceret, ſibi à lacrymis temperavit, traxitque ſuo exemplo in mœſtitiæ conſortium reliquos, quorum animis non minùs grata viri memoria ſuaviter infidebat. Hiſpanis autem non tantùm parcitum à feroci populo fuit, ſed datum inſuper liberaliter, quidquid poſt tàm longa in ignotis regionibus itinera neceſſarium videbatur, aut reparare poſſet exhauſtos. Abeuntibus etiam commeatus attributus, ac quadraginta Indi qui illis miniſtrarent, protegerentque. Tanta vis miſericordiæ P. Didaci fuit, ut barbari furentes ejus memoriâ mitigarentur, & acciperent tanquàm amicos, quos ob læſam inconceſſo ingreſſu patriam mactare ſuæ iræ victimam potuiſſent.

CAPVT X.

Proto-martyris Perüani corpus Cuzcum transfertur & honorificè collocatur. Quædam ejus ibi miracula.

1. FVIT B. Protomartyris corpus in Sancto Franciſco de Victoria annos tres ſupra viginti, celebri ſemper veneratione cultum, quam tamen non parùm tempus, rebus omnibus ſublunaribus inimicum, imminuerat. Creverat econtrà Patrum Auguſtinianorum, maximèque Cuzcenſium deſiderium, ut exuviis Confratris ſui, quem ipſi ad glorioſum certamen miſerant, potirentur. In hunc certè finem, quamquàm eleëmoſynarum petendarum obtentu, anno poſt Chriſtum natum M. D. XCV. P. M. Alphonſus Maraver Cœnobii Cuzcenſis Aſcetarcha in *Vilcabanba* Provinciam deſtinavit P. Petrum Agujar tunc ejuſdem monaſterii Procuratorem. Eum Limæ Ordo noſter ſibi adſcripſit; & poſteà Petrum de Sancto Spiritu dixit; occupavit antem eum variis functionibus, ad quas egregio multarum virtutum concentu aptabatur. Prioratum non unum in Provincia Perüana adminiſtravit, in Chilenſi verò ipſius Provinciæ Præfecturam. Neque pluribus verbis ejus, in monumentis Perüanis, encomium inveni, quòd adhuc, dùm illa circa annum Domini M. DC. XXXIII. ſcriberentur, viveret, octuagenario quidem major, ſed tricenario non impar vigore. Ad ejus tamen laudes facit, quod jam narrabo.

2. Dùm ergò P. Petrus Agujar in *Vilcabanbam* venit, aliud etiam, quàm ad quod miſſus erat, perfecit. Videns ſiquidem opportunam ad capiendas de martyrio B. Didaci informationes occaſionem, eam prehendere non neglexit. Vivebant etenim plurimi crudelis tragœdiæ ſpectatores; ſupererat ex ipſa ſacrilegorum carnificum turma Ioannes Quiſpe, non pauci inſuper qui benedictum ex foſſa cadaver eruerant, ſuiſque in civitatem *S. Franciſci de Victoria* humeris deportârant, teſtes miraculorum, qui ea viderant aut experti fuerant, numeroſi. Horum, ſicut omnium eſt hominum, incerta vita erat. Si ex ea excederent, damnum futurum erat informationibus irreparabile. Nam neque iſtæ, quas mox à ſuo in *Vilcabanbam* ingreſſu fecerat Martinus Hurtado de Arbieto Præfectus, haberi jam poterant, ſeu quod eas Prorex Franciſcus de Toledo, cui illas Martinus Hurtado dederat, miſiſſet in Hiſpaniam, ſeu quod periiſſent. Hæ certè rationes fortiſſimæ erant, ut hominem naturâ igneum, zelantemque ad maturandum negotium inflammarent. Cœptæ autem fuerunt Canonum imperitiâ, aut inadvertentiâ, frequente actionum humanarum comite, apud Iudicem ſæcularem, ac primò quidem apud Antonium de Monroy nunc *Vilcabanbâ* Præfectum, deinde apud Hieronymum Gutierrez de Montealegre Prærotis Cuzcenſis Vicarium. Cognito autem indebiti Iudicis errore, eas revidit perfecitque Antonius de Raya Epiſcopus Cuzcenſis, cui ſuberat *Vilcabanba*.

3. Creverat interim cùm ſtudio informationum, plenioreque per eas tàm glorioſi Martyrii & miraculorum cognitione; P. Petri erga B. Martyrem devotio, & aliquarum ex ejus corpore Reliquiarum deſiderium, quas nullis à Præfecto & Curione precibus potuit obtinere. Quapropter P. Petri deſiderium per repulſam ardentius, ingenioſiuſque

ille & ſpiritum reſumpſit, & integram ſaoitatem, oullo mali veſtigio permanente.

8. Heroiâ laborabat P. Petrus Maraver Coov entus Cuzcenſis aliquando Prior. Hic diſtractione quâdam faſciam neglexerat, cum ſubitò inteſtina eruperunt, quę nullâ manu nulliſque medicinis aut fomentis poterant reduci. Corporis ſalute deſperatâ animæ ipſe ſategit, ac factâ noxarum totius vitæ confeſſione viaticum ſibi & extremam unctionem dari voluit. Tùm, demùm injectâ B. Martyris Didaci memoriâ, exiguum aliquod ejus os
Anno 1612. ad ſe deferri rogavit. Iſto ut herniæ locum tetigit; ſonitu quodam in ventrem, mirantibus cunctis, inteſtina recurrerunt, ipſe autem à limine alterius mundi in hunc redivit ſubitò ſanus vegeruſque.

9. Fabianæ Cuzcenſi puellæ pectus ulcere computreſcebat: verùm appoſitis B. Didaci reliquiis putidum malum ſubitò evaſit. Plura alia miracula ſcita fuere, ſed quia non paris cum his certitudinis, omittuntur. Provincia porrò Peruana tanti ac primi Martyris paſſione decorata & ſacri corporis poſſeſſione felix, favoribuſque ejus interceſſione conceſſis beata, oe ingrata eſſet, cultum ejus celebriorem reddere tentavit miſſis Romam anno M.DC.VIII. per P. M. Gonſalvum Pineyro ad Comitia Generalia Definitorem informationibus, ut Summi Pontificis ſuffragio ſolemnique, ut moris eſt, ritu in Sanctorum catalogum referretur. Verùm quia rursùm in Peruviam revocabatur, curá canonizationis P. M. Franciſco Pereyra Reverendiſſimi P. Generalis Aſſiſtenti commendatâ diſceſſit; quam adhuc, ſicut & aliorum Beatorum, maximeq; Thomæ à Villanova, Ioanois Saguntini & Alphonſi de Orozco beatificationem, Ordo Auguſtinianus expectat. Scripſerunt de B. Didaco Ortiz P. M. Nicolaus Cruſeoius Monaſtici Auguſtiniani 3. parte cap. 46. P. M. Georgius Maigretius in ſua Martyrographia. P. Ioanoes Nævius io Eremo Auguſtiniana; omnes admodùm ſuccinctè.

HISTORIÆ PERVANÆ

LIBER XIV.

Capitulum nonum & decimum.

CAPVT I.

Acta Capituli noni.

1\. COMITIA hæc Limæ III. Idus Iuoias (a) aono Verbi Incaroati M.D.LXXV. celebrata Provinciæ Præfectum dedetuor ioſignem Apoſtolicumque prædicatorem P. Luiſium Alvarez, qui Capitularis non erat; ut videas, quàm nollus ibi ambitioni locos eſſet. Defioitores P. Luiſium Lopez, P. Andream de Villa-real, P. Ioannem de Almaraz, & P. Rodericium de Loayſa.

(a) 11. Ian.

2\. Conveneront, ut reſciſſis omnibus hacteous decretis ad literam Conſtitutiones rigidè ſervarentur. Admiſſi ad Ordioem ſunt Conventus *Quitenſis* (b) *Arequipenſis*, (c) & *Noſtra Domina de O.* (d) io valle de *Avancay* juxtà regiam, quâ Cozcum itur, viam, quem ſecundo ab hinc aooo rurſum dimiſit.

(b) de Quito (c) de Arequipa. (d) de nueſtra Señora de la O.

CAPVT II.

Vita P. Luiſii Alvarez de Toledo.

SI, quemadmodùm tota P. Loiſium Alvarez Peruvia *Sanctū* appellabat, ita certam haberemus cæleſtium beneficiorum aoimæ illius collatorum ootitiam, eſſet hęc vita cum præcipuis aliorum Sanctorum Cooſeſſorum comparanda. Pleraque profundiſſima ejus humilitas texit: quæ tamen narraturus ſom, ſuppeditavit magoum Provinciæ Perüanę archivum ex inſtructiooe ad Alexium Meneſium ex Ordine Auguſtiniano Archiepiſcopum Bracarenſem & Concilii Luſitanici Præſidentem, miſſa deſumptum, ſtabilieruntque teſtes, quos dignitas, ſcientia, virtus & familiaris P. Luiſii notitia ab omni falſitatis opinione exemerunt. 1.

2\. Illuſtre hoc Hiſpaniæ Peruviæque ſidus ex nobiliſſima Comitum de Oropeſa in loco Valderas ortom habuit, Franciſco quoque de Toledo Peruviæ Proregi affinitate junctus, à quo ioſigoi veneratiooe noo tàm ſanguinis quàm ſanctitatis cauſâ coltus fuit. Vividum ejus pul-

pulcrumque corpus ſerena & ad gravitatem naturâ compoſita facies honeſtabat. Iſto autem multò laudabilior, quòd in tenera ætate animum haberet egregiis ſuprà annos virtutibus ornatum, quibus inſanientes laſcivæ naturæ motus potens fuit cohibere, ac virginitatem ſervare illibatam raro inter nobiles adoleſcentes exemplo, quos luxus naturali illecebræ tanquàm novos ignis accedens ut plurimùm adurit.

3. Ordini Auguſtiniano initiatus auxit ad virtutes conatus, indecorum exiſtimans ſi nihil præter veſtem mutaſſet, cùm tamen vita anteacta non eſſet habitû Religioſo indigna. Sed non ſolet ulla cupiditas ſatiari, præſertim quâ ad virtutes tenditur, in quibus ſemper aliquid reſtat acquirendum, & quarum cum poſſeſſione ſplendor, quo ſemper magis animus incitetur, augeſcit. Adhuc neophytus omnibus ſui admirationem injecit, profecitque continuis acceſſibus, ut non putarent Ordinis Prælati majorem ad imponenda illi officia ætatem eſſe expectandam, quem obſervârant virtute perfectum. Quare admodùm adhuc juvenem Suppriorem Cœnobii Toletani conſtituerunt, creſcente undique ſanctitatis ac prudentiæ famâ, ut Rex Catholicus Superioreſque annos natum paulò ampliùs triginta ad ſupremam, ſeu autoritatem ſpectes ſeu induſtriæ neceſſitatem, adhibuerint dignitatem, dùm eum cum ampla poteſtate in Peruviam deſtinârunt, qui publico regni & Ordinis Auguſtiniani bono illam Provinciam viſitaret. Hunc P. Franciſcus Serrano Provinciæ Caſtellanæ per continuum novennium Præfectus in literis ad Patres Peruanos 14. Februarii anno M. D. L X I X. ſcriptis (a) non prolixè quidem, ut jactantiam fugeret, copioſè tamen laudavit, dùm eum perſonam appellavit admodùm Religioſam, excellentiſſimum Concionatorem, cujuſque abitum magno doloris ſenſu Hiſpania tulit. Neque ampliorem Sacræ literæ laudem tribuerunt viris omni laude majoribus, Noëmo, Simeoni, Ioſepho. Primo quidem, *Noë invenit gratiam coram Domino, Noë vir juſtus atq; perfectus fuit in generationibus ſuis, cùm Deo ambulavit.* (b) Secundo, *Ecce homo erat in Hieruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte juſtus & timoratus, & Spiritus Sanctus erat in eo.* (c) Tertio, *Ioſeph cum eſſet juſtus.* (d) Non reliquit tantùm ſui in Hiſpania deſiderium, ſed idem mox in Peruvia apud omnes fecit, divino manſuetudinis privilegio. (e)

(a) literas has vide lib. 1. cap. 4.

(b) Gen. cap. 6.

(c) Luca cap. 2.

(d) Matth. cap. 1.

(e) Pſal. 36. Matth. 5.

4. Accepto eundi in Peruviam mandato, alios ſui Ordinis ſodales Hiſpali (f) conſecutus eſt, & cum eis ſolvit anno M. D. LXIX. eâ modeſtiâ, quam alibi deſcripſimus (g) Regiis autem Provinciæque Caſtellanæ literis in Peruvia publicatis, agnitus Viſitator, tantùm aberat ut rigidam illorum Patrum paupertatem emolliret, ut eam potiùs ſuâ ſingulari auſteritate, quâ alios ſuperabat, roborârit. Pro ſe nihil, pro Sacerdote uno, unoque laico tantillum, quòd emendo pani ſatis eſſet, in viaticum admiſit, eos ſuis erudiens moribus verbiſque, ut præcipuam in Deo fiduciam collocarent, qui & daret quæ neceſſaria eſſent, & tolerantiam, quâ reliqua ſibi abeſſe paterentur. Quapropter nõ ſemel cæleſtem de ſe ſollicitudinem experti ſunt cibos ſubminiſtrantem, cùm omnia humana ſubſidia ſublata putarentur. Communis ejus, cùm rogaretur pauca in obventuram neceſſitatem ut ſumeret, vox erat, *Aliquid Dei de nobis cura & providentia tribuendum eſt.* Et certè facilè ſuppetebat ei, qui tã parvo egebat, maximã anni partẽ vivens ſolo pane aquâq; contentus, cui cervical obvius erat lapis. Solâ illi voluptas cæleſtia contẽplari, ad quę ut perpetuò mẽtẽ neglectis terrenis elevaret, in ipſo etiã itinere capitula aliquot ex libro de cõtemptu mũdi ſcripto, per

(f) Sevilla.

(g) lib. 1. cap. 5.

Socium tono, quo in refectorio ſoler, recitari voluit, mox, ut ad hoſpitium venerat, digerens, quidquid ſupernâ illuſtratione fuerat meditatus.

5. Factâ aliquorum Conventuum viſitatione, Limenſem in hunc modum concluſit. (a) Aliis ſedere juſſis (a) lib. 4. cap. 8. ipſe in genua provolutus, oculoſque in cælum erectus, *Infinitas*, ait, *gratias ago Deo, quòd in hanc me Provinciam Regiæ Majeſtatis ac Superiorum Ordinis impulſu direxerit, ut diſcerem obſervantiam. Hiſpaniæ perſuaſum eſt, aurum ejus terra quantò eſt abundantius, tantò magis auxiſſe etiam Religioſorum cupiditatem, produxiſſeq; , quæ ex ea ſequi nata ſunt, vitia, luxum diſciplinaq; diſſipationem. Teſtor autem Deum, Religioſos hos paupertate tùm in cellis, tùm alibi, omnes aliarum Provinciarum, quas hactenus vidi, ſuperare, ipſo hominum ſtudio cum terra proprietatibus colluctante, cùm hac auro abundet, quo alia indigent. Nihil cùm hic, quod reprehendam, inveniam, obſervavi, quæ imiter, plurima. Deus condignam ſuis ſervis mercedem retribuat, conſervetq; inviolatam tàm ſanctarum legum obſervantiam. Vt hac publicè profiterer, hunc locum Capituli ingreſſus ſum, ſimul ut rogarem meritorum veſtrorum orationumq; ad Deum ut me participem facere dignemini. Priorem Trugillenſem, quòd indiligenter curaſſet lampades in dormitorio elanſtroq; per noctem accenſas teneri, ab officio removi. Quæ ſi pro levi culpa exorbitans pœna videatur, ſcitote judicio meo nullum eſſe in regulari diſciplina magis quàm militari exiguum errorem. Eſtq; hac non parva Provinciæ commendatio, & teſtimonium, non fuiſſe alia à me obſervata peccata, cùm ſolum illud & tàm rigorosè puniverim.* Atque poſt hęc uſu hujus poteſtatis prorſus abſtinuit & infiro quietis deſiderio, & poteſtatis per Superiores revocatione.

6. Sed quomodo Sol ille magis quàm æthereus quieſceret? Depoſito officio totum ſe pœnitentiæ operibus orationique impendit. Vix per triennium ita vixerat, cùm petente Philippo Secundo Hiſpaniæ Rege in ampliſſimum *Quitenſe* (b) regnum, ut illud etiam Euangelicâ luce illuſtraret, anno M. D. LXXIII. per P. Luiſium Lopez Provinciæ Præfectum mittitur, adiuncto illi præclaro viro Gabriele de Saona. Neque poſt imperium dilata eorum profectio fuit, ſed per æſtus arenoſi itineris per trecentas leucas cum maximis moleſtiis colluctati, illuc poſt paucos menſes penetrarunt, morum ſuavitate, præſtantiâ doctrinæ, & dicendi facundiâ omnium ſe animis mox inſinuantes, adeoque facti grati, ut diu differre novi in civitate *Quitenſi* monaſterii fundationem non fuerit neceſſe. Ejuſdem Iulii namq; anni die vigeſimâ ſecundâ, quę S. Marię Magdalenæ eſt ſacra, jacta monaſterii fundamenta ſunt omine fortunato, ut interceſſione exemploque peccatricis, quæ inverecundè ad Salvatorem irruens præcedentis vitæ crimina lacrymis abluit, Indi Salvatoris miniſtros non reſpuerent, nec ob commiſſa peccata deſperarent. (b) Quito.

7. Verùm non patiebatur Prorex ac Civitas Limenſis diutiùs hunc à ſe ſolem abeſſe: rurſus ejus radiis illuſtrari deſiderabant, rurſus ejus calore animari & foveri. Præſtitit id variis modis. Maximè publicus erat divini verbi prædicatione, in qua mirum quantū excelluerit. Sive enim terrendi eſſent divinâ vindictâ peccatores, ſive ad miſericordiæ fiduciam provocandi, ſive incitandi ad opera pietatis eleēmoſynarumque, ſive ad charitatem inflammandi, in quamcumq; volebat partem, animos auditorum inflectebat, non eloquentiæ magis vigore, quàm conceptâ de eo ab omnibus opinione ſanctitatis. Fecit hoc eo profectò, ut notarentur paſſim, qui à pudenda vita abſtracti veras virtutes amplecterentur, plurimi autem converterentur occultè. Maximè verò id tribuerim ego prævię ferventique pro peccatoribus fuſæ orationi, quâ nihil operatur in animas potentiùs. Atque utinam omnes verbi divini præcones id

id imitentur, proculdubiò non tàm inanes eſſent fructuque vacuæ conciones. Nam ſi non ſit intus qui doceat, inanis ſit ſtrepitus noſter. Cathedram in cælo habet, qui corda docet. Ad eum proinde ardentiùs vota noſtra pro peccatoribus, quàm ad peccatores verba ſunt dirigenda. Fuit hoc P. Luiſio familiare. Evenit porrò ut Prorex Franciſcus de Toledo vi potiùs ſanctitatis quàm ſanguinis vinculo attractus P. Luiſium in monaſterio viſitaret, intraretque notam conſuetudine ejus cellam. Orationi tunc fortè intentus Luiſius converſo ad Proregem vultu, eum ne ſtudia ejus turbaret, rogavit, viſurum ſe an non aliquam animam converteret; ſtudium ſuum orationem appellans, quam noverat omni ſtudio eloquentiâque efficaciorem. Qui ſincerus animarum zelus cùm pio prudentique Proregi admodùm placuiſſet, feſtinus ipſe lætuſque abſceſſit.

8. Alii, quibus animos hominum demulcebat, modi erant, captivos redimere, opem ferre orphanis, virginibus pauperibus dotem procurare, obambulare ſæpè hoſpitalia, viſitare infirmos, quorũ agoni intereſſe, eumque Chriſtianis exhortationibus ſolari & juvare, ut felix eſſet, ſumma illi voluptas erat. Ad quem finem concepta & deſcripta verba habebat. *Frater divinam nunc miſericordiam potius quàm juſtitiam in memoriam revoca.* Deinde accepto in manus, quem ſecum ferebat, Crucifixo, igne charitatis plenus proſequebatur. *Hancne Crucifixi Dei imaginem agnoſcis? Nihil tibi mali vult, qui iſta pro te fecit, neque ejus permittet benignitas, ut pereat anima, pro qua ipſe in hoc ligno perdidit vitam. Oculos aperi non tàm corporis, quàm animæ fideiq́; & animas ſume videndo pectoris vulnus, quod aperiri voluit, ut indè tua animæ medicina & juſtificatio proflueret. Manetq́; apertum, ut ſcias ſine pœnitentia eſſe Dei dona, habeasq́; latum, quò ſecurus confugias, introitum. Oſculare cum fide & amore cruentum latus, cujus ſanguis ſcelera abluit totius mundi. Oſculare manus pro noſtris furtis confixas immitibus clavis, & fidenter illis animam tuam committe, ex quibus eam nullus potens eſt inimicus eripere. Pronuntia ex cordis medullis, In manus tuas, Domine, commenda ſpiritum meum, & cogita eaſdem illas manus, quibus nunc ſpiritum commendas, te ex nihilo olim formaſſe.*

9. Qui tàm ſedulò aliorum animas curabat, maximè erat ſedulus ſuæ. Quare hæc etiam ſibi exercitia præſcripſerat.

Die Lunæ Deum tibi præſentem conſiderabis tanquàm ſponſum offenſum, perpendesq́; quâ fronte auderet adultera intueri maritum, à quo accepiſſet divitias, ornatus, honores & nobilitatem.

Die Martis eundem conſiderabis tanquàm totius vitæ tuæ teſtem, quomodo ſi Rex aliquis Secretarium tibi adjungeret, qui curioſiſſimè omnes tuas annotaret actiones.

Die Mercurii eundem conſiderabis tanquàm judicem, qui juſtam de te ſententiam eſt pronunciaturus; te velut reum in manibus judicis trepidantem.

Die Iovis eundem conſiderabis tanquàm Conſervatorem à quo omnia vitæ noſtræ momenta dependent, te velut ex corda ſuſpenſum & ſub te puteum, in quem ad primam offenſam ſis præcipitandus.

Die Veneris eundem conſiderabis tanquàm Redemptorem, te velut filiam pro ſuis culpis ante oculos matris confuſam, & Clericum ante oculos Pontificis diriſſimè vapulantem. Expende diligenter quid ſit matrem, quid ſit Pontificem offendiſſe.

Sabbatho eundem conſidera tanquàm vitæ tuæ defenſorem, qui ſemper latus tuum ſtipet, protegatq́; continuis & fortiſſimis contra inimicorum violentiam ſuppetiis.

Die Dominico eundem conſidera tanquàm vitæ omnium vitam, quâ vivimus movemur & ſumus. Et velut cor omnibus corporis membris calorem ſpiritusq́; impertit: ita Deus nobis bona deſideria & exequendi fervorem inſpirat. Roga ut te non velut judex exagitet, ſed compatiatur ut pater, & curet ut medicus. Plora quod eum offenderit, ſed ſpera tan-

quàm in amico, qui pro te mortem ſuſcepit.

10. Quod admiſiſſet peccatũ qui ſemper præſentis Dei memoriâ terrebatur? Quot nõ deſideriis & obſequiis ejus mereri gratiã ſtuduit, quẽ ſciebat omniũ actuum cogitationũque inſpectorem, nec ignorabat largiſſimum remuneratorem. Ad ſui proximique ſalutem pertinet, quòd conciones ſcripſerit in omnes per totum annum ſolemnitates, Dominicas, Adventum, Quadrageſimam, feſtivitates Beatiſſimæ Virginis, & aliorum Sãctorum, orationes funebres, quaſdam Sacræ Scripturæ explanationes. In quibus omnibus an mentis illuſtratio an fervor voluntatis major fuerit, incertum.

11. Et qui ita Deo jungebatur, cæteras proculdubio res Deo inferiores faſtidivit earum planè inanis, illâ ſolùm parte, quâ Deum aſpiciebat, pleniſſimè irradiatus: lunæ in modum tunc nobis maximè obſcuræ cùm proximè ad Solem accedit, & illuminatur perfectiùs. Fuit ergò inter virtutes ejus plurimas ſingularis paupertas. Quæ cùm manifeſta eſſe poſſit ex his quæ de ejus auſte-
(a) num 4 ritate, (a) & ſtudio ioquireodi, dùm viſitaret, de Religioſorum pau-
(b) num 5. pertate (b) diximus, luculentior fiet ſi totam ejus ſupellectilem conſideremus, cum ſevero munerum
(c) ſupellex ampliſſimorum contemptu. Illa (c) non aliud complectebatur quàm cappam unam uoumque ſtragulum: quod poſterius, cùm ad Præfecturam Provinciæ eſſet evectus, pauperi erogavit, addeos competere, ut pœnitentiam aliquanto majorem, quàm ſubditus, Prælatus faciat. Argentum cùm illi à ſæcularibus offerretur copioſiſſimè, cõſtanter recuſavit, ſolitus dicere, *mihi cùm omnia ſuperſint, iſti & iſti pauperes egent, quibus munera veſtra proderunt, mihi nocitura: nam quidquid ultra neceſſitatem habetur, non extinguit, ſed, velut ignem ligna, magis accendit cupiditatem.*
(d) lib. 16. Quapropter iſtud Sancti Iſidori (d) illi placebat. *Mirum in modum argentum cùm candidum ſit, impreſſum corpori nigras reddit lineas, quantò magis cordi & animo impreſſum?* Magnum proinde religioſæ viræ teſtimonium obtinebat, quicumque diligeret paupertatem, cujus dicebat votum ex tribus, quæ profitentur Religioſi, eſſe maximè periculoſum & minimè curabile. Nam ſi quis votum violet obedientiæ, ab omnibus cognoſcitur, & mox caſtigatur: ad caſtitatis tutelam vigilant in monaſterio oculi omnium, extrà Socii ſæcularium que: cui item aliud accedit frenum, metus prolis. Cùm ad paupertatis violationem multa invitent ſecreta latebræque, quas non facilè humanæ obſervationis ſtudium detegat, Deo dumtaxat patentes, cujus timorem ſi quis exuerit, præceps jam in paupertatis conculcationẽ ruit, & eâ protritâ non rarò in caſtitatem obedientiamque impetum facit.

12. In Comitiis porrò Provincialibus, quæ anno M. D. LXXV. iodicta erant, cum Patrum ſuffragia nullâ quidem ambitione ſed juſtis utrìmque rationibus, magis etiam cæleſti directione in diverſos abirent, his P. Alphonſum Pacheco, aliis petentibus P. Rodericium de Loayſa, (ambo erant viri nobilitate, ſcientiis, dicendi facundiâ virtutibuſque eminentes) eſſentque jam non ſemel, ſed ſemper infructuosè data & collecta ſuffragia, P. Luiſius Lopez elatâ voce, *Eia*, inquit, *Patres ne arbitremini fortuitò & ſine Numine hanc accidere vocum diſcordiam. Vult nimirum Deus ut P. Luiſium Alvarez Provinciæ Præfectum hac vice habeamus.* Idem mox unanimiter omnes dixerunt, ſolus ipſe, cùm nuntium ei electionis deferretur, contradixit. Aberat ſiquidem, ut ſolent non Capitulares, & quærebatur iocellula, ſed inventus fuit in Choro fervidæ orationi intentus. Ab ejus dulcedine per accurrentes certatim præ gaudio fratres abſtractus, indeq; in triſtitiam ingentem nuntio electionis detruſus, *Deus*, ait, *illis, qui me obruerunt, ignoſcat. Tàm nullos habebant viros, ut mei recordari*

fuerit

fuerit neceſſe? Ad Patres conſcriptos quaſi vi perductus, petitâ dicendi licentiâ, ſuam illis incapacitatem aliaque ex ea naſcitura incommoda operosè conatus eſt perſuadere, rogavitque humiliter, ut ingens illud ab imparibus humeris onus, quod imponebant, auferre dignarentur. Addidit etiam, *mortali ſe omnes, quotquot me elegerunt, obſtrinxerunt culpâ. Quâ namq; conſcientiâ Caput conſtituunt eum, qui ob delictorum ſuorum enormitatem in beneficiis computare debet, ſi ſingulorum permittatur amplecti veſtigia.* Poſt hæc projectus in terram lacrymanſque, ut renunciare officio permitterent, precabatur. Cui cùm Patres redderent, Deo ipſum auctore non hominibus electum fuiſſe, repoſuit, *Saul tamen & Iudas me terrent, qui ab eodem electi tandem perierunt.* Ita utrimque contrariis deſideriis certabatur, donec P. Antonius Lozano Comitiorum Præſidens injecto obedientiæ præcepto fieri preces ſollicitantis feciſſet. Non tamen poterat à lacrymis, quas injecti officii neceſſitas exprimebat, temperare, quin illas etiam ſæculares, dum eum ad Eccleſiam frequenti populo infeſſam ſolemni ritu deducerent Religioſi, obſervarēt, acclamarentque tam ſanctæ electioni.

13. Comitiis abſolutis mox officii ſui ſatagens, aggredi Provinciæ viſitationem ſtatuit, longâ amabilique oratione Patribus priùs Limenſibus in Capitulo valedicens, concludenſque, *Deus Patribus, qui me, dùm me ad moriendum prapararem, inquietârunt, ignoſcat. Hinc abeo, ſed nunquam rediturus.* Moleſtè ſolam tuliſſeat abſentiam: ſed copiosè omnes etiam cives lacrymati ſunt, dùm dictum ab illo intelligerent, quòd ampliùs faciem ejus non eſſent viſuri, quod ne leve vanumque haberetur, candor viri & ſanctitas prohibebant, & eventus veritatem comprobavit.

14. Neque ſolus ille fuit quem futurum prædixerit, aut in quo latentia cordis ſecreta aperuerit. Res in futurorū prophetia ita ſe habuit. Io Peruviam ex Hiſpania profugerat Petrus Lopez de Leon miles plurium homicidiorum reus, quorum numerum in Peruvia auxit, homo ſeditioſus & animæ ſuæ prorsùs incurius, qui conceptæ in Regem prodirionis quoque convictus fuit. Quare mortis in eum ſententia, totâ civitate applaudēte, lata eſt. At verò Luiſius noſter pridie, quàm ſententiam exequerentur, ad Proregem Franciſcum de Toledo veniam ſuppliciter notoſo poplitibus flexis rogaturus acceſſit. Miratus Prorex ad pedes ſuos ſupplicem tantum virum pro milite tot criminibus Reip. nocivo & capitali ſententiæ obnoxio, arbitratus eſt re non ſatis cognitâ adveniſſe, quare non piguit patienter atque ex ordine eum de ſingulis edocere. Scire ſe, reſpondebat P. Luiſius, damnati crimina, ſed certò, ſi tunc plecteretur, fore æternaliter damnandum, profuturum autem quandoque, ſi vivere permitteretur. Habebant apud Proregem P. Luiſii verba oraculorum venerationem, ac proinde, quid igitur de damnato faciendum ſit, ſciſcitari pergit. Ait ille ejiciendum in Hiſpaniam, additâ, ſi uſpiam in itinere ſubſiſteret, certæ mortis comminatione. P. Luiſii conſilium toto civitatis luctu Prorex ſecutus eſt. Petrus Lopez è faucibus ignominioſæ mortis ereptus feſtinatò ſolvere Panamam laboravit, & poſt paucos navigationis dies Nomen-Dei (a) appulit paulò poſtquam indè claſſis tendens in Hiſpaniam, quâ P. Didacus Gutierrez & P. Balthaſar de Contreras Auguſtiniani vehebantur, Cartageoam vela feciſſet. Petrus ob ereptam navigandi in Europam opportunitatem triſtis, & ob mortis comminationem, ſi hæreret, non ſecurus, alios, qui ſecùm tardiùs venerant, animavit, fuitque cæteris author, ut navim inſtrui curarent, quâ velociter claſſem ſequerentur, in quem finem quingenta, quæ pro illo P. Luiſius à diverſis corrogaverat, peſa largitus eſt. Hæc navis in Francum piratam incidit, cum quo acrem

(a) Nombre de Dios civitas & portus.

acrem ſuſtinere conflictum coacta didicit, quàm non vanum fuiſſet P. Luiſii de Perro de Leon vaticinium: ille enim, ſeu horrore ſuo, ſeu ignitis machinis ſeu machærâ præſens periculum indigeret, alacer adfuit, & piraticam navim ſuperavit, atque in crucem actis hæreticis latronibus Cartagenam appulit victoriâ in fidei ſimul & humanæ ſocietatis hoſtes glorioſus. Famâ egregii facinoris per totam civitatem vulgatâ non tantùm in claſſem admiſſus fuit, ſed inſuper omnibus gratus, in qua Auguſtinianorũ P. Didaci & P. Balthaſaris ante omnia ſe gratiæ inſinuavit, illius erga illos exhibẽs teſtimonia gratitudinis, quâ P. Luiſio obſtringebatur, quem palàm Sanctum appellabat, & vitæ ſuæ redemptorem. In Hiſpaniam expoſitus cùm videret bellum navale in Turcam parati Duce Ioanne de Auſtria Caroli V. filio, ipſe cum cæteris adſcribi voluit zelo Catholicæ Religionis animatus in Chriſtiani nominis hoſtem. Neque aggreſſus eſt bellum animoſiùs, quã perfecerit, cum præcipuis, qui ex illo ad Lepantam prælio gloriã cõſecuti ſunt immortalẽ, comparãdus ſive Chriſti Chriſtianæque fidei commemoratione ſocios incitando, ſive invadendo hoſtiũ naves, inter quæ multis vulneribus decorè extinctus P. Luiſii vaticinium correſpondente ſucceſſu confirmavit.

15. In penetralia verò cordium penetraſſe eundem P. Luiſium hoc docet exemplum. Vix in plateas Limenſes, ut viſitationem auſpicaretur, egreſſo obvius factus eſt nobilis equo inſidens. Firmavit ſe ante ejus equum P. Luiſius hactenus illi ignotus, itaque facie ſimilis, quò iret, quæſivit. Nobilis inuſitatâ Religioſi audaciâ, ut ipſe quidem tunc interpretabatur, indignatus faceſſere hominem non ſine injuria verborum juſſit. Tunc P. Luiſius rugato vultu torvior, *Rumpe*, ait, *infelix iter, quo properas modò, ut illicitè fœmina, cui diu aſſ[illegible]viſti concubitu Deum offendas. Et quid eum cunctantem & patienter te ſuſtinentem novis provoces peccatis? Vitam emenda, & hoc habe miſericordiæ ejus erga te teſtimonium, quòd mihi, hoc ut te modo monerem, mandaverit.* Attonitus de clara occulti peccati ſui, recentiſque, quã ad idem ferebatur, intentionis; cognitione, ne verbum reddere P. Luiſio potuit. Sciſcitatus tamen à tranſeuntibus eſt, quis ille eſſet; ex quibus nomen ejus cognoſcens, *Oportet*, inquit, *Sanctum eſſe Prophetam, qui ſecretiſſima cordis mei arcana detexit.* Mutatoque laſcivi itineris conſilio domum regreſſus tam longis peccatis ſuis illacrymari cœpit, & ad eorũ confeſſionem, quam diu intermiſerat, animum applicare, ut brevi in alium mutatus Sacramenta frequens reciperet; totumque ſe miſericordiæ ac pœnitentiæ operibus occuparet. Faſſus ſæpè noſtris Religioſis eſt nullum tunc à Sancto illo Propheta (ſic eum perperuò appellavit) dictum fuiſſe verbum, quo ſibi cor tranſadigi non ſentiret, nullumque aliud ſuæ fuiſſe emendationis initium. Putantur ejus generis plurima P. Luiſio fuiſſe revelata, & ab eodem prædicta, quæ aut tempus aut profunda ejus humilitas ignorantiæ tenebris involverit. At verò inſtantem ſibi mortem non prorſus diſſimulaſſe conſtat ex ultimâ, quã ad Sodales ſuos in Capitulo habuit, oratione, prænuntiavitque paulò pòſt eam ejuſque genus multò clariùs, ut mox patebit.

16. *Trugilli* cùm parvo tempore hæſiſſet magnos & verbis & exemplo ſanctitatis profectus in aliis fecit. Indè ad Provinciam de *Guamachuco* profectus quantò interitui vicinior, tantò clariùs luxit, quærendo, quibus eleẽmoſynam erogaret, pauperes, & in orationibus & flagellationibus pernoctando. Hinc ad Sanctum Iacobum *de Chuco* cogitans, noctem profectioni præviam tranſegit multò rigorotiùs ferventiùſque. Pòſt oblato Miſſæ Sacrificio ingreſſus eſt iter vitæ ſuæ ſupremum, quod proſecutus eſt ad ripam uſque torrentis modici, ſed qui tempore

pore pluvio ob alveorum anguſtiam ſubitis incrementis facile tumeſcebat. Solitus autem erat P. Luiſius, quotieſcumque officio fungebatur, alicui ſuorum obedientiam deferre, ordinariè quidem P. M. Gabrieli de Saona Hîc autem, quia P. M. Gabriel aberat, petitâ à Socio P. Franciſco de Monroy, P. M. Ioannis de Almaraz germano, decumbendi in terra ad vitium (has præcedentis noctis & itineris labor conſumpſerat) reparationem licentiâ, ſe reclinavit oculis in cælum intentus oranſque, dùm interea P. Franciſcus de Monroy & Balthaſar de Sancto Michaële Laïcus, aliique aliquot Indi & peregrini jentarent. Surgens poſt aliquantam quietem alacer animoſuſque præſentibus dixit, *Somniaſſe mihi videor iſto me torrente ſubmergendum. Verùm non eſt fides adhibenda ſomniis: fiat autem in omnibus Dei voluntas*, ſomnii appellatione jactantiam prophetandi conatus declinare, & ſimul mendacium; cùm non unó in loco (a) Sacræ literæ prophetiis indât nomina ſomniorum. Tùm rogato rurſus Socii conſenſu ad jactum lapidis poſt dirutæ domus parietem à reliquis abſceſſit, ubi diuturnâ cruentâque diſciplinâ, cujus ictus ab aliis facilè audirentur, debile corpus iterùm adflixit, quod cælici proculdubiò civis viſitatio recreavit, ita ſerenus validulque rediît ad ſuos. Socium deinde de quibuſdam Ordinis negotiis inſtruxit, linteum album inſolitè, ſed cæleſti directione, ut eo ſupernatante corpus detegeretur, ex cingulo ſuſpendit, & conſcensâ mulâ, *Eamus*, inquit, *& Dei in me voluntas cōpleatur*. Torrentem tranſvadavit; cumque in adverſum alveum mula eniteretur, ſeſſorem excuſſit cerebro in ſaxum illiſo, quem *Ieſu Mariaq;* nomen inclamantem mox torrens hauſit & ſuffocavit, & nomen ab eo in poſterùm retinuit, *torrens Sancti Religioſi* dictus (b) & venerationem à tranſeuntibus idem vadum; quod, ne ignoraretur, erecta in ripa Cruce prægrandi notari voluerunt. Obiit anno ab incarnatione Verbi M D. LXXVI. à nativitate ſua XLV. à ſuſcepta Provinciæ Præfectura menſe octavo.

(a) Gen. 37. Ioël. 2. ca.

(b) *el arroyo del Frayle Sancto.*

17. Latuit aliquot dies ſubmerſum aquis corpus, poſteà à ſtudioſè quærentibus illud Religioſis, ſæcularibus & Indis indicio ſupernatantis lintei deprehenſum non aliam quàm viventis ſpeciem exhibuit. Et corpus quidem ad Sanctum Iacobum *de Chuco* delatum ibi humatum fuit, luctus autem ad omnes promanavit, iſque prorſus inuſitatus, maximè ad *Trugillenſes, Limenſes & Cuzcenſes*. Lima ejus exequias omnium Ordinum ac ætatum concurſu ſummâ ſolemnitate celebravit, panegyricum P. Luiſi recitante P. M. Gabriele de Saona amico defuncti ſingulari, ac confeſſario ordinario. Qui inter cætera de ejus perfectione mirabilia favoreſque cælitùs conceſſos, Deum in veritatis dicendorum teſtem invocans, adjecit, nunquàm ſibi, cùm tertiò omnium totius vitæ peccatorum generalem confeſſionem feciſſet, aliquod mortale peccatum fuiſſe confeſſum, & conſervaſſe puriſſimam animo corporeque virginitatem.

18. Poſt duos ab humatione corporis annos deſiderio viri corpus ejus ad ſe deferri Trugillenſes voluerunt. Tunc etiam, licèt ſine loculo ſolo habitu indutum, terræ eſſet injectum, integrum, vividum, gratoque odore ſpirans inventum fuit, capitis vulnus ſanguine velut recentiſſimo conſperſum, & albicans cerebrum. Appropinquanti corpori omnis Clerus, Populuſque Trugillenſis extra civitatem magnâ pompâ obviâ proceſſit, deduxitq; ad templū Auguſtinianorum, quò omnes confluxerūt non magis prodigio ſanctitatis exciti, quàm cæleſtium favorū in illud uſque tempus in Peruvia inſolentiâ. Præcipua verò inſignium illius Cōventus benefactorū Ioannis de Sandoval & Florentiæ do Eſcobar conjugū pietas eminuit, qui in

qui in *Angelorum ſacello*,quod ibi magnificè extruxerāt,& in novo,quod pro ſe fornice rexerant, ſepulchro angelicum hunc hominem, dicam, neſcio, an humanum angelum deponi voluerunt, ſuorum, uti ſperabant, aliquando oſſium cuſtodem futurum.

19. Anno ab hac tranſlatione decimoquinto, qui fuit Chriſti nati nonageſimus primus ſupra ſeſquimilleſimum,rediit ex Hiſpania titulo Vicarii Generalis auctus P. M. Gabriel de Saona, Trugilloq; tranſiens deſiderium concepit ardentiſſimum videndi corporis, cujus lateri toties adhęſerat, miratuſq; fuerat ſpiritum inhabitantem. Aperitur juſſu ejus ſepulchrum, intrat ipſe,& cùm eo P. Gaſpar de los Reyes illius loci Aſceterarcha, & repererunt corpus in nullo à die collocationis immutatum. Attonitus inuſitati vigoris in longi temporis ſepulchro ſpecie, in genua provolvitur, & caput amplexus, *Quot*, ait, *& quàm ſanctis ſemper cogitationibus caput illud ſcatebat! Hac defuncti diu corporis integritas indubium eſt integritatis virginalis privilegium.*

20. Fuit certè P. Luiſio tam conſtans virginitatis cura, ut ne poſt mortem quidem ejus cadaver paſſum fuerit fœminei cadaveris propinquitatem. Audi Lector portentum ſæculis omnibus memorādum. Fatis concedit anno M. D. XCIV. non virtutum minùs quàm ſanguinis nobilitate inſignis matrona Florencia de Eſcobar Joannis de Sandoval uxor. Deponitur ejus corpus in eodem, in quo P. Luiſii corpus octodecim annis quieverat planè integrum,ſepulchro,quod cùm poſt aliquot rurſus annos recluderetur, ſola reperta ſunt conſumptâ carne oſſa veſte Religioſâ etiam multis partibus exesâ contecta. Dic quâ novâ corruptionis causâ, niſi quod ſatiùs caſtus ille animus etiam in cælo de carne ſuâ ſollicitus judicaverit illam non ſupereſſe, quàm eſſe in eodem cū fœminæ corpore loco?

21. Cùm anno poſteà M. D C. XIX. ingens terræ motus civitatem Trugillenſem, & Auguſtinianorum in ea Cœnobium & Eccleſiam,uti alibi deſcripſimus, (a) concuſſit, viſa fuerunt à P. M. Antonio de la Calancha tunc illius loci Priore & hujus hiſtoriæ Perüanæ ſcriptore oſſa eâdem nudiate habituque,quæ deinde novâ Eccleſiâ perfecta extracta jubente P. Petro de Torres Priore, &, poſtquàm octiduo in ejus cella optimo ſemper odore fragrantia fuiſſent ſervata, decenti capsâ incluſa in nova Eccleſia honorificè ſunt collocata. Scripſit eodem modo hanc vitam R. P. Bonaventura de Salinas Franciſcanus S. Theologiæ in ſuo Conventu Limenſi Lector, in ſuis de mundo Perüano hiſtoriis diſcurſu ſecundo, capitulo quinto.

(a) lib. 2. cap. 4.

CAPVT III.

Propagationis fidei Catholicæ & Ordinis Auguſtiniani in Regno Quitēſi ſuccincta narratio.

INITIA Quitenſis Provinciæ annotavimus cùm P. Luiſii Alvarez de Toledo vitam deſcriberem*, (b) Hic feliciſſimos ejus progreſſus brevi narratione proſequemur, ne in Provinciæ Perüanę,ex qua eſt derivata, hiſtoriâ prorſus eſſe neglecta videatur, & lectori ipſa brevitate non tam ſatisfaciamus quàm provocemus ad rerū pulcerrimarum, quæ in ea geſtæ ſunt,ampliorem indagationem, notitiamque,quam in faſtis illi Provinciæ propriis adipiſcetur. 1.

(b) cap. præc. num. 4.

2. Regni Quitenſis præcipua civitas ipſi Regno cognominis ingarū tempore florentiſſima, nunc etiam illuſtri-

illuſtribus familiis frequentique populo habitata, pleraſque Peruviæ civitates pulcritudine excedit, cum cæteris certat, agrorum fertilitate nulli ſecunda. Grana patria Hiſpanaque æquali luxurie naſcentia ſui pretium exiguum reddiderunt. Auri argentique fodinis mediocriter gaudet, lanificio excellit, ex cujus mercatura ubertimus illi quæſtus. Gratâ aëris fruitur temperie, quamquàm in umbilico zonæ torridæ ſita. Nam aut æquinoctiali planè eſt ſubjecta, aut modicè dumtaxat ab eodem recedit, mediâ quidem leucâ verſus Septemtrionem ſecundum quoſdam at vero ſecundum alios gradu uno & viginti quinque minutis verſus Auſtrum. Certius eſt ab æquinoctiali in Auſtrum declinare, nondùm tamen completâ unius gradus latitudine.

3. Illuc coloniam jubente P. M. Luiſio Lopez, petente Philippo II. Hiſpaniarum Rege deduxerunt anno M. D. LXXIII. P. Luiſius Alvarez, & P. M. Gabriel de Saona (a) digni magnorum progreſſuum inceptores. Inter Ordinis tamē membra ſeu Conventus non niſi in Comitiis ſecundo pòſt anno habitis (b) numerari cœpit, (c) primo illius loci Priore P. Ioanne Bivero alibi laudato, (d) Suppriore P. Franciſco Velaſquez, cum quibus illuc miſſi P. Antonius Villegas laude concionum, P. Auguſtinus Lopez Philoſophiæ profeſſione egregius, P. Hieronymus Gavarrete, P. Alphonſus Maldonado, P. Ioannes de Caravajal, P. Didacus de Arenas & P. Ioannes Garcia.

(a) c. præc. num. 6.

(b) an. 1575

(c) hoc lib. cap. 1. nu 2

(d) lib. 7 ca 7. 8 & 9.

4. Tantâ autem celeritate & diſtantiâ fama ſanctitatis & doctrinæ novorum Religioſorum ſe extendit ut anno mox ſequēti M. D. LXXVI. novam coloniam in civitatem *Cuença* (hæc etiam gentili nomine *Bamba* dicitur) quinquaginta leucis ab urbe Quito verſus Auſtrum remotam deducere neceſſe fuerit aſſignato illi Præfecto P. Didaco de Ledeſma. Hæc multis ſe incrementis augens poſteà quinquaginta aluit Religioſos pulcerrimo templo decora & pretioſiſſimis dives ornamentis, inter quæ unum ampliùs duodecim peſorū millibus æſtimatū; pixis una decies-quinies mille peſis empta.

5. Et ut ad partes *Quito* Auſtrales Auguſtinianorum colonias, quas deindè conſecuti ſunt ingenti Hiſpanorum & Indorum fructu, enumeremus, potiùs quàm deſcribamus, occurrit in ipſo adhuc primo ab Æquinoctiali in Auſtrum gradu eâdem cum Quito longitudine *Tacunga* ſalubri temperie, & rebus ad victum opportunis abundans. Hic Cœnobium fundarunt exſtructâ inſigni Eccleſia. Tridui itinere hinc abeſt *Ichos* pagus, in quo Auguſtiniani monaſterium habent, treſque illi Doctrinas ſeu parochias annexas: Aliam item Doctrinam tribus indè leucis remotā, cujus Eccleſiam terræmotus evertit. In *Riobamba* etiam, quæ *Quito* abeſt leucis XXV. in ſecundo altitudinis Auſtralis gradu aëre tamē frigido, monaſterium habent, quod ſeu Eccleſiæ ſupellectilē ſpectes ſeu proventus, cum præcipuis Provinciæ computatur. In urbe quoque *Guayaquil*, ad cognominis fluvii ripam ſita, quæ portum habet fabricandis navibus opportunum, ad quas abundantiſſime vicini montes ligna ſubminiſtrant. Eſt in tertio latitudinis Auſtralis gradu, aliquanto tamen, quàm *Quitum*, Occidentalior: temperies ejus calida & inſalubris. Vltimum autem Provinciæ *Quitenſis* in Auſtrum monaſterium, quodque Provinciæ Peruanæ jungitur, eſt in civitate *Loja*; quæ quinto penè gradu ab Æquinoctiali recedit, cælo gaudens temperato gratoque, quodque caloris plus quàm frigoris habeat.

6. At verò in Septemtrionem eadem *Quitenſis* Auguſtiniana Provincia latiſſimè ad *Cartagena* uſque Præfecturam & novum Regnum Granatenſe excurrit. Loca Auguſtinianorum monaſteriis inſeſſa ſunt *Ibarra, Tucares, Paſto, Popayan, Cali*, quibus plurimæ ſunt Doctrinæ annexæ. *Ibarra* pagus eſt Hiſpanis habitatus, tempe-

temperie ſanâ, calidâ tamen magis quam frigidâ. Multæ in eo ſunt ad præparandum ſaccarum officinæ. *Tucares* aërem habet magno frigori obnoxium, omni pecoris genere abundans. *Paſto* civitas habet latitudinem Septemtrionalem uno gradu paulò majorem, ſed aërem egregiè temperatum. Nomen ei paſcuorum luxuries dedit. *Popayan* & Præfectura eſt & Civitas: Præfectura Æquatori ſubeſt & *Cartagenam* uſque in Boream excurrit; ab Oriente Novo Regno Granatenſi, ab Occidente mari Pacifico terminata. Civitas ab Æquatore in Boream duobus gradibus & medio recedit: cælo gaudet frigidiore ſed ſaluberrimo. Incolæ ingenio, civilitate humanitateque Peruanos longè ſuperant. In hanc Coofratres quodam ſuos Auguſtinianos introduxit fundavitque magnus planè & notæ ſanctitatis vir Auguſtinus de la Coruña ex Ordine Auguſtiniano Epiſcopus Papoyanenſis, cujus non ſemel in hac hiſtoria meminimus, cujuſqi vitam ſpeciali capite hujus libri exequemur. Vrbs *Cali* uno, quàm *Popayan*, gradu Septemtrionalior, ſed in eadem longitudine, ſita eſt ad ripam fluminis *Cauca* (quod alii magnum flumen Sanctæ Marthæ dicunt) in vallis planitie, aëre fruitur admodum calido ſed non minùs ſano. Eſt in ea Gubernatoris & Officialium Regis ſedes, domus fuſoria, & ærarium regium. Habet autem, quod in ea eſt, Auguſtinianorum monaſterium Doctrinam ſubjectam, *Balſa* nomine.

7. Et quamquàm propoſiti mei non ſit Provinciæ Quitenſis in hoc opuſculo faſtos proſequi, duo tamen, tragica prorſus exempla, non omittam. Quodam die ſanguinea *Riobamba* pluvia decidit; hujus cauſam aliqui in meteorum aliquod naturale retulerunt: alii in hoc quod aves aliquæ carnivoræ elatam in altum prædam rupiſſent, ſanguinique qui caderent, viam unguibus roſtrove aperuiſſent. Pleríque inuſitatæ rei prognoſticon voluerunt. Habitabat autem non procul *Riobambâ* Eremita opinione ſanctitatis celebris; ſilentium, ſolitudinem, paupertatemque ſervans adeò conſtanter ut cum antiquis Thebaïdis incolis comparari poſſe videretur. Eleëmoſynis vivebat, quas largas à peregrinantibus virtutum ſpecies exprimebat. Petebat autem illas modo Chriſtianis inſolito, nullâ Dei ejuſve amoris aut honoris factâ mentione, non aliud dicens quàm, *habebit fortè panem aut regalem?* Qui petendi modus etiamſi plurimis diſpliceret, nondùm tamen adegit ut contra Eremitæ mores aut publicam viri famam quidquam deteriùs pronuntiarent, obſtante; quæ malum non cogitat, (a) charitate. Monuerunt tamen nonnulli, ut Chriſti nomen petitioni miſceret, quos ipſe humilitatis obtentu pacabat. Potuitque inſuper apud populum imbibita altè ſanctitatis opinio, ut vel tunc religioni ſibi ducerent ſiniſtri quippiam cogitare, cum eum viderent acceptâ mercede elocare equum nigri coloris, quo celeritate prorſus incredibili iter, cùm vix inchoârant, abſolvebant. Sed nihil ad detegendam veritatem tempore potentius. Solemni ritu freqnentique populo Sacrum in templo *Riobambenſi* canebatur; aderat ipſe, collocaratque ſe ad gradum altaris, oculis, ne quid ad ſpeciem pietatis deeſſet, in Sacerdotem intentus. A quo cùm Sacra Hoſtia, ritu in Eccleſia Catholica ſolito ſanctoque, elevaretur, hæreſim ſuam auſu ſacrilego hypocrita detexit. Nam apprehenſum ſiniſtrâ manu Myſten, dextrâ percuſſit iterato cultri, quem propterea attulerat, ictu ſed irrito; hunc primùm, deindè Sacram hoſtiam dejicere & conculcare conatus. Non tulit adſtantiū zelus inauditam hæretici audaciâ, ſed ſtrictis certatim gladiis multis vulneribus confoderunt, ne guttâ quidem ſanguinis erumpente. Quinimò ſcâuis ſe aliiſque, quæ neceſſitas prehendebat, armis alacriter tuebatur. Tùm Catholici novitate rei & unius temeri-

(a) 1. Cor. 13.

temeritate hominis omnibus obſiſtentis animati nullã corporis partẽ, quam gladiis non perforarent, iterã ctam reliquerunt. Patebant à capite ad pedes uſque vulnera ſed omninò incruenta, donec impetu in eum facto extra Eccleſiam projeciſſent. Tunc enim ex omnibus velutè fontium tubis ſanguis obertim ſcaturivit; ipſe autem Deum & Sacroſanctum Altaris Sacramentum (quod ſit ſemper benedictũ) blaſphemans defecit, eodem infernali ſpiritu velociùs, quàm ſolerent peregrinantes, in tartara delatus. Rex porrò Catholicus de enormitate & eventu rei edoctus in monumentum pietatis ſempiternum *Riobamba* calicem hoſtiamque pro inſignibus attribuit.

8. Iſtud ſacrilegii blaſphemiæque; quod ſequitur crudele eſt vindictę maritalis, & inſigne ſimul charitatis religioſæ exemplum. Prætor *Riobambenſis* impudicè alterius abutebatur uxore. Hæc culpam admiſerat faciliùs notis ſibi frequentibuſque mariti adulteriis irritata. Evenit quod, marito abſentiam ſub neceſſariæ profectionis umbra ſimulante, Prætor adulteraque in vicinam *Riobambæ* villam concederent non tàm damnatæ libidinis deſiderio, quàm cæleſti ordinatione illos urgente exigenteque commiſſorum criminum vindictam, inſigni tamen miſericordiæ in reos oſtenſione mixtam. Nam aderat à Prætore advocatus velut ob alterius confeſſionem P. Michaël Ramirez Cœnobii, quod Auguſtiniani *Riobambæ* habent, Aſcetarcha, reverà autem illis in extrema neceſſitate opem laturus. Advolat ſiquidem cum atrocis machinationis adminiſtris maritus, & Religioſũ conſpicatus, ut è villa egrediatur, jubet. Alii verò, ne ſe deſerat, rogant, nondùm conſcii quàm feroci irâ maritus bulliret. Erant autem in eadẽ villâ pręter P. Priorem, Pręторem & adulteram, adulteræ mater, duo ejus filii, Inda una ejuſq; filius. Maritus rursùs Religioſum ad exeundum premens, *Stat*, ait, *ſententia ædes cum ſceleſtis igne exurere*. Religioſus autem arbitratus poſſe morâ indignantis iram mitigare, nec auſurum illum quidquam acerbius ſe, utpote innoxio, præſente, rogatus quoque à trepidis egreſſum differt, donec impotentem mariti animum inflexibilemque non obſcurè cognoſceret. Tunc abire parantem clauſi hi miſerique miſerabiliter interpellant ne morti proximos, priuſquàm confeſſiones peccata expiaſſent, derelinqueret. Intereà ignis domui injectus quatuor angulos vorabat; fortiori tamen flammâ pectus P. Michaëlis ardebat, ut externam flammam jam jam corpori ſuo imminentem aut non timuerit aut ſpreverit, ſoli miſerarum animarum lucro intentus. Tres filioli propter ætatem erant innocentes, reliquorum peccata ſecretâ confeſſione audivit. Vix abſolverat dùm ipſum etiam Confeſſarium ignis involvit, & cùm cæteris ſeptem exuſſit, habitu tamen, quo veſtiebatur ità inviolato, ut ne filum quidem fuiſſe læſum fuerit deprehenſum, inſigni habitus Auguſtiniani, quo fervidum illud pectus fuerat contectum, privilegio, cælo indignum judicante ut flammâ extrinſecùs ambiente conſumeretur, quæ intùs majorem exercat innoxiè. Fuit & hoc mirandum, tanto monaſterium, dum Prior illius arderet, fragore fuiſſe concuſſum, ut abſorberi, ejuſque Religioſi extremæ horæ vicini ſibi eſſe viderentur.

CAPVT IV.

De monaſterio Noſtræ Dominæ de O.

1. VT ex Quitenſi regno in Peruviam redeamus, an majori charitate meritoque monaſteriũ *Noſtræ Dominæ de O.* Auguſtiniani inceperint, incertum, an dimiſerint. Fundatum eſt ad viam regiam, quæ inter Cuzcum & Limam intercurrit, in valle *Avancay* temperata & feraci ſaccari, diſtatque Cuzco itinere dierum quatuor. Ibi laboratum ab Auguſtinianis ita gnaviter, ut brevi tempore omnes illarum vallium pagorumque incolas converterint baptizarintque, ad hoc ipſâ hominum humanitate & Cuzcenſium exemplo, cum ſtudio Auguſtinianorum concurrente. Inſtructos, ædificataſque Ecclesias Sacerdotibus ſæcularibus, (ſine invidiâ ſit dictum vocabuli) ut eorũ inopię ſubvenirent, deſeruerunt. Primi valles illas coluerunt ſeveruntque Euangelii ſemente P. Ioannes Maldonado alibi à me laudatus, P. Franciſcus Bezerra, P. Alphonſus de Eſpinoſa.

2. Fuit autem P. Franciſcus Bezerra veteris Cœnobii Limenſis alumnus, literis Latinis apprimè inſtructus, facundiâ celebris, obſervantiæ Religioſæ ſtudioſiſſimus, vigiliis, orationibus, jejuniiſque adeò deditus, ut Superiores veriti ne cerebri nimiâ inanitate in delirium incideret, eum ab inſtructione Noviciorum, quibus anno M. D. LX. præerat Magiſter, removerent, aliiſque functionibus non ita cerebro importuois occuparent. Quibus tamen cùm de die ſe fatigaret noctèſque orando perageret, evenit quod Prælati timuerant, ut ſæpè ad Lunæ incrementa impos mentis redderetur, tunc tamen etiam memor pietatis, cui maximè aſſueverat, pſalmis hymniſque, feliciùs quam ſciret, fallens tempus, maximè verò ſalutationibus Sãctiſſimę Virgini Matri magno ſenſu .actis. Frequentiſſimè ſcilicet in hunc modum exclamabat. *Mater Solis Iuſtitia, Patris æterni filia & ſponſa Spiritus Sancti, Advocata peccatorum, intercedè pro omnibus ad Dominum: nec aliud, quod tibi dicam, habeo.* Cùm ad mentem rediret, prima cura erat ſciſcitari, ſi quid in Deum, aut Dei-param indecori .effutiviſſet. Si joci cauſa annueretur, pectus, maxillaſq; non jocosè contundens, profuſis lacrymis, *Egregiè,* ait, *beneficiis, quibus quotidie ab illis cumularis, reſpondes. Vapula ut mereris, effrenis & ingrata beſtia.* Aliquot ante mortem diebus ſibi planè redditus nihil niſi ignem divini amoris ſpirabat, ac ita exſtinctus eſt ut fatui ſortem ſapientiſſimi deſiderarent, arbitrantes ſe nunquàm ſapientiùs apud Supremum Iudicem reſponſuros.

CAPVT V.

De monaſterio Sanctæ Catharinæ in valle Cliſenſi. (a)

(a) de Cliſa.

COEPIT hoc monaſterium anno M. D. LXX. cui præfuit primò magnus vir virtutibuſq; plenus P. Didacus de Dueñas. *Tapacarino* (b) ſubjectum fuit uſque ad hæc Comitia, ſed auxit ſe magnis incrementis ſeu ſpiritualia ſpectes ſeu temporalia bona. Totam ſiquidem vallem Catholicæ fidei incrementis inſtruxit, penditque pro collectâ Provinciæ in ſingulos 1.

(b) de Tapacari.

ſingulos annos tria peſorum millia. Abeſt itinere unius diei à civitate *Oropeſa* ſeu *Cochabanba*.

CAPVT VI.

De monaſterio Arequipenſi & miraculis quæ ibi operatus eſt B. Ioannes Saguntinus.

1. NOMINE originem dedit Ingarum unus, Marchio Franciſcus Pizarrus civitati. Cùm enim Inga cum victorioſo exercitu illàc tranſiret, plurimi ejus Centuriones gregariique milites loci pulcritudine illecti facultatem ab Inga figendæ ibi habitationis poſtularunt, quibus ipſe reſpondit, *arequepay*, quod eſt, *bene eſt, manete*. Atque ita in reſponſi regii venerationem fortunatæque petitionis memoriam, nomen loco manſit, quod ſucceſſus temporũ corrupit, ut *Arequipa* vulgatiùs fuerit dictus. In hoc Franciſcus Pizarrus anno deinde non M.D. XXXIV. uti Hiſtoriographus Regius Antonius de Herrera ſcribit, ſed, prout ex certis probat monumentis P. Antonius de la Calancha, anno M.D.XXXVI. civitatem condidit. Coloniam verò Auguſtinianam anno M.D. LXXIV. introduxit P. Luiſius Lopez Provinciæ Præfectus, conſtituto primo Aſcetarcha P. Ferdinando de Cruce, & miſſis cum eo P. Didaco de Ledeſma egregio Eccleſiaſte, P. Didaco de Arana, P. Ioanne Morejon, P. Ioanne de la Cueva.

2. Iacet *Arequipa* in latitudine Auſtrali graduum ſedecim & minutorum triginta. Vbi minimè, diſtat à mari leucis duodecim, Limâ centum triginta, Cuzco ſexaginta. Non eſt in toto Peruviæ regno aut aqua ſalubrior aut cælum temperatius, capax perducere incolas ad decrepitam uſque ſenectutem, ſi ſibi, æquè atque elementa & cælũ, temperantiâ eſſent benevoli. Nulla unquàm tonitrua aut fulgura civitatẽ terrent: audiuntur tamen quæ vicinis aliquando montibus impendent, ſed quæ nunquàm ad civitatem fulgura ſua excuſſerunt. Montes agrique vicini vinum & frumentum producunt copioſiſſimè, horti mirâ varietate fructus & flores. Vnum inter tot naturæ luxuriantis beneficia, ne quidquam ſit ex omni parte beatum, malum eſt locis omnibus maritimis in Peruvia commune, quod frequenter terræmotibus concutiatur, quales experta eſt annis M.D.LXXXII. & M.DC.IV. quæ pæne eam everterunt. Anno etiam M.DC. rupro monte tantum cineris ejectum fuit ut terram longâ latèque obtuerit magno vinearum nocumento, ſed majore frumenti fertilitate, hâc alterius damnum compenſante: paulatim tamen etiam vineæ ad priſtinam fertilitatem redierunt. Pyri omni anni tempore fructus totiuſque Peruviæ optimos producunt, &, qui pulcerrimus eſt naturæ luſus, ſemper ſimulque floribus, immaturis & maturis fructibus ornantur. Antequàm anni M.D. LXXXII. motu civitas deſolaretur, pulcerrimis & elaboratis arte & lapide ædificiis ornabatur, ad quem ſplendorem nondùm quidem rediit, licèt perelegans. Et quia priſtinam ad magnificentiam animum cives ſervant, ſurget proculdubio civitas ſupra nitorem quem nunc habet. Abeſt *Arequipâ* ſeſqui-miliario rupes partim reliquo monti connexa, partim prominens ſudanſque infinitis partibus guttatim aquas, velut cum animalis pori ſudorem laxati emittunt, quod inter naturæ miracula à Peruanis reputatur. *Arequipa* juriſdictioni ſubſunt Provinciæ de *Condeſuyo*, de los *Hubinas*, *Collaguas* & *Chuquiguanitas*.

3. Fuerunt Cœnobii Arequipenſis,

ſis ſicut multorum aliorum ſolent, incunabula multis difficultatibus obnoxia, & quòd maximè Auguſtinianos inter ethnicos affligebat, inferebantur ab illis à quibus auxilium meritò expectaſſent. Ipſe Prorex obtentu non petitæ à ſe licentiæ obſerari portas naſcentis monaſterii juſſit vetuitq; ſonare campanas: Clerici Didaci Rodericii Solis, qui nos amplis reditibus dotârat, corpus exhumârunt, totâ Rep. indignante, donec tandem Regis Catholici Philippi II. ſententiâ non tantùm ablata ſunt obſtacula, ſed inſuper additi adflictis indebiti favores, nam vinum, oleum, medicinaſque regiis ſumptibus miniſtrari juſſit, ob egregios, quos in erudienda literis humanioribus juventute, prædicatione ad populum, aliiſque obſequiis faciebant fructus. Regis exemplum alii ſecuti magnis eleëmoſynis monaſterium promoverunt, ut inter præcipua Provinciæ numerari poſſit. In eo habitu Religionis initiatus P. Gabriel à Ieſu continuo ibi vixit ſanctitatis apud cives opinione, quâ eum etiam poſt mortem ſunt proſecuti.

4. Maximè autem B. Ioannes Saguntinus ſuis miraculis cœnobiũ Arequipenſe illuſtravit, quæ cùm plurima fuerint, ex his paucula delibabimus, ſed indubitatæ fidei. In monaſterio Religioſarum, quod poſt cinerum tempeſtatem *Arequipæ* remanſerat, eratque Ordinis S. Dominici, vivebat ex præcipuâ nobilitate Petüanâ Marina Cegarra. Hãc duodecim annos pedum impotentia adflixerat, quæ cum minima eſſet, non aliud concedebat quam ut fulcris ſe ſuſtentaret, quibus ſi ſe ad duos paſſus promoviſſet, ſubſiſtere rursùm dolore pedum cogebatur. Medicorum artem non tantùm obſtinatè reſpuebat, ſed medicinis augebatur malum. Huic Leonora Chacon ejuſdem monaſterii Religioſa præcipuâ amicitiâ juncta dixit aliquando, ut B. Ioannis Sahaguntini, cujus frequentia audiebantur in Peruvia miracula, opem etiam ipſa imploraret. Illa Sodalis ſuę monitione accenſa, ut effigies ejus ad monaſterium deferretur, rogavit, quam ad portas monaſterii expectavit: allatam magno devotionis ſenſu oſculata eſt plorans petenſque ſanitatem; ac paulò poſt exclamavit, *Ieſu, jam ſana ſum*. Admirati ad ſubitas lætaſque voces, qui cum imagine advenerant plurimi, petiverunt ut progrederetur aliquantulum. Progreſſa eſt abjectis fulcris eâ facilitate, quâ unquàm cum vixerat ſaniſſima. Miraculi magnitudo multitudine præſentium per totam mox civitatem delata omnes ad ſpectaculũ Marinę evocavit, celebratumq; fuit magnâ ſolemnitate. Antiſtes dùm caperet informationes, invenit quotquot vellet, rei teſtes: Capitulum verò B. Ioannem Civitati patronum delegit.

5. Ioannes Mayta Inga (ita eum appellamus, quòd ex ſanguine eſſet regio præcedentium Ingarum) eodem malo detinebatur, ut movere ſe non poſſet, non niſi auxilio alieno mobilis. Hunc cum viſeret Garcia Lopez de Carvajal, miſertus hominis adflicti atque omni humanâ ope deſtituti, memoriam illi B. Ioannis Sahaguntini injecit & fiduciã. Quã ferri ſe ad Auguſtinianorum templum, cùm in eo feſti cujuſdam ſolemnitas ageretur, curavit, rogaturus B. Ioannem pro tanti ſui mali remedio. At Beatus, ut aliquid etiam ampliùs nationi recèns converſæ quàm Hiſpanæ tribuere videretur, non tardavit donec longas in templo preces fudiſſet, ſed ante ipſum templi ingreſſum muſculos ejus nervoſq; omnes ſolidavit. Quod ut ſenſit Mayta, è brachiis portitorum exilijt, & præco in templũ ingreſſus, qui precaturus acceſſerat. Proſtravit ſe, ac labiis altari medici ſui adfixus gratitudinem teſtabatur.

6. Neque ſolos claudos B. Ioannes beneficiis ſuis complexus eſt, etiam immedicabile cancri malum in Ioanna Coronado Andreæ Coronado uxore abſterſit. Iam ſiniſtrũ pectus cancer abſumpſerat, humeris

ris voraciter imminebat, & quatuor chirurgorum induſtriam illudebat. Secarent? non ſecarent? æquale undique mortis erat periculum. Ad hanc ergò ſe tanquam poſt paucos dies exceſſura condito teſtamento de animæ ſalute, cùm corporis deſperaret, ſollicita comparavit. Cui cùm viſitantium aliquis crebra B. Ioannis Sahaguntini miracula recitaſſet, deferri ad Auguſtinianos voluit. Delata fuit ab ipſis Auguſtinianis, qui cùm portæ appropinquarent, ſenſit illa imminui dolores, & paulò pòſt totum abſceſſiſſe malum, ſolâ B. Ioannis Sahaguntini invocatione.

CAPVT VII.

Acta Capituli decimi.

1. FVNESTA hęc tèmpora Prioribus Provincialibus fuerũt. Nam cum P. Luiſius Alvarez de Toledo caſu aquiſque eo, quem diximus; (a) cap. 2. hujus lib. (a) modo eſſet extinctus, in Ianuario anni M. D. LXXVI. indicta fuêre per P. Luiſium Lopez Comitia Cuzci in Auguſtum proximè ſequentem, ubi pridie ſolemnis feſtivitatis S. P. Auguſtini (b) 27. Auguſti. (b) Provinciæ Pręfectus renuntiatus fuit P. M. Luiſius Proſper Tintó glorioſiùs quàm fortunatiùs, ut mox narrabitur; (c) cap. ſequ. (c) Definitores P. Antonius de los Reyes. P. Hieronymus Gavattere, P. Ioannes de Pineda, P. Alphõſus Pacheco.

2. Decretum, Provinciam ut regeret Definitor primus ſi Provincialis officio nondùm peracto è vivis exceſſiſſet; atq; ſi primo id anno accideret, convocaret Capitulũ intra quinq. menſes proximos; ſi ultimo anno, gubernaret ad ordinariũ Comitiorum tempus, quod quidẽ tunc à Rmo. Patre Generali Thadæo Peruſino egregio Provinciarum in novo mundo zelatore confirmatum fuit, ſed aliter ſtatutum in novis Conſtitutionibus ejuſdem Rmi. P. Generalis tempore & autoritate Comitiorum Generalium Romæ anno M. D. LXXV. celebratorum correctis. *vide 3. part. cap. 11. §. Si verò.*

3. Numero Religioſorum creſcente etiam ſtudiorũ loca multiplicare Patribus viſum fuit. Et cùm Limẽſis Cõventus Theologię eſſet deputatus, Philoſophia Cuzci, Trugilli, Arequipę & Quiti doceri cœpit, ut ubiq; apti ad convertẽdos infideles & docẽdos fideles miniſtri pararentur.

4. Accidit etiam hujus Capituli tèmpore, anno videlicet 1577. ut juſſu Proregis Franciſci de Toledo Univerſitatis Limenſis ſcholæ in alium locum transferrentur: qui etiam P. M. Luiſio Lopez de Solis propter raram ejus doctrinã ſummę modeſtiæ junctam attribuit Cathedram veſpertinam, & hęreditariam fecit.

CAPVT VIII.

Breue P. M. Luiſii Proſperi Tinto encomiũ.

LVISIVM Proſperum Tinto Valentia mundo dedit, qui cùm nobilitate floreret inter ephebos Andreæ Hurtado de Mendoça Marchionis de Cañete, cum in Peruviam titulo Proregis proficiſceretur, ejus fortunam ſecutus eſt; eventu, quàm propoſito, fortunatiore. Conſideratâ ſiquidem Auguſtinianorum in cœnobio Limenſi vitâ, incenſus ſtudio imitandi, floridæ ætatis voluptatibus & ſpei ampliſſimorum favorum, melioris genii ductum ſecutus, renuntiavit. Non priùs tamen habitum religioſum ſumpſit, quàm popularem ſuum Hieronymum de Caſanova ex præcipua nobilitate Valentina, quem illecebræ mundi nonnihil abripuerant, ad meliorẽ frugem reduxiſſet. 1.

2. Hieronymus cognito Luiſii propoſito tantæ felicitatis ſocio ad-

hærere voluit. Quare uterque ſimul Ordini Auguſtiniano initiatus, mirante Proregis aulâ & ſtupente civitate, optimæ vitæ exemplo & auſteritatis deſiderio aliis præluxit. Verùm de ſolo hîc F. Luiſio Proſpeto tractamus. Hic naturæ dotibus ſtudioque inter præcipuos doctrinę & eloquentiæ laudem eſt conſecutus. Et cum prudentiam doctrinæ & religioſis moribus junxiſſet, eam apud ſuos æſtimationem obtinuit, ut decimo ſexto à ſuſcepta Religione anno inter tot ſanctitate & doctrinâ excellentes viros Provinciæ ſuæ Præfecturam illi detulerint. Quam cum modico tempore feliciterq; adminiſtraſſet, alia ex aliis infortunia eum occupârunt. Immitis ſiquidem caſus brachia ejus & crura confregit: quibus curatis rursùs ſolidatiſque, tœdio Præfecturæ, in Hiſpaniam, vitam quietam quęſiturus, profectus eſt, conſtituto ſuo Vicario P. Alphonſo Pacheco. Ex Hiſpania Romam perrexit, ibique ſubitaneâ morte extinctus eſt.

CAPVT IX.

Mirabilis vita, actiones heroicæ, honores oblati, & miracula P. Auguſtini de Coruña ex Ordine Auguſtiniano Epiſcopi Popayanenſis.

1. ALICVIVS, ex vetere Thebaide Monachi vitam me ſcribere exiſtimo, dùm aliquid de P. Auguſtino de Coruña meditor; tantus ſui, tantus bonorum omnium temporalium neglectus, tanta apparet honorum fuga. Hos tamen prorsùs excutere non valuit, quos quia in Perûvia geſſit, in hac noſtra hiſtoria locum ſibi vendicavit, aliàs non niſi Hiſpaniæ aut Mexici annalibus recenſendus. In Hiſpania namque ortus & vitæ religioſæ initium ſumpſit, in Nova Hiſpania ſeu Regno Mexicano annos ampliùs viginti quinq; converſioni infidelium fructuoſiſſimè impendit, emicuit autem in Peruvia rebus præclariſſimè geſtis & Epiſcopali dignitate. Certent ergò de inſigni hoc viro tres illæ Provinciæ, Perûana certè beati corporis reliquiis gaudet.

2. Vbi, quo ſtemmate natus, ubi initiatus ſit Religioni Auguſtinianæ, quæ prima ejus fuerint exercitia, non inveni, ſcribunt tamen eum F. Auguſtinum Gormaz ſolitum fuiſſe appellari, & admodùm juvenem ex Hiſpania Europæâ in Novam Hiſpaniam ſeu Regnum Mexicanum ad converſionem infidelium tranſmiſiſſe inter ſeptem primos, duce P. Franciſco de Cruce, cui virtutes & longa modeſtia *Venerabilis* agnomen peperêre. Mexicam pervenit VII. Idus Iunias anni M. D. XXXIII. & cum aliis inſigni Patrum Dominicanorum humanitate in eorum monaſterio receptus, paulò pòſt in eorum Eccleſia concionem habuit, quam tanto ſpiritus ardore animavit, ut admirationi eſſet nõ tantùm quibus ignotus erat, ſed ipſis etiã ſodalibus ſuis Auguſtinianis, qui proinde numine aliquo afflatum fuiſſe aſſerere non dubitârunt, & res magnas ominari, quos etiam non fruſtraverunt ſucceſſus.

3. Provinciæ ei *Tlapa* & *Chilapa*, quas converteret ad fidem, attributæ. Nec recuſavit, omnes difficultates animi magnitudine & in Deum fiduciâ ſuperans. In eas ingreſſus quintâ Octobris ejuſdem anni M. D. XXXIII, & ipſo introitus in *Chilapam* die linguâ gẽtis vernaculâ prædicationem orſus manifeſtum indicium dedit aut prodigioſæ memoriæ, aut divinæ aſſiſtentiæ. Valuit certè intellectu & memoria non vulgari, ſed quis credat eam ſuffeciſſe ut quinto menſe barbarum

prorſus

prorſus idioma perfectè comple&ceretur, niſi prodigium aut naturæ aut Numinis miſceatur?

4. Accurrit mox ad concionantem ingens populi multitudo partim rei novitate, partim rerum, quæ dicebantur, ſuavitate & caſtitate illecta, & ex illa plurimi novam doctrinam ſunt amplexati. Obſtaculum tamen poſuerunt, qui in ſimilibus rebus ſolent, potentiores, ſeu ſuperbiâ ducti ne ab externis humilibuſque hominibus viderentur doceri, ſeu illigati cupiditatibus ne ab iis abſtraherentur. Pergunt illi ad ſingulorum ædes tuguriaque, auſi in faciem exprobrare inconſtantiam in avita religione & moribus, ac levitatem in admittendis peregrinis, additis inſuper, niſi ad priora redirent, minis. Nulla quidem natio majorem principibus, quàm illa reverentiam ſervat, diligentiâ tamen P. Auguſtini Sodaliſque P. Hieronymi de S. Stephano factum eſt, ut ne quidem ſic à meliori propoſito revocarentur, donec decreto publico noſtri novarum rerum cupidi & ignorantes declararentur, caveretúrque pœnâ mortis, ne quis illis familiaritate jungeretur, ut eorum evitarent conſortia, cibum aliaque ad vitam neceſſaria denegarent. Hęc certè ſeveritas terruit neophytos Indos: noſtri autem inſtar veterorum Apoſtolorum *ibant gaudentes, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam* & perſecutionem *pati.* (a) Tribus vixerunt menſibus omni humano auxilio deſtituti, coacti maizii ſpicas fricare, ligna colligere & ſuis portare humeris, ſi famem, non pellere, ſed tolerabilem reddere volebant; expectantes inter hæc, ut ſuis narrat literis P. Auguſtinus Coruña, in horas ſingulas mortem. Non dubitabant ſiquidem quin potentiores iſti, dùm obſervaturi eſſent peregrinos doctores neque fame neque imperatâ ſolitudine è finibus ſuis exire, in furorem verterentur, extinguerentque in ſuis terris, quos tantâ edicti ſeveritate ejicere non potuerant.

(a) *Actor.* 5. 41.

5. Verùm majores per eos divina Providentia fructus diſpoſuerat, quàm ut tàm citò opprimi permitteret. Currebant per montes & cavernas fideles operarii, ut neophytos Indos contra ingruentem tempeſtatem præmunirent. Aſt illi nimio interdicti terrore perculſi aut tenebroſis ſe ſpecuum, ſi poterant, receſſibus occultabant, aut, ſi non poterant, ad Doctorum ſuorum non minùs quàm ad luporum conſpectum ocyſſimè fugiebant. Quid igitur facerent miniſtri hi Euangelici? manerent? ſoles erant, fames, ſitis, & opprobria, idque ſine ſpe fructus, toleranda. Abſcederent? illud indecorum Chriſtianis doctoribus arbitrabantur, & multis aliquando animabus formidabant nociturum. Perſtiterunt, contra ſpem in ſpem precibus ſe ad Deum erigentes. Accidítque brevi, ut potentiores etiamſi nondùm faverent, non tamen ampliùs contradicerent, darentque liberam audiendæ novæ doctrinæ facultatem. Intererant jàm non rarò etiam ipſi, admiratores facti illorum quos antè perſequebantur. Laborum tolerantia, ciborum parcitas, (ſex ſcilicet unciis reficiebantur) modicus duarum horarum ſomnus, aſperitas veſtium, bonorum temporalium, quæ ſola ipſis nota, contemptus, honoriſ fuga, conſtans in rebus adverſis & contumeliis benignitas in ſtuporem illos adigebat.

6. Dæmonum etiam oracula tàm antè loquacia & familiaria, mox ut novi præcones advenerant, ſiluerunt, quod aut timori dæmonum Indi attribuebant, aut ſummæ venerationi (cujus indicium Indis ſilentium eſſe ſolet) qua novos advenas proſequerentur. Quare à nonnullis ſuis ſacrificulis contemni cœperunt, quòd ſcilicet Dii cùm eſſent, homines timerent & venerarentur. Populi ergo ardore, horũ exemplis accenſo, tã frequentes conciones factæ ſunt ut vix ipſi ſibi jam ſufficerent omnibus erudiendis & bapti-

& baptizandis, qui ſæpè uno die quingentis non erant pauciores.

7. Tam felici fidei Catholicæ progreſſu læti alacriſque populum è cavernis & montibus, in quibus ſparſim habitabant, eduxerunt, in Reſp. redegerunt, delineaverunt pagos legibuſque politicis ordinaverunt ita aptè firmiterque, ut poſteà in pulcras & pacatas civitates excreverint. Narrant autem illarum Regionum hiſtoriæ nulli Europæ, ſive Religionem ſpectes ſive politicas leges, civitati eſſe ſecundas, quam laudem ab Auguſtinianorum inſtitutione ſint conſecutę.

8. Nondùm annum exegerant cùm habere Comitia omnibus Auguſtinianis, qui ncto in Nova Hiſpania erant, placuit, in quibus de ſingularum Provinciarum moribus, Doctrinæ Chriſtianæ adjumentis vel impedimentis, de horum remediis, de ædificandarum domuum, Eccleſiarum & monaſteriorum formis, ne quid diſſonum à neophytis notaretur, conferrent, mitterenturque ad ſingulas nationes miniſtri, illis futuri utiliores, cùm non aurium animorumque minor quàm palatorum ſit diverſitas, placearque uni quod aliis diſplicebat. Habita hæc Comitia ſunt ſeptima Iunii anni M.D.XXXIV. in monaſterio *Ocuytucenſi*, (a) in quibus ad Provincias ſuas *Chilapa* & *Tlapa* redire juſſus eſt noſter hic P. Auguſtinus, ſed alio collegâ P. Ioanne de Sancto Romano ſociatus. Redivit autem maximo incolarum gaudio, at labore minori, ſublatis aut mitigatis non parva ex parte incommodis, & pluribus jam doctrinæ faventibus, quàm anteà fuerant execrati. Auxerat etiam non dubia infirmitatis experientia adhibendorum remediorum induſtriam; non deerat tamen in frequentiſſimis populo Provinciis ingens idololatrarum numerus, quibus reducendis Auguſtinus & collega ad fatigationem exercerentur, quam evadere non poterant, etiamſi ſoli ſuperfuiſſent baptizati. Verùm nihil videbatur igneo eorũ zelo difficile, nihil impoſſibile. A *Tlapa* ad mare uſque Pacificum ad Chriſti fidem perduxerunt, ſoli duo, quibus in eadem fide conſervandis poſteà viginti Auguſtiniani, Dominicani quatuor & duodecim Sacerdotes ſæculares fuerunt occupati, occupanturque, conſtitutis jam pagis & oppidis, cùm tunc non niſi in ſpeluncis ſparſim morarentur.

(a) de Ocuytuco.

9. Placet ex P.M. Ioanne Grijalva paucula ad hanc rem pertinentia transſcribere. *Hominem ſuperare in vita actibuſq; ſuis. & eſſe ſpiritus benedictus Coruña videbatur, infatigabilitatis & agilitatis dotum ſpiritibus peculiarium particeps, ut putarentur pedes ejus pari ferè cum cogitationibus paſſu ambulare. Inter cæteras ejus actiones, velut miraculoſam computari legi, ter uno die in diſſitis à ſe locis ſacrificium incruentum obtuliſſe cæteriſq; muniis Sacerdotum fuiſſe functum. In natalitia Salvatoris feſtivitate primum Chiapa ſacrum dixit; ſecundum Atliztaca ſexto illinc lapide remota; tertium Tlape, quæ Atliztacâ nono abeſt lapide: ut ante meridiem quindecim pedes & per itinera, ſi uſpiam in mundo ſunt, fragoſa confecerit leucas, concionem habuerit ſingulis tribus locis ad populum, & omnia fidelibus illius diei Sacramenta adminiſtrârit. Nemo modò iter illud conficit, qui non faciat ſpecialem illius miraculi mentionem, & gratulatur ſibi, qui tertio illud die abſolvit, infixo terra oſculo, quemadmodùm ex horrida tempeſtate in litus ejectus facere ſolet. Putatur plura ejuſmodi itinera confeciſſe. Accidit ut fortè curſor ei pedeſtris in via jungeretur, qui in Hiſpania equites ſæpè curſu ſuperârat. Hic pauculis cum eo leucis iter proſecutus, imparemq; ſe ejus paſſibus animadvertens, Solus,* inquit, *perge, Pater, non eſt iſta pedum tuorũ velocitas. Alis fortè Seraphinorum, certè charitatis volabat.*

10. Alia item fervencis, quo ardebat, zeli exẽpla intueamur. In quodam Provincię *de Tlapa* pago ipſâ S.P. Auguſtini Patroni illic Tutelaris feſtivitate Caziqui cæterique primarii choreas ducentes quippiã effuſâ

effuſâ voce canebant. P. Auguſtinus illàc tranſiens ratus hymnum aliquem eſſe ex his,quos ipſe in Dei Sanctorumque laudem compoſuerat plurimos, lætuſque tam fauſto, ut putabat, ſuorum Neophytorum progreſſu ſubſtitit, ſeduloque ad verba advertit. Tùm notavit vetera eſſe atque ethnica cantica; quæ abrogari Chriſtianorum hymnorum introductione voluiſſet. Ipſe pudoris ſimul charitatiſque ſtimulis incitatus in genua ſe provolvit, oculis, quos obortæ lacrymæ irrigabant,in cælum projectis, oravitque ne tantum nefas toleraret, neu pateretur hanc ſibi injuriam feriis S.P. Auguſtino,qui olim contra quoſlibet Dei hoſtes tàm glorioſè decertàrat, ſolemnibus inferri. Et ecce dùm orat, ſubitò concidit & extinguitur auctor gentilis cantici Caziquus. Horrendo cæleſtis vindictæ exemplo cæteri conſternari, prævaricationis veniam à P. Auguſtino popoſcerût, & obtinuerunt hac conditione, ut Chriſtianos hymnos ab illo edoctos majori alacritate decantarent.

11. Verùm Dæmon ſplendidum caſtigationis cæleſtis ad preces P. Auguſtini factæ exemplum offuſcare conatus eſt. Erat *Olinala* (pagus eſt *Tlapa*) celebre idolum & famihate. Hoc quatuor Indos habebat ſervitio ſuo obnoxios, quorum legatione ad præcipuos illarum regionum, cùm volebat, utebatur, provocabatque ad offerenda ſibi ſacrificia. Miſit unum ex his ad vicini pagi Toparcham, cui ſuo nomine » nûntiaret, diſplicere ſibi,quod Chri» ſtianus eſſet; iſtam ob cauſam à ſe » morti traditum *Tlapa* Caziquum; » potuiſſe ſe poſſeque idem cum ipſo, » ſed, quòd propenſioris in eum eſſet » animi, nihil ſe ab ipſo exigere diffi» cilius, quàm ut abjuratâ Chriſtia» norum fide ſibi tanquàm verò Nu» mini litaret. Irritatus ſuperbâ & impiâ legatione Caziquus, & multis contra idolum convitiis debacchatus, pugnis legatum excepit, & manibus pedibuſque ad palum alligatum obſervari totâ nocte vigilibus adjunctis juſſit, ſequenti die ad P. Auguſtinum in *Chilapam* mittendum. Sed dæmon inducto in vigiles ſopore legatum liberum abire permiſit. Caziquus ob vigilum ſocordiam & alterius abſceſſum magnoperè indignatus feſtinarè in omnes vias aviaque dimiſit, qui fugientem inſequerentur, quem paulò pòſt captivum reduxerunt. A Caziquo in *Chilapam* miſſum, cùm abeſſet P. Auguſtinus,ejus collega P. Ioannes de Sancto Romano vinxit, injectâque ferreâ catenâ cubiculo arctè incluſit: & ſategit interim quâ inquirendo quâ minando idoli ſedem, aliorum nomina legatorum, ſacrificiorum materiam tituſque inveſtigare, quæ omnia planiſſimè Indus confeſſus eſt, poſt paucos tamen dies rurſus ope dæmonis evaſit. Re intereà ad P. Auguſtinum delatâ, velox ipſe alacerque ſpe detegendorum ethnicorum ſecretorum accurrit;quæ,ubi ex P.Ioanne didicit, magnarum rerum indicio, exſtirpandique idoli opportunitate animoſior factus perrexit *Olinalā*, cloacam infernalis ſpurcitiei, quam exhaurire & purgare totam meditabatur. Quapropter ingenti ſpiritû contra falſitatem inanium Deorum invectus, municipii Caziquo primoribuſque ignis,utpote poſt ſuſceptum baptiſmum ad idololatriam relapſis,minatus eſt ſupplicium,niſi fraudulentum idolum proderetur, traderenturque quatuor illi pro ipſo fungi legatione ſoliti. Mandato P. Auguſtini obſequuntur *Olinalenſes*, manifeſtant idolum, adducunt legatos, quorum unus non invitus fatebatur ſe ſincero animo baptiſmum ſuſcepiſſe, ab eo autem tempore nunquàm fuiſſe è ſomno expertectum niſi aut capillis ſuſpenſum,aut in ſordes aliquas projectum atque à dæmone oppreſſum. Tàm ſævæ memoratione tyrannidis, quâ miſeri Indi à ſuſcipienda Catholica fide terrebantur & à ſuſcepta revocabantur, incenſus P. Auguſtinus idolum comminuit,anathemata exuſſit, & complanavit montem, ne

ullus eſſet latebrarũ locus, in quem miſellos dæmon rurſus ad ſua ſacrificia invitaret. Legatos Eccleſiæ reconciliavit, veſtivitque tunicis albis, in quibus depictum crucis vexillum adverſas partes, ne denuò vim inferre portantibus auderent, fugaret. Vixerunt illi in poſterum ſine ullâ dæmonum moleſtia aut infeſtatione.

12. Accidit eidem & aliud non prætereundum ſilentio. Sternebatur anno M. D. XXXVI. *Chilapa* via, quâ ad Eccleſiam itur, lapidibus, fervebatque, omnibus pagi incolis in ea laborantibus, opus, cũ Inda quædam accedens eos redarguit quod inani ſe labore fatigarent, aſſerens intra ejuſdem anni curriculum Eccleſiam ruituram. Hoc Indæ vaticiniũ cùm ad omnes penetraſſet conſternaſſetque, P. Auguſtinus ad ſe vocatam ſtricto carceri includi juſſit, ſed primâ nocte evaſit, affirmantibus omnibus incarceratis nihil à ſe auditum ſenſitumve fuiſſe. Abſtulerat ſcilicet eam nequiſſimus ſpiritus in altum mõtem duodecim leucis à pago remotum, ubi in vicem redditæ libertatis voluit ab ea adorari tanquàm Deus, qui tàm potenter ſuis noverit amicis ſuccurrere. Aſt Inda, quod Chriſtiana eſſet, impiæ ſollicitationi fortiter reſtitit, ob quod impactâ crudeliter alapâ, *Non es*, inquit cacodæmon *quam quærebam alia Chilapa eſt* (nomen exprimebat) *ad voluntates meas promptiſſima.* Noctem in monte inter ſpem, quâ in cæleſti protectione confidebat, & metum, quo formidabat diabolicos furores, exegit. Ad auroræ exortum ad pagum redire orſa eſt ſed non niſi quarto die pervenit, mox P. Auguſtino, quæ ſibi accidiſſent, quid audiviſſet, exponens; deprehenſumque eſt verum fuiſſe Indæ à maligno ſpiritu nominatę contubernium. Rogata quo docente aut inſpirante futuram brevi templi ruinam prædixiſſet, reſpõdit ſe cùm aliis Indis fœminis *Tiangues* profectam, ibique ab apparente in foro dæmone omnes, quòd Chriſtianæ eſſent, fuiſſe reprehenſas: minatum item furibundè dæmonem ſe intra annum iſtorum, qui *Chilapa* habitabant, Religioſorum Eccleſiam ſubverſurum, facturumque ut præ inedia loco cedere compellãtur. Everſum undecimâ Novembris anno M. D. XXXVII. terræmotu templum monaſteriumque probavit ſimiles terræ impreſſiones à ſpiritibus longo frequentique experimento edoctis præſciri & prædici poſſe: Auguſtinianorum tamen in perferendis incommodis conſtantia fatuas dæmonis minas eluſit.

13. Variis ſemper vicibus ad eaſdem Provincias Superiorum juſſu remiſſus ad latitudinem leucarum ſeptuaginta doctrinam Chriſtianam extendit, & ad eam ampliùs ſeptuaginta hominum millia collato baptiſmo perduxit, robur ex ipſis ſumens incommodis, more militum, quos ſemper difficilia roborârunt & mollia diſſolverunt. Nihil verò ſibi unquàm difficilius obtigiſſe, quàm cùm in Comitiis *Oculma* anno M. D. LX. celebratis Provinciæ Mexicanæ Præfectus eſt renuntiatus, neque tunc neque poſteà potuit diſſimulare: munus tamen injunctũ geſſit non majori humilitate quam diligentiâ & Provinciæ fructu. Parochiarum, quas Religioſi converterant inſtituerantque, curam, quòd ita animarum ſaluti expediret, acerrimè contra Epiſcopos tutatus eſt, ſuſceptâ in eam cauſam cum Præfectis Provincialibus Dominicanorum & Franciſcanorum navigatione in Hiſpaniam anno M. D. LXI. qualem jam olim eorundem trium Ordinum Priores Provinciales Antonio de Mendoça Prorege abſolverant, ut plurimos Mexici conquiſitores miſeroſque Indos contra opprimentiũ violentiam inſolentiamque apud Imperatorem Carolum V. quem in remotâ quæſiverunt Germania, tutarẽtur. Intereà verò dùm ipſe in Hiſpaniam nave contenderet, aliâ claſſe Regiæ in Mexicam literæ, quibus *Popayanenſis* Epiſcopus inſtituebatur, deferebantur. Prima

Regiæ

(a) Sevill. Regiæ voluntatis nuntia Hiſpali (a) intellexit, ſed recuſavit tàm conſtanter ut nullis ad acceptandum conſiliis moveri poſſet, donec rationibus indeclinabilibus oſtenderetur Dei ita ſervitio expedire. Quare etiam in Hiſpania conſecrationem admiſit.

14. Rex verò Philippus II. penitiſſimus cordium perſcrutator P. Auguſtini modeſtiâ, candore non ficto, munerum dignitatiſque contemptu, prudentibus quoque reſponſis provocatus, opportunum ratus eſt eum in conſilium adhibere diuturnę ſollicitudinis, quâ pro Regno Peruano, quod hactenus informe erat impolitumque, legibus optimis formando occupabatur. Ordinandarum quidem legum Rex ipſe, ſi quis unquam, erat capaciſſimus, longa tamen diſtantia regionum, incogniti & inſoliti populorum mores geniuſque, informantium varietas & frequens contradictio ſive ex ignorantia, ſeu ex propriorum commodorum ſtudio orta regium animum diſtrahebant, ſuſpendebantque; quem in P. Auguſtini integritatem & prudentiam reclinare ſibi poſſe tutò videbatur. Quapropter eum Proregi Franciſco de Toledo in Peruviam abituro conſiliarium ad condendas leges adjunxit. Ipſe autem P. Auguſtinus ſuſcepti muneris ſtimulis & boni Paſtoris conditionibus incitatus profectionem ad ſuum Epiſcopatum maturavit, utiliùs Protegem in Peruvia quam Hiſpania expectaturus, *Popayanenſi* territorio, prout poterat, celeriter conſtituto ad Synodum Provincialem in Peruvia ſecundam Limam perrexit, in qua majora-ne dederit Apoſtolici ſui zeli an prudentiæ ſpecimina, incertum. Synodo anno M. D. LXVII. abſolutâ, Protegem tamen, prout à Rege juſſus erat, operiri ibidem ſtatuit. Quòd dùm facit biennium elabitur, non tamen aut P. Auguſtino, aut Patribus Auguſtinianis infructuosè, dando invicem accipiendoque religioſæ vitæ præclara exempla, quæ, aliaque inſigniter geſta Peruanæ eum hiſtoriæ adſcripſerunt. Hæc autem nunc ordine recenſebimus.

15. In monaſterio igitur Auguſtinianorum Limenſi vetere hoſpitium, donec Prorex ex Hiſpania appelleret, eligens, ſub ipſum in illud ingreſſum dixit ſe non ut Antiſtitem intrare ſed tanquàm ſubditum. Neque dixit tantùm, ſed, quàm dixerat, præſtitit luculentiùs, non Sacerdotum tantùm exercitiis ſed & Novitiorum læto animo præſens. Veſtem, quam ex vili rudique panno geſtabat, nunquàm mutavit: cilicio perpetuo totum corpus adſtrinxit: ſandaliis dumtaxat pedes calceavit: aſſerem corpori, capiti lapidem lignumve, dum neceſſarius eū ſomnus occuparet, ſubſtravit etiam infirmus: communi menſæ ſedulò intererat; ſolitos flagellationum dies, Lunæ videlicet, Mercurii & Veneris, non tantùm cum cæteris fratribus ſervavit, ſed, in ſeipſum vehementior, auxit: fœminas cùm charitatis & converſionis neceſſitas vitare non permitteret, modicè modeſteque aſpexit, ad manus oſcula nunquàm admiſit, memor quàm nulla ætas aut conditio contra lenem ipſarum ſed fortem potentiam ſit ſecura, quâ ſollicitudine intaminatam ad finem uſque vitæ virginitatem ſervavit: paupertatem religioſâ majorem etiam Epiſcopus expreſſit, nam & in libro rationum Conventus Limenſis legitur quatuor peſis baculum Epiſcopale paraſſe, &, ut Limâ Cuzcum proficiſceretur, non niſi decem recepiſſe peſa. In choro cellam fixiſſe dixiſſes, ita diu noctuque in illo, Confratribus præſentibus abſentibuſque, occupabatur orationi intentus, & ſæpè excitatorem remittens, illius vice primum ad matutinas horas ſignum ære campano dedit.

16. Manſuetudinis ſimul & paupertatis hoc dedit illuſtre exēplum. Vnum habebat ſolumque famulum (virtute ſciebat quàm frequenti famulitio citiùs conſtantiuſque authoritatem formari) parvulum Indum,

dum, ſed moleſtum & Domini ſui incurium, quippè quem & ſæpè defererer, & à quo vocatus aut non reſpondebat, aut ad ſervitia neceſſaria tardabat. Accidit ut Indus iſte luſum iſſet, nec aliquoties vocatus reſponderet. Exiit ad eum ſummâ manſuetudine Antiſtes, & præſens, ut citò adeſſet, monuit. Cui famulus, luſum, inquit, abſolvam & mox adero. Rogavit benignè Antiſtes, quot adhuc luſus fini deeſſent notæ. Tres, reddidit Indulus. Exſpectabo igitur, ait Antiſtes, donec finieris: & magnâ manſuetudine impoliti pueri ineptias toleravit. Illis tamen irritati Prior & Religioſi Antiſtitem, ut miſſum faceret ſervum, rogaverunt. Ipſe ad animæ magis profectum quàm commoda temporalia attentus, *Sinite*, inquit, *puerum, cui à me plura, quàm mihi ab ipſo toleranda.* Notabat modeſtiſſimus Prælatus, quantoperè ſibi ab omnibus tribunalibus, magiſtratibus, nobilibus & plebeiis deferretur, à quorum cultu domeſticũ nunquàmq; ſatis victum ſuperbiæ malũ renaſciturũ verebatur, niſi illud Indus famulus cõtinua ſuâ petulantiâ & incivilitate ſuppreſſiſſet. Hâc causâ animũ illi vultumque ſemper benigniſſimũ oſtendit. Idem poſteà *Popayana* ab altero Indo paſſus, eâdem ſerenitate toleravit.

17. Iſtis quidem ſanctiſſimis actionibus ſe exercebat Limæ, donec illuc anno M. D. LXIX. pridie Kalendas Decembreis appelleret Prorex Franciſcus de Toledo, poſt cujus adventum ad alterum biennium, aliis ſemper ſuper alia negotiis irruentibus, regni viſitatio differenda fuit, cujus majorem quidem partem Limæ exegit, aliquam *Arequipæ*, ubi in hodiernum uſque diem vivax ſanctitatis ejus, concionum extaſiumque memoria perſeverat. Viſitationem deinde anno M. D. LXXI. orſus eſt, quam quo fructu finierit, ſuprà, cum vitas R. P. Joannis Biveto (a) & R.P. Franciſci del Corral (b) ſcriberemus, diximus. In itinere Indis, quos blanditiis obſequiiſque congregabat, tanto ſtudio prædicavit, ut eam dumtaxat ob cauſam profectionem inſtituiſſe videretur. Cùm Cuzcum veniſſet, unâ, velut cæteri Religioſi, cellâ contentus, non ſplendidiùs non indulgentiùs, quàm hîc, vixit.

(a) lib. 7. cap. 9.
(b) lib. 10. cap. 3.

18. Accidit ut interea, dùm Reverendiſſimus Antiſtes Auguſtinus Cuzci moraretur, victus ab Hiſpanis, Duce Martino Garcia de Loyola *Tupac Amaro* ultimus Peruviæ Inga pro triumphi ſolemnitate captivus cum ſuis omnibus in eamdem civitatem duceretur. Quem mox Prorex ſententiâ omnium maximeque laborantis Auguſtini precibus inſuperabili capitis condemnavit, plexitque. Cùm Proregem rationibus inflexibilem & lacrymis inexorabilem Antiſtes Auguſtinus animadverteret, elevans ſe à terra, in qua genuflexus jacuerat, an redarguendo ejus inclementiam magis an infortunium prophetizando incertum, graviter Proregi dixit, *Nullâ acceptâ conſolatione à precibus, quas proſtratus effudi, ſurgo: verùm ſi pronuntiata contra Ingam ſententia ſoli ſtatus rationi innititur, Regem cujus gratiam eâ promereri intendis, offendes, Catholicus enim eſt & Deum timens proindè ſi quid ſiniſtri rebus ſuis accidet, hujus iniquitati ſupplicii adſcribet.* Prædicationis veritatem eventus confirmavit, prout in præcedentibus prolixè narravi. (b)

(b) lib. 13. cap. 7.

19. Soli poſthac animæ lucro intentus Antiſtes ad Ingam captivum provolavit, ſignificavitque nullum ſupereſſe ſalvandi corporis remedium, animæ ſemper victoriæ eſſe ſatagendum. Ad mortis nuntium conſtans Inga, *Quoniam*, inquit, *ita viſum eſt Patriis Diis, non invitus opprimi me eorum voluntate ſinam.* Hinc orationis pro Ingæ converſione R.mus Auguſtinus exordium ſumens oſtendit „ unum eſſe verumque Deum, qui „ mundum hunc univerſum omneſ- „ que in eo creaturas invictâ lege gu- „ bernaret, daret eriperetque impe- „ ria; idola ab ipſis hactenus culta, „ non eſſe niſi ſimulachra dæmonum: „ hos „

„ hos à Deo factos excellẽtis poten-
„ tiſque naturæ, ejus tamen, ſive ut
» ſint ſive ut agant, nutui ſubjectos:
» his multa permitti committique in
» vindictam ſcelerum, in quæ mor-
» tales velut impetu adacti ruunt;
„ plurima poſſe apud infideles, apud
» fideles nihil aut parùm, niſi con-
» trariè ſuis viverent inſtitutis: qua-
» re facturum optimè Ingam ſi con-
» temptis manibus idulis, Chriſtia-
» norum fidem ac baptiſma ſuſcipe-
» ret; id ſe rogare obteſtarique ne
» poſt paucas horas amiſſo imperio
» & vitâ, immortalis ejus anima
» hinc excederet perpetuis flammis
» obnoxia.

20. Ad quæ Antiſtitis verba magno adfectu pronuntiata non omninò ſaxeus Inga erat, dabatque interdum indicia animi in fidem Chriſtianorum propenſi, qui mox memoria iniquæ contra ſe ſententiæ obruebatur. Dicebat enim, *quòd ſi Prorex Chriſtianorum legem, in quâ tam profuſa pietas ab omnibus promittitur, ſervat, cur tantâ in Regem ſuâ ſe ſponte illi dedentem crudelitate ſævit? aut quomodò juſta illa eſſe lex poteſt, in qua tàm injuſti ſunt, qui tanquàm ſuprema capita ſatagere debent, ut ab omnibus obſervetur, eamq; ſuâ obſervatione ſtabilire?* Antiſtes hæc ſibi à barbaro fortiter injecta magno pudore mœroreq; audivit, reſpondit tamen ro-
„ gavitque Ingam ne legis vitium ar-
» bitraretur, quod impotentiâ ſui
» Chriſtianus aliquis peccabat, quod-
» que non minùs à cæteris Chriſtia-
» nis quam Indis damnabatur. Le-
„ ges apud omnes nationes vitia pro-
„ hibere non impedire; caſtigare,
» non prorſus tollere; neque eva-
» ſurum Proregem ſui Regis cenſu-
» ram. Ad hæc Inga dixit non tan-
» tum ſe debere Chriſtianis, ut deſertâ Majorum ſuorum omnium religione, novam Chriſtianorum accipiat, adoretque ignotum hactenus ſibi Chriſtum; ſtatuiſſe ſe prædeceſſorum ſuorum exemplo in veterum Deorum & guacarum cultu mori. Adeò nociva ſunt apud paganos Chriſtianorum peccata, crudelitatis præſertim injuſtitiæque & cætera, quæ cum ipſa ratione pugnare videntur, ut nomen Domini apud inimicos faciant blaſphemari. (a)

(a) 2 Reg. 12.

21. Sanctus Antiſtes videns Ingam nimiùm crudelitate ſententiæ irritatum, magiſque à ſacris Chriſtianorum averſum quàm ut reconciliationis magna eſſe ſpes poſſet, niſi ſuperiore virtute reduceretur, doceretque intus in corde, qui ſolus poteſt, magiſter; relictis cum Inga noſtri aliorumque Ordinum Religioſis, ad cellam ſuam confugit illum magiſtrum pro imperito in doctrina Chriſtiana Inga exoraturus. Totam noctem cruentis flagellationibus & fervidis precibus tranſegit, ſanguinem ſimul lacrymaſque in gratum ſacrificium miſcens. Addidit & præcipuum Miſſæ ſacrificium ſupplicationeſque ad Deiparam; per tot millia animarum, quas aliquando Chriſto adſcripſerat, rogans ut hujus etiam tàm acerba pro commiſſis ſceleribus patientis miſereretur. Illuceſcente die ad carcerem rurſus optimâ ſpe plenus properavit, nec eum citiùs Inga adſpexit quàm amplexaretur, paucique rationibus hinc indè datis acceptiſque, fidem Chriſtianam confeſſus, etiam ſacrâ lymphâ ablutus per Antiſtitem Auguſtinum fuit. Reliqua hujus hiſtoriæ quia prolixè ſuprà, cùm vitam B. Didaci Ortiz ſcriberemus, executi ſumus (b) non judicamus hîc repetenda.

(b) lib. 1. cap. 7.

22. Ingâ Catholicè mortuo, legibuſque regni Peruani cum Prorege, P. Ioanne Bivero ac P. Franciſco del Corral Auguſtinianis & Polo Ondegardo, Petroque Gutierrez Flores conſtitutis, Auguſtinus de Coruña Limam regreſſus ſtatuit abdicato Epiſcopatu in illo monaſterio vitam finire, adeò tantoperè illorum Religioſorum vitâ delectabatur. Conſtanter hunc animum induerat, effeciſſetque, niſi palàm obſtitiſſet Prorex, pauperumque *Popayanenſium* lacrymæ Antiſti-

Antiſtitem ſuũ repopoſciſſent. Quò cum red îſſet non tantùm Religioſum, ſed & Epiſcopum optimis moribus velut pulcerrimis coloribus expreſſit.

23. Magnam diei partem, ſive in Cathedrali, ſive in aliis, dùm viſitaret, Eccleſiis exegit catechizando, audiendoque confeſſiones. Cùm à Curionibus rogaretur, hàc ut ſe moleſtiâ, & labore ætati ipſius intolerabili levaret, ſibi illatum rerum curam fore; reſpondit dignam Epiſcopo ſententiam. *Abſit ut, qui paſtoris titulum officiumq́, gero, aliis oves meas committam: hæc quæ facio, muneris mei ſunt, exequorq́, libenter & cùm ſubditorum amore.* Non permiſit etiam in quacumque parochia præſens, ut alius præter ſe viaticum infirmis adminiſtraret, quòd & animæ neceſſitas illo tempore eſſet maxima, & iſtâ occaſione cognoſceret, quibus rebus corporaliter indigerent, quibus opportuniùs poterat oculatus teſtis occurrere. Cognoſcebat itaque bonus Paſtor oves ſuas, & cognoſcebant eum, feliciſſimâ reciprocatione, ſuæ, ad imitationem Paſtoris ſummi. (*a*)

(*a*) Ioannis 10, 14.

24. Duas ſuorum redituum Eccleſiaſticorum tertias pauperibus ſuæ diœceſis erogabat, aliam externis; ipſe ſociuſque ipſius P. Hieronymus de Eſcobar duarum Miſſarum ſtipendiis victitabant, magnos jejunio quæſtus ſuppeditante. Et quid potiùs quàm pauperes ad eleëmoſynas quærere, feciſſet fidelis ille B. Thomæ à Villanova, quem Eleëmoſynarii titulo Eccleſia honoravit, amicus? Præcipuam tamen verecundorum, ſenum & parvulorum ſollicitudinẽ geſſit, alio certè quàm ethnici Ciceronis conſilio, *qui volebat beneficium nec in juvenem nec in ſenem conferendum. In hunc, quia perit antequàm gratiæ referendæ detur opportunitas: in illum, quia non meminit.* Sola apud Chriſtianos ſuccurrẽdi cauſa indigentis eſt neceſſitas nomine Chriſti veſtita, proindeque ubi hæc (*b*) major eſt, proniores ad dandum illos (*c*) eſſe oportet; certè id præſtitit Coruña.

(*b*) neceſſitas.
(*c*) Chriſtianos.

25. Sunt & hæc eleẽmoſynarum ejus luculenta teſtimonia. Duo Ordinis ſui Auguſtiniani cœnobia *Popayanæ* erexit, alterum virorum, Sanctimonialium alterum. In illo (*d*) iiſdem moribus, quibus in Limenſi, vixit: hujus (*e*) (quod ſub titulo erat S. Nicolai Tolentinatis) quoad vixit, conſiliarius extitit & patronus. Salmanticenſi, in quo habitum Religionis ſumpſit, monaſterio quatuordecim ducatorum millia ad erectionem Collegii donavit; Complutenſi (*f*) Collegio ſeptem. In monaſterio *de la Puebla*, in Mexicano alterã Capellaniã amplè dotatam fũdavit. Cùm pagũ *Timana* in valle *de Neyva* viſitaret, (quod munus neq; in ipſa decrepitâ ætate prætermiſit) cacodæmon continua Beati Antiſtitis ſollicitudine, promiſcuâ idolorum dejectione, maximiſque, quibus apud Hiſpanos Indoſque proficiebat, fructibus irritatus, ignem in ædes, in quibus hoſpitabatur Coruña, immiſit, ſeu ut Epiſcopum provocaret ad impatientiam; ſeu ut ejus apud plebem minueret æſtimationem, quaſi ab iratis in eum Diis vindicibuſque natum reputarent incendium; ſeu ut extincto flammis paſtore oves, nullo defendente, rictibus e us exponerentur. Omnes hos fines cùm dæmon intenderet, nullum eſt conſecutus. Nam & accurrentes undique Indi humeris Epiſcopum, cujus pedes ætas tardos reddiderat, velut alterum Anchiſem pii filii extulerunt: & ipſe immoto flammas animo adſpexit: & crevit per ipſas flammas inſidens omnibus de illo opinio ſanctitatis, nam cùm ipſe procul jam à flammarum periculo juſſiſſet, ut relictam in ædibus laneam culcitram (*g*) efferrent; illique ob certum incendii periculũ tergiverſarentur, hilari pacatoq; animo, *intrate*, inquit, *ſecuri nam & illam efferri convenit, & efferetis nullo veſtro incõmodo.* Ad quæ ejus verba quæ oraculorũ apud omnes fidem merebantur, álacres ingreſſi cedentibus flammis culcitram extra-

(*d*) Monaſterio virorum.
(*e*) Monaſteriu Sanctimonialium.
(*f*) De Alcala.

extraxerunt, ſpectatoribus *miraculum miraculum* acclamantibus. Mirabantur tamen omnes tantam Antiſtitis, qui terrena cuncta velut ſtercora arbitrabatur, pro vili culcitra ſollicitudinem: ipſe verò cùm elatam aperiri juſſiſſet, extraxit ex ea duas ad tegulæ magnitudinem laminas, quibus cæleſtem in mitigandis flammis favorem adſcripſit, quòd in eleëmoſynam ab ipſo eſſent deſtinatæ. *Tanta namq́*, ajebat, *eleëmoſynæ eſt virtus, ut non ſeipſam tantum, ſed & has omnes ab ignis voracitate defenderit*: hâc modeſtia amoliri à ſe ſanctitatis opinionem conatus. Alteri laminæ inſcribebatur, *hæc ad ſanctimonialium, quod fundavimus, monaſterium pertinet*: alteri, *hæc ad pauperes verecundos*. Ajunt eundem Antiſtitem ad ſingulorum dierum veſperam ſolitum inquirere, num quid pecuniæ aliarumve rerum ad vitam neceſſariarum ſupereſſet, diſtribuiſſeque pauperibus ante mortem, quidquid inveniſſet. Tam anxiè paupertatem, quam ſemel voverat, in ipſo etiam Epiſcopatu ſervavit.

26. Summâ veneratione Eccleſiaſticos, omnes maximeque Sacerdotes proſequebatur, Angelos appellare eos ſolitus, ne ipſis quidem malis & à ſtatus ſui ſanctitate degeneribus hunc titulum negans. Aſſueverat diu impudico alicujus Indæ quæ Latinum Hiſpanumque idioma callebat, contubernio quidam Sacerdos, à quo ad virum ſæcularem deſcivit. Nihil diligentiæ induſtriæque, quò eã rursùs ad ſe pelliceret, Sacerdos intermiſit: quæ cum à ſæculari notarentur, arctiſſimè eam, ne quæ eſſet effugiê via, incluſit. Quare Sacerdos ſpe potiundę Indæ fruſtratus, eam tanquam publicam veneficam apud Epiſcopum detulit, quodque eum à quo detinebatur, ſuis veneficiis ad illicitos amores dementaſſet, decere autem eam ſequeſtrari, ubi in fide firmari poſſit. Epiſcopus, actis pro pio, ut rebatur, delationis zelo gratiis, interrogavit in quibus illam ædibus reperiret. Acceptis indiciis Epiſcopus miſit, qui eam ad ſe adducerent in fide examinandam roborandamque, antequàm caſtigaretur. Acceſſit illa capitis velamine ab Indis fœminis geſtari ſolito (*mañaca* vocant) faciem cooperta. Quam Epiſcopus plenis ſancto amore verbis, nec ſine lacrymis aggreſſus eſt, ut quid ad dæmonem, cui omnibuſque ejus pompis in baptiſmate renuntiaſſet, ſceleratis pactis rediiſſet: ſi neceſſitate coacta, illam ſibi aperiret, opem indubiam expertura: ſi libidine peccandi, æternos ignes pertimeſceret ſibi imminẽtes. Tùm ubi veneficii ſigna collocaſſet, quæſivit. Illa ablato velamine in apertam faciem, quæ pulcritudine perfuſa erat ſingulari, digitum intendens, *Hic*, ait, *proculdubio erit ſignorum veneficorum locus, quæ tibi naturæ benignæ favor non illicita pacta poſuerunt: ea ſi accuſatori meo noxia ſũt, oculos animumq́ avertat, & evaſerit omne damnum. Menſes plurimos me in ſuis ædibus, neque ſine ſacrilega impudicitia, detinuit; ſed quia ab illo profugi, jam accuſat, quã ampliùs frui non poteſt. Peccatrix, fateor, ſum, ſed non ſaga.* Perfuſus pudore & indignatione Antiſtes, *Itáne* inquit, *angelus iſte Dei Epiſcopo ſuo illudet? toxica iſta cælum & natura in faciem ejus innocuè ſparſit, & cor mihi diſrumpitur quod Sacerdos toxicâ illâ non modò non fugiat, ſed quærat*. Monitam, ut honeſtiùs viveret, Indam, & rebus neceſſariis donatam, in inculpata familia vivere juſſit; vixitq; & ipſa inculpatè, vitæ emẽdationem Epiſcopi liberalitati & pœnitentiis adſcribens. Sacerdotem quoq; ut ad meliorem frugẽ reduceret, multis ſe jejuniis, flagellationibus, & precibus exercuit, cõſecutuſque eſt, ut ſine ſcandalo in poſterum viveret. Nunquàm Eccleſiaſticum publicè, niſi publicè peccaſſet, caſtigavit, tunc etiam ſolitus occultatis enormioribus leviora eorũ peccata evulgare. Saniſſimo prorſus cõſilio: fortiùs namq; ſemper Eccleſiaſticorum vitia ad imitandum alios traxerunt, quàm ad fugiendum terruerit eorundem caſtigatio.

27. Pro nitore, ornatu, dignitateque Eccleſiæ ſeu procurandis ſeu conſervandis totum ſe impendit. *Credo* cùm partim cani, partim ſonantibus organis abſolvi forte tranſiens audiviſſet, ægerrimè tulit, & quod corde credimus publicâ voluit eſſe voce confitendum, & audire gentiles, quod canimus Chriſtiani. Eccleſiaſticam immunitatem acerrimè defendit, multa propterea à Magiſtratibus ſæcularibus paſſus, quaſi in Regis aut Reip. cederet detrimentum, quod ad Dei exemplum Eccleſia Regeſque in beneficium infortunatorum ſanxerunt. Caſtiganda ſunt facinora? caſtigari illa vult, & nemo juſtiùs, Deus, Eccleſia, Reges: caſtigationi tamen quorundã modum præſcripſerunt, & delinquentibus aſyla, quæ nulli audaciùs Iudices infringere tentant, quàm qui maximè peccant, ſuæ malitiæ omnia indulgentes, nihil infirmitati alienæ; ſuis inſuper ſceleribus, ne cognoſcantur, hoc fervidi pro juſtitia zeli velamen obtendentes. Sed non effugiunt tribunal juſtiſſimè pro miſeris judicantis, reddentiſque eâdem, quâ menſi fuerint, menſurâ. Confugerat ad Eccleſiæ aſylum reus, quem eùm extrahere Magiſtratus ſæcularis nititur, prohibet, quibus ſolis poterat, Cenſurarum armis Antiſtes. Extrahitur tandem Audientiæ Quitenſis decreto, nequidquàm Epiſcopo obluctante, & Regis Philippi, quem, pro more in capite decreti expreſſerant, juſtitiam inclamante. Fertur exilii in Hiſpaniam ſententia, quam exequi vetuit infelix Prætoris & ſubitus Præſidis *Cañaveral* interitus: ac paulò pòſt, quorquot decreto ſubſcripſerant, Auditores officio exciderunt.

28. Tandem poſt viginti in Peruvia, triginta ferè in Mexico, & ampliùs ſexaginta in Religione Auguſtiniana exactos annos ad comprehenſionem bravii, pro quo cucurrerat, accedit, meritis & virtutibus, quam ætate gravior. Cùm ne ſolidus quidem aut julius, de quo teſtaretur, ſupereſſet, magno gaudio ac loquens cum Deo *Popayanæ* exceſſit, anno Verbi Incarnati circiter M. D. LXXXII. Ipſo exceſſûs momento Patribus Dominicanis, quos plurimùm vivens dilexerat, viſa eſt beata ejus anima plena gloriâ in cæleſtes ſedes evolare. Varia poſt mortem ejus contigiſſe miracula narrantur, quæ quia autentica non ſunt, nondùm huic hiſtoriæ inſeruntur. Illud autem æſtimandum, eſt meritò maximum, quod pauper hîc & modicus cælum dives viſus fuerit introire, nullo diverticulo præpeditus. Quod utinam nobis omnibus concedat Deus.

HISTO-

HISTORIÆ PERVANÆ

LIBER XV.

Capitulum undecimum.

CAPVT I.

Acta Capituli.

1. ALIO poſt alium Priore Provinciali funeſtis caſibus extincto, cùm vicariâ pro P.M. Luiſio Proſpero Tinto autoritate P. Alphonſus Pacheco aliquamdiu ac feliciter gubernaſſet, dignus omnibus viſus eſt in Comitiis, quæ anno M.

(a) 27. Iun. D. LXXIX. V. Kalendas Iulias (a) celebrabantur, cui Prælatura iſta Patrum ſuffragiis tribueretur. Definitores in iiſdem nominabantur P. Ioannes de S. Petro P. M. Luiſius Lopez, P. Andreas de Villareal, P. Michaël de Carmona. Viſitatio extraordinaria ita diſtributa, ut montium P. Andreæ de Villareal, vallium verò P. Ioanni de Sancto Petro competeret.

2. Decretis etiam ſanctiſſimis eadem Comitia emicuerunt, quæ quia Provinciæ iſti Perüanæ ſpecialia fuerunt aut novis Conſtitutionibus ſunt inſerta, conſultò omitto. Neque tamen, meâ certè opinione, quidquàm ſanctiùs utiliuſve in his factum, quàm nihil ordinaſſe quod non feriò invicteque obſervari curârint. Riſum ſcilicet, nec aliud, movere ſolent leges, quæ latæ mox negliguntur; & tunc maximè verum,

(b) Tacitus 4. Annal. *corruptiſſimâ republicâ plurima leges*. (b) Fitque ut ſicut anteà flagitiis, ſic poſteà legibus laboretur.

3. Admiſit in his Provincia Conventum *Oropeſenſem* (c) ſeu, ut vulgò (c) de Oropeſa. nominant, de *Cochabanba*, de quo, aliorumque fundationibus & fructuoſis Auguſtinianorum laboribus ſpecialiter loquendum. Vacantem Sacræ Scripturæ in Univerſitate Limenſi Cathedram anno M. D. LXXXI. glorioſè diſputando obtinuit P. M. Ioannes de Almaraz.

CAPVT II.

De Provincia Novi Regni ejuſque incremento ac monaſteriis.

FVIT item Provincia *Novi Regni*, nonminùs quàm Quitenſis, de quâ ſupra 1.
diximus (d) erüanç (d) lib. 14. cap. 3.
ſubjecta, à qua utraque primordia ſumpſit, ſed adeò feliciter, ut fortunatis citiſque ſuis incrementis novas ex illis Provincias conſtituere fuerit neceſſe.

2. Eſt porrò *Regnum* illud, de quo loquimur, *Granatenſe* ſitum in 4. 5 6. 7, pluribuſque gradibus latitudinis Septemtrionalis, longitudinem verò ſuã incipit in gradu circiter 298.

Ad Occidentem *Copayana*, ad Septemtrionem Sanctæ Marthæ & Cartagenæ Præfecturis jungitur. Nomen autem à primo ejus conquiſitore & coloniarum deductore Gonſalvo Ximenes, qui Granatenſis erat, accepit.

3. Fuerunt in dicta Provincia, ſuntque non pauci doctrinæ & vitæ meritis illuſtres Religioſi, atque inter cæteros pauci, quorum in ultimâ Europa habere nomina potuimus, P. M. Matheus Delgado in Conventu Candelariæ multis miraculis clarus, P. M. Vincentius Mallō, P. M Leonardus de Argenſola non magis geſto Provincialatu quâ eruditionis & conſtantiæ laude famoſi, ac P. M. Gaſpar de Herrera horror ambitionis ac pauperum amor.

4. Totius Regni ac Provinciæ noſtræ præcipua civitas eſt *Santa Fe de Bogota* condita ad montis *Bogota* radicē. Sunt in iſtius civitatis monaſterio Auguſtiniano Religioſi ordinariè numero ſexaginta: *Cartagena* duo habet Ordinis noſtri monaſteria, quorum alterum quadraginta, alterum, quod Recollectorum eſt vocaturque *Santa Cruz de la Popa de la galera*, viginti inhabitant: Conventū de *Tunja*, comprehenſis cum eo duabus Doctrinis, viginti: Cœnobium *de nueſtra Señora de la Candelaria* Ordinis noſtri Recollectorum, triginta: *Pamplonenſe*(a) decem: *Leyvenſe*(b) octo: *Monpoxenſe*(c) decem: monaſterium Civitatis *Sancti Chriſtophori*, octo: *Meridenſe*(d) octo: *Gibraltarenſe*(e) ſex. Præter quæ ſunt inſignia municipia, *Vbaque*, *Sancta Anna de ſomeque*, *Chipaque*, *ConbitaZuta Kaqueza*, *Raquira*, aliique pagi quàm plurimi, quos Auguſtinianorum cura complectitur fovetque incredibili charitate & invictâ laboribus inſtitutione, quibus plurimos baptizatorum numero adſcripſerunt.

(a) *Pamplona.*
(b) *Leyva.*
(c) *Monpox.*
(d) *Merida.*
(e) *Gibraltar.*

CAPUT III.

Exordium monaſterii Sanctæ crucis juxta Cartagenam, vulgò dicti, *Puppis triremis*. (f) Et de miraculoſo Crucifixo monaſterii noſtri *Meridenſis*.

(f) *Popa de la galera.*

NOVI Regni Granatenſis monaſteria numerare nō potuimus abſque monaſteriorum *Sanctæ Crucis juxta Cartagenam Indicam*, & *Meridenſis* mentione, quorum cum illud imagine & cultu Beatiſſimæ Virginis, hoc miraculoſi Crucifixi ſit illuſtre, ad Provinciæ Perüanæ hiſtoriam noluimus redire, niſi impenſis utriſque brevi narratione obſequiis. 1.

2. Eſt porrò *Cartagena Americæ* Provincia ad oram *Terra firma* & *maris Atlantici* ſita, excurrens ab Oriente in Occidentem à fluvio *Magdalena* ad fluvium *Darien*, & à meridie in Septemtrionem leucis 80. Vrbem habet ſibi cognominem mari vicinam, quæ eſt in latitudinis Septemtrionalis gradu undecimo. Hinc mediâ ferè leucâ abeſt rupes longa anguſtaque, ut propter aliquam cum navi ſimilitudinem, *Puppis triremis*, vulgò, *Popa de la galera*, appelletur. Inacceſſa eſſe ſolet & arborum ſpiſſitudine ac umbris horrida, ac proinde tutum exulibus latronibuſque receptaculum: non aliâ tamen cauſâ magis famoſa erat quàm Dæmonis cultu, & ad libitum invocantium, præ-

præſentiâ. Nomen dæmonio *Buſiraco*, modus invocandi, *Vri Vri Buſiraco*: eratque mox poſt hæc verba ejus infallibilis præſentia, quem tùm Indi tripudiis & oſculo podici ſub cauda impreſſo, cærimoniâ homine indignâ, venerabantur quotquot in ejus circuitu morabantur. Præcipuus tamen & familiaritate monſtri & pacto inito habebatur Luiſius quidam Andrea, Hiſpani Indiq́ue ſeminis mixtione natus, ideò hîc nominandus, quod ejus fuerint, quæ narrare pergo, confeſſione, plurimùm roborata.

3. Auri cupido ex Hiſpania in Indiam vexerat, ſicut plurimos, Ioannem quemdam ex Biſcayâ oriundum, qui ut in Cartagenam pervenerat, mutatâ cælitùs mente cupidineq́ue, feliciùs cœpit vitæ ſolitariæ, ac eremiticæ deſiderio impelli, ubi non aurum tantùm, ſed gemmæ, & quidquid illis pretioſius cogitari poteſt, nullius detrimento effunduntur. Ille rupem illam, quam diximus, quæque è civitate Cartagena proſpicientium obtutibus objicitur, ſuo propoſito ſervituram arbitratus, ad illam contendit, ac per arborum ſpiſſitudines in prærupti plurimùm montis conniticur cacumen, multiſq́ue laboribus conſcendit. Hæſit ibi aliquanto tempore oratione ſedulò ſe occupans, ſed quem variorum animalium voces ſtrepituſq́ue, ac maximè Simiorum, quorum illic ingens eſt copia, non parùm diſtrahebant, angebantq́ue, à quibus etiam quodam die multis verberibus malè mulctatus, rupem cauſâ curationis deſerere coactus fuit. Sanatus autem Cartagenę xenodochiū fundavit, in eoq́ue eremitico habitu ab Epiſcopo donatus, adſſictis ad finem uſque vitæ magnâ charitate ſervivit.

4. Hinc rupes illa inhabitabilis haberi poterat, niſi eam imperterritus ad omnia, ad ipſos etiam cacodæmones P. Vincentii Mallon ex Ordine noſtro Religioſi zelus novi monaſterii erectioni delegiſſet, perfeciſſetq́ue, ringentibus non tantùm animalibus, ſed toto, cum rupe, inferno obluctante. Ille cùm magno in Indiam ex Hiſpania fervore tranſmiſiſſet, vitæq́ue ſuæ puritate ac concionum eloquentiâ ac robore, *Apoſtolici Viri* nomen apud omnes eſſet adeptus, Cartagenæ præter aliud Auguſtinianorum monaſterium, etiam Diſcalceatorum meditabatur. In quem finem illi Luſitanus quidam, Gramajo nomine, opulentiſſimus non fundum modò ſed omnes, quæ ædificationi monaſterii eſſent neceſſariæ, expenſas liberaliter offerebat. Abnuit tamen, quòd in civitate ipſâ fundus eſſet, quamquàm à ſtrepitu civium ſuo ſitu remotior, Vincentius, ſecretioris majoriſq́ue ſeceſſus amore victus. Et Luſitanus quidem ibi Franciſcanis Diſcalceatis cœnobium erexit, fovitq́ue: at P. Vincentius rupem illam poſſe ſuperari ſibi perſuaſit, unâ eâdemq́ue operâ & ſuo ſolitudinis deſiderio ſatisfacturus, & abominandos ſacrilegoſq́ue dęmoniorum cultus eliminaturus. Hujus fiduciæ magnitudine opus aggreſſus, primus ipſe iter explorans in verticem penetravit, locum monaſterio aptum quæſivit & invenit, materiam ædificio congruam aut ipſe tulit, aut ferri ſuo exemplo & juſſu fecit. Prima fuit ædis ſacræ cura: hanc talem, qualis ſufficere ſub initium poterat, feſtinato opere ad rectum perduxit. Neque ultrà tam felices incredibilium conatuum ſucceſſus dæmon ſuſtinens, excitato turbine dejicere ædiculam, antequam perficeretur, tentavit, & impedire hoſpitis ſibi capitalis adventum. Sed prævaluit oratio Religioſorum pręſentium contra violenti ſpiritus impetum. Perficitur Eccleſia, ac auguſtiſſimum Euchariſtię Sacramentum in illam inſeritur: atque infernalis ille incola pro veteribus ſedibus & notis diu aris extrema tentaturus, totam putavit cum ſacra ædicula

ædicula convellere rupem, tanto tremore ac boatu ſimul confundebatur, quem mox amœnâ ſerenitate inductâ diſpulit potentius Numen. Ad quod ſola ſuffeciſſet Beatiſſimæ Virginis Dei-paræ infernalem ſerpentē conterere doctæ exigua, quam in eadem Eccleſia collocârunt, ſtatua ſubfuſci coloris, quam *Virginem de Candelaria* dixerunt, nomine, quod in omnibus Auguſtinianorum Diſcalceatorum in India Sacratiſſima Virgo habet commune: Sicut ubique Auguſtiniani Calceati Virginem apud illos cultam *Gratiæ Dominam* (*a*) appellant. Nunc ob ſimilitudinem expreſſæ navis, *Virginem puppis* (*b*) vocant, &, qui ibi commorantur Religioſi, Religioſos puppis, (*c*) quorum in omnibus iſtis partibus eſt glorioſa propter laudabilis rigoroſæque vitæ inſtitutum fama.

(*a*) *nueſtra Señora de Gracia.*
(*b*) *la Virgen de la popa.*
(*c*) *los Frayles de la popa.*

5. Atque ita abolitis abominandorum dæmoniorum ſuperſtitionibus, immaculatus Dei, Deiparæque cultus cœpit concurſu multò frequentiori quàm eſſe ad *Buſiraco* ſolet. Cui non modica incrementa dederunt plurima, quæ ibi Deus operatus eſt, miracula. Verè ſtella maris ibi facta eſt *Maria*, quàm ex undis longiſſimè navigantes conſpiciunt, vota autem ſua offerunt ex omnibus longè lateque maribus *Angolæ*, *Guineæ*, *Braſiliæ*, *Hiſpaniæq́*. Primum hæc ex Hiſpania Cartagenam primum Indiæ portum venientibus poſt longæ navigationis tædia ſolatium eſſe ſolet; ante omnia namque conſpicua eſt altiſſima tùm ſuâ ſtructurâ, tùm rupis, cui innititur, cauſâ, ex candido lapide turris, quæ, dùm Hiſpanicæ claſſes expectantur, copioſo lumine ardet, omni ſidere gratior. Miracula hæc, qui volet, apud P. M. Antonium de la Calancha (*d*) leget, quæ ſuâ multitudine (uti & ea quæ ad Sancti Nicolai de Tolentino invocationem patrantur) non quidem vilipendium ſed inobſervantiam pepererunt, ut ampliùs ea ſonitu campanarum publicandi, aut ſcripto annotandi ſtudium non ſit, quod in primis rariſque miraculis adhiberi ſolet.

(*d*) lib. 3. cap. 36.

6. Primum judicium, quod Cartageoæ Inquiſitores exercuerunt, Luiſium Andream, quem ſuprà nominavimus, reum habuit, qui utramque, ſcilicet dùm Eccleſiæ tectum imponeretur, & poſteà in illam Sacræ hoſtiæ pignus inferretur, tempeſtatem ab *Buſiraco* fuiſſe immiſſam fatebatur indignabundo, quęrenteque quòd recèns advenientes Religioſi eum ejicere poſt tanti temporis poſſeſſionem niterentur. Addebat inſuper eundem *Buſiraco* ſibi poſteà viſum bruto inſidere ſtapedibus & calcaribus argenteis, ac ſe umbellâ à ſolis radiis defendentem; eumque à ſe rogatum, quò iret, reſpondiſſe, fugere ſe novellos iſtos Religioſos victores, concedereque ad angulum inſulæ juxtà Cartagenam, quem *punta de la canoa* vulgo nominant.

7. *Meridà* Novi Regni Granatenſis civitas eſt ampliùs centum leucas ab urbe *Santa fe de Bogota* verſus Septemtrionem paululùm in Orientem declinando remota. In ea Conventus Auguſtinianorum Sanctæ Crucis cultu celebratur, cujus cultus hoc inveni (*e*) triſte admodùm exordium. Gonſalvus de Piña Ludeña oppidum fundaverat ad ripam magni lacus *Maracaybo*, vocaveratque *Sancti Antonii de Gibraltar*, quod *Meridâ* verſus Septemtrionem diſtat leucis viginti quatuor. In eo morabatur cum cæteris Rodericius de Arguello ex primis terrę conquiſitoribus unus, cui in commendam dati erant Indi *Quiriquires*. Quorum, qui minùs duri erant, dicto Rodericio ſervitum ex ſuis terris veniebant, verùm exiguo tempore: Iugi quippe alieni, licèt non admodùm difficilis, impatientes fœdere cum vicinis ejuſdem loci habitatoribus *Aliles* & *Eneales* inito ſtatuerunt ſimul ſemelque jugum excutere ac

(*e*) Antonio de la Calancha ſupra ex P. Petro Simenis Ordinis Franciſcanorum Provinciali.

oppidi

oppidi *Gibraltar* incolas unius impreſſionis violentiâ obvolvere. Ità anno M. DC. centum quadragintà cymbis (*canoas* vocant) ipſi numero circiter quingēti die S. Mariæ Magdalenæ ſacro imparatos & nondum ullius conſpirationis conſcios adoriuntur, obvios & quoſcunque habere poterant, trucidant, ſpoliant occiſorum ac fugâ elapſorum, nullo obluctante, domos, ac immiſſo in eas igne abſumunt. Tùm furentes in templum impetu irrumpunt, diripiuntque ſacram ſuppellectilem; & Crucifixum trunco nuceo ſuprà altare inſiſtentem certatim ſagittis impetunt, quæ multas quidem corporis Crucifixi partes vulnerârunt, quinque eidem inhæſerunt, una in altero ſuperciliorum, in brachiis duæ, quarta in pectore, & in crure quinta. Quin & ignem toti Eccleſiæ injecerunt, quem facilis combuſtioni materia nullo negotio admiſit, promovitque, ut brevi conſumptis compagibus ardens tectum in Crucifixum deciderit, ſed redacto in prunas trunco, cui infigebatur, ſolus nulloque ſuſtentaculo aut retinaculo inter cælum ac terram Crucifixus permanſit, &, quod mirandum magis, prorſus illæſus inter flammas, niſi quòd alteram ſurarum lambiſſe ac fumum magis affricuiſſe quàm detrimentum intuliſſe videretur. Qui ad montes ſub ipsâ Indorum irruptione confugerant, poſt illorum abſceſſum, loci & corporum occiſorum ſi quæ flammis ſupereſſent; miſeratione tacti cùm rediiſſent, Chriſtum ſublimem nullâque re ſuſtentatum, integrum inſuper, quem tantæ flammæ ambierant conſpicati, ſuppliciter venerati ſunt; Bonaventura de la Peña Sacerdos ſæcularis ex præcedente quâdam ægritudine tantùm non cæcus factus; continuiſque capitis doloribus miſer, cùm oculos clavo, quo pedes confixi erant, applicuiſſet, ſubitum utrique malo remedium invenit. Crevit ex miraculo populi adflicti devotio, quâ, donec templi ruinas meliora tempora repararent, ad villam non ampliùs leucæ quadrante diſtantem Crucifixus fuit tranſlatus, ubi tot habuit ſui cupidos quot peregrinos, ac tandem, favente occaſione, in Conventu Auguſtinianorum *Meridenſi* fuit collocatus, ubi miraculorum famâ vicinas omnes regiones occupavit.

CAPUT IV.

P. Ioannes peccator breviter laudatur.

QVID multà in ipſo prædicem, cujus vel ipſum nomen non eſt vacuum laude? Peccatoris nomen humilitati dedit profeſſio, nativitas *de Verâ*. In Eſtremadura primùm vitæ ſpiritum ſumpſit, Religionis in Conventu Potoſienſi, qui eum Provinciæ Peruanæ adſcripſit, ſed alteri, quæ Novi Regni eſt, conceſſit. Ipſe humilitatis amore Laici conditione Ordinem amplexus, ita in ea ſe geſſit, ut altiore dignus ab omnibus haberetur; &, cùm in Cartagenam tranſmiſiſſet, conferri curârunt, majora inde animarum lucra, copioſioreſque Ordinis profectus hinc ſibi non obſcuris argumentis promittentes. Et conſecuti ſunt ſanè opinione majores. Nam cùm non multo temporis intervallo eum Conventui Sanctæ Crucis juxta Cartagenam, cujus paulò antè meminimus, præfeciſſent, tam egregio pœnitentiæ & vitæ religioſæ exemplo emicuit, ut neminem latere poſſet, omnium autem amorem occuparet. Quo factum, ut nullâ cum re, ſive hæc ad Religioſorum alimenta ſive ad ſtructuram eſſet neceſſaria, indigere paterentur. Non igitur amplum dumtaxat monaſterium ædificavit;

ficavit, ſed dejectâ priore Eccleſiâ, quam humilem tumultuarius fecerat labor, extruxit admodum auguſtam, junxitque ex candido lapide turrim ad multa in mari miliaria, velut alteram pharum, de die ſuo candore, de nocte accenſis in ea facibus, magno navigantium bono conſpicuam: hoſpitale prætereà in commodum peregrinorum devotionis ergò ad præclarum illud Beatiſſimæ Virginis Sanctuarium concurrentium. In quæ amplius centies mille peſa expendit.

2. Præfectus deinde naſcenti monaſterio *Dominæ noſtræ de Guia* (a) eâdem ſedulitate opera promovebat, perfeciſſetque, niſi obſtitiſſet mandatum Proregis progredi vetantis; quare in Hiſpaniâ memorabili paupertatis tolerantiâ, in cujus ſolatium non amplius octodecim peſa ſumpſerat, profectus, à Rege Philippo IV. Hiſpaniarum Rege obtinuit, quod pertinaciter Regii Miniſtri negaverant.

(a) *Nueſtra Señora de Guia.*

3. Qui tàm ſeduld muris ædificiorum erigendis laborabat, majori ſtudio ſatagebat formare Religioſorum mores, non ignarus quantùm muris mores ſint præferendi, quantoque fortiùs hi (b) quam illi (c) Religioſos cingant, ac placeant magis Deo hominibuſque. Tor laboribus curiſque, indubitatis ædificationum comitibus, fatigatus non niſi tabulam nudam quieſcenti corpori, & capiti truncum ſubſtravit: perpetuo prætereà cilicio moleſtiſſimiſque jejuniis adfixit. Atque in his virtutibus non admodùm diu, poſtquàm ex Hiſpaniis rediiſſet, feliciter in Conventu Limenſi è laboribus & vita exceſſit, in ſplendidiſſimis, ſed nulla manu factis, domibus quieturus. Anno M. DC. XXXII. XIII. Kalendas Auguſti (d)

(b) mores.
(c) muri.
(d) 20. Iulii.

CAPUT V.

De fundatione Conventus Oropeſenſis in Cochabanba, & de Provincia Aymáraes per Auguſtinianos Chriſtianâ doctrinâ inſtituta.

CELEBRE erat in Peruvia Auguſtinianorũ nomen, numerus eorum acceſſione multorũ copioſior, & favens iiſdem impensè Prorex Franciſcus de Toledo, quare magnis ſe incrementis diffundebat. His Comitiis *Cochabanbam* & *Aymáraes* Provincias Chriſtianâ doctrinâ illuſtrarunt. 1.

2. Eſt porrò *Cochabanba* vallis in latitudinis Auſtralis gradu circiter vigeſimo, fertilior, incertum, an amœnior. Producit triticum, maizium, fructus, legumina, flores, herbas medicinales, oves, aves magnâ copia, ut ea vicinis liberaliter ſuppeditare poſſit. Aër temperatus eſt, magis tamen calidus quam frigidus, ſed ſalubris plurimùm.

3. In hac valle novam condidit civitatem Franciſcus de Toledo Prorex, quam *Oropeſam* dixit, æterno fratris ſui Comitis de *Oropeſa* poſterorumque in Peruvia monumento. In hanc vicinorum rogatu idem Prorex coloniam Auguſtinianorum induxit anno M. D. LXXVIII. primos illuc Religioſos mittente P. M. Alphonſo Pacheco Rectore Provinciali, electo deinde in Comitiis his anni M. D. LXXIX. Priore Provinciali, in quibus

bus *Oropeſenſis* Conventus Ordini fuit adſcriptus. Ivit illuc primus, magnus vir P. Ioannes del Canto, cujus poſteà ſpeciale dabimus elogiũ: fuitque tam gratus ejus adventus, ut & in præcipuo civitatis loco fundum ædificando monaſterio deſignaverint, & contulerint tàm cumulatè eleëmoſynas, ut indè mox ſurrexerit Eccleſia, cœnobiumque, quæ pulcritudine cætera omnia ejuſdem civitatis excedunt.

4. Non tamen dederunt liberaliùs quàm receperint: primò quidem nam non *Oropeſæ* modò ſed in omni circumcirca valle per Auguſtinianos Chriſtianæ vitæ pabula, doctrina, Sacramentaque adminiſtrabantur. Deinde in erogatione temporalium bonorum habebant hîc pauperes ſuæ miſeriæ aſylum, incarcerati ſolatium, quibus indè quotidie cibi afferebantur, conſuetudine continuatâ jam indè ab ingreſſu P. Ioannis del Canto; qui non minùs frequens in carceribus videbatur, quàm ſi ipſe illis tanquàm reus fuiſſet mancipatus. In qua cõmeatus ad carceratos delatione poſteà egregio charitatis ſplendore multis annis emicuit Venerabilis Senex graviſque meritis P. Ioannes de la Torre.

5. At P. Ioannes de Chaves Religioſus à bonitate & laborum infatigabilitate commendatus *Itapaya* pagum junctamque vallem IESV CHRISTI legibus imbuebat. In cujus cubiculo obſervaſſe ſe refert P. M. Antonius de la Calancha rem mirandam, apum examen ſcilicet quotannis ſtato veris tempore venire ſolitum, elaboraſſeque ad feneſtras, quas utraſque complectebatur ut proinde aperiri non poſſent, favum mellis, eoque perfecto in alterum rurſus annum receſſiſſe, ac fuiſſe apes ita innoxias, ut, quamquàm per portam domus evolandum revolandumque eſſet, nulli unquàm inträtium fuerint moleſtæ. Addit gravis & diſcretus Pater ſe non enarrare rem iſtam tanquàm prodigioſam, ſed novam, cui tamen candor vitæ, innocentiaque virtutum P. Ioannis de Chaves potuerint dediſſe occaſionem.

6. Provincia *Aymáraes* eſt in latitudinis Auſtralis gradu decimo quinto, quam habet pauló, quàm *Cuzcum*, majorem, à quo (*a*) triginta circiter leucis inter Occidentem Meridiemque recedit: adhæretque Provinciæ *Omaſuyos*, quam ſicut & *Cotabambam*, (*b*) jam pridem Prorex Franciſcus de Toledo Auguſtinianorum curæ commiſerat. In quibus cùm impigros eorum labores lætoſque profectus animadverteret, ſatiùs duxit, dimiſſis Sacerdotibus ſæcularibus quorum tarditate offendebatur, eoſdem Auguſtinianos in ingentem hanc meſſem Provinciæ *Aymaraes* immittere, cujus incolæ quamquàm idoloſatriæ plurimùm eſſent dediti, ingenium tamen culturaque aptiores ad ſuſcipiendum fidei ſemen reddere videbantur. Obtinuit igitur ab Ordinis Prælatis Prorex ut novi illuc operarii deſtinarentur. Primi fuerunt P. Franciſcus Nuñez tanquàm Prior, P. Chriſtophorus de Ribadinera, P. Ioannes Arroyo, & P. Nicolaus Ximenes; qui mox ſollicitudine ſuâ ſtudioque totam Provinciam altiſſimis montibus & amœnis vallibus diſtinctam complexi ſunt; diſtributis ſecundum municipia pagoſque curis. Municipia præcipua numerantur *Guaquirca*, *Sabayno*, *Atabanba* & *Calcauſo*.

(*a*) Cuzco.

(*b*) Cathavanba à Cochabanba diſtinguitur eſtque illâ hæc tribus ab Æquinoctiali gradibus remotior.

CAPVT VI.

De P. Michaële de Carmona, & notabilibus Reliquiis & indulgentiis per ipſum Romæ procuratis ac in Peruviam miſſis.

1. ORDINI ſe Auguſtiniano tribus votis adſtrinxerat P. Michaël de Carmona in Cōventu vetere Limēſi anno M. D. LXV. ex inſulis Canariis oriundus. Fuit in his Comitiis ex Definitoribus unus, ad quam dignitatem conſcendit non tàm ſcientiâ, quâ modicè erat imbutus, quàm probitate vitæ, quàm orationum aſſiduitate, charitatis officiis, pœnitentus, & communis boni ſtudio, ſui prorſus negligens, exornabat: Quo factū ut primus Provinciæ Procurator cum voto in Capitulo renunciaretur, deputareturque præ cæteris, qui ſcientiâ induſtriâque ſe potiores arbitrabantur, ut pro Peruviæ negotiis ad curiam Hiſpanam Romanamque iret. Patuit ex ipſo ſucceſſu, morum modeſtiâ, cui addere Deus ſplendorem ſolet, quàm humanâ eloquentia ſæpè hæc agi feliciùs.

2. Romam advenit anno M. D. LXXXI. non commendatitiis à potentibus literis, non procurato ad potentes favore, ſed ſolidâ divinæ directionis fiduciâ munitus. Laboravit ergò Romæ aliquanto tempore ſi non prorſus inutiliter certè non magno profectu. Contigit etiam Summum Pontificem (is tunc erat Gregorius XIII.) iliacæ paſſionis & dentium doloribus cruciari, qui licèt in initio tolerabiles haberentur, brevi tamen ſuis incrementis in vitæ periculum Pontificem adduxerunt. Quare tota Vrbs, cui Pontifex in deliciis erat, mœſtitiâ confundebatur: diffidereque P. Michaël de negotiis poterat, ſi excedere è vivis contingeret, apud quem ſolum ea conſequi ſperabat. Nam neceſſaria ad electionem ſucceſſoris mora, aulæ per eum aulicorumque mutatio, non tantùm longi temporis tædio ſollicitantem fatigaſſet, ſed irritum inſuper, quidquid hactenus egerat, reddidiſſet.

3. Hæ non parùm curæ angebant P. Michaëlem qui quotidie palatium frequentabat de infirmitate Pontificis, qui dies viginti quatuor totidemque noctes doloris magnitudine inſomnes duxerat, quæſiturus. Tandem miſeratione patientis tactus, uni alicui, qui ex famulitio Pontificis anxius triſtiſque diſcurrebat, dixit herbam creſcere in Peruvia maximorum malorum, ad prodigium uſque, remedium, atque contra iliacas paſſiones dentiumque dolores, quibus Pontifex cruciabatur, efficaciſſimum, imò indubitatum: illam ſe propter ejus excellentiam in omnes caſus incidentes ſecum detuliſſe. Quæ cùm famulus non ſurdâ aure audiviſſet, nunciavit nepoti Pontificis. Hic accerſitum mox P. Michaëlem multa ſuper herbæ ortu, figurâ, virtute, nomine, experimentis; de Peruviæ qualitatibus, cauſis tam longi itineris, de laborum ab ipſo hactenus factorum ſucceſſu rogavit, non otioſè conſiderans reſpondentis formam, habitum, rationeſque. Neque interim negligebat plura ab aliis & per alios de peregrini atque ex altero mundo advenæ Religioſi motibus inveſtigare. Quos cùm tales comperiſſet, ut nihil ab ipſo timendū Pontifici videretur, aperiretur autem ex reſponſis ejus magna ſpes ſalutis, ne quid tamen deſiderari à ſumma diligentia, quam pro incolumitate Pontificis nepotem

habere

habere æquum erat, poſſet, examinandam medicis herbam tradidit; quam judicarunt, ſi non prodeſſet, nihil nocere poſſe, ideoque tutò in tanta remediorum, quæ à ſe jam extrema applicata eſſent, deſperatione adhibendam. Nihil horum latere Pontificem paſſus eſt Cardinalis nepos, quæ licet nondùm altè in animum Pontificis admitterentur, interrogavit tamen cujus eſſet nationis advenrirus ille Pater. Tùm verò, cùm Hiſpanum eſſe renuntiaretur, non obſcura dedit firmæ de ſanitatis recuperatione ſpei indicia. Et, *vocate*, ait, *ad me peregrinum illum Religioſum; ſi Hiſpanus eſt nulla mihi ab eo timenda proditio infidelitaſve*. Amabat ſcilicet impensè Hiſpanos. Dùm hæc in palatio agerentur, P. Michaël prolixis orationibus, & incruento Sacrificio Numen reddere propitium ſatagebat. Stanti autem ante ſuum conſpectum, poſt Papalem benedictionem impenſam, *Deus te, fili*, ait Pontifex, *doceat dirigatque, ac mei miſereatur*. P. Michaël bono animo eſſe Pontificem juſſit, incunctanter aſſeverans hâc ipſi herbâ ſomnum ſanitatemque conciliandum. Tùm accepta herbæ folia calefacta & vino humectata lateri, unde doloris erat initium, applicuit, monito Pontifice ut nonnulla ori impoſita leviter manderet. Cùm manderet, tam violentis cœpit agitationibus concuti, ut omnes arbitrarentur mortis eſſe præambulas mox ſecuturæ. Non ſua tunc P. Michaëlem conſtantia hilaritaſque, non ſtudioſa oratio edocens hunc eſſe illius herbæ operandi modum, ſatis à convitiis, vix à violentis manibus tuebatur. Cubiculo certè incluſum ſervabant, donec eum eventus abſolveret condemnaretve. Intereà profundus Pontificem ſomnus occupat, inter quem cùm ita modicè reſpiraret, ut vix à curioſis indagatoribus obſervari poſſet, tota in luctum aula ſolvebatur, quidam crudeliſſimam P. Michaëli mortem minabantur. Ille conſcientiæ innocentiâ quietus ac fauſtiora brevi nuntia ſperans, *Dei*, ait, neque aliud, *in me voluntas fiat*. Manè facto Pontifex clarâ voce adeſſe famulos juſſit, reddi pro ſanitate, quam integram experiebatur, gratias Deo, vocari P. Michaëlem cujus herbæ non modò illi ſomnum, quem viginti quatuor dierum decurſu capere non potuerat, verùm incolumitatem pulſo dolore reddidiſſent. Luctus in gaudium feſtinanter mutato feſtivum mox palatium videbatur; fama tàm deſideratæ rei nuntia totam pervolat Urbem; redduntur ubique gratiæ Deo; P. Michaël, cui tam acerba paulò antè intentabantur, certantibus eorundem famulorum aulicorúmque obſequiis pænè humeris ad Pontificem defertur. Super omnia P. Michaëli ſuavis fuit Summi Pontificis nunquàm anteà illi viſa ſerenitas humanitaſque. Sanctam herbam appellavit ille, perſeveravitque diu in Europa impoſitum à ſacro ore nomen, quod apud Peruanos *tabaco* dicebatur.

4. Nemo erat in aula qui non P. Michaëlis loco eſſe voluiſſet, ſolum P. Michaëlem penè pœnitebat ſui; nam ipſa in eum Pontificis propenſio, quam non ſterilem fore ſciebant omnes, perquàm moleſtam fuiſſe P. Michaëli conſtat. Et videte, quæſo, mirabilem & mundo ferè incognitam luctam gratitudinis humilitatiſque, illam (a) in Pontifice, hanc (b) in P. Michaële. Jubet Pontifex in collati inuſitatè auxilii mercedem petere P. Michaëlem quæ vellet; hic quaſi nihil beneficii contuliſſet ſolas poſtulat ſibi indulgentias Reliquiaſque Sanctorum, quas in barbarum mundum deferret & propter quas tam longa tædioſaque erat itinera emenſus, concedi. *Dabuntur illæ*, reddit Pontifex, *copioſiſſimè, ſed præter has alio te favore honoratum volo tuum erit qualem præoptes, explicare: deliberationi, ne poſteà præcipitis electionis pœniteat, diem hunc totum ſume*. Non deerant auditâ Pontificis promiſſione conſiliarii, qui talem iſtumve Archiepiſcopatum vel Epiſcopatum, quos ſuis Præſulibus carere

(a) gratitudinem, (b) humilitatem.

ſciebant, ſuaderent, facti jam ipſo Pontifice importuniores, qui ne liberum in conſiliis ſuis relinquerent, propoſitâ majeſtate Pontificis terrebant, nec poſſe jam nihil peti abſque promittentis offenſâ.

5. P. Michaël autem in ſuo monaſterio ſemotus à turbis, ſolus cum Deo conſilium inivit oravitque multis lacrymis ne è manibus ſuis projiceret ſupplicem ſuum, quique non alterius unquàm magis quàm illius directioni vitæ ſuæ curſum commiſiſſet. Accerſitum ſequenti die de capti conſilii qualitate interrogat; reſpondet P. Michaël nihil ſibi præter indulgentias Reliquiaſque quod peteret, occurriſſe. *Habebis tamen*, inquit Pontifex, *à me quod obſtricto beneficiis Pontifice dignum erit etiam non petens, Epiſcopum te facio talis loci.* Provolutus in genua & inſufficientiam ſuam confeſſus, P. Michaël Pontificem rogavit ne ſe, quem proſequi favoribus vellet, tam ſeverè puniret, mirantibus ad verba Religioſi quotquot aſtabant, maximeque ipſo Pontifice, qui eum deinceps amavit non tantùm obligatione gratitudinis, ſed æſtimatione ſolidæ virtutis, alterumque iterum deliberationi diem conceſſit.

6. Exactâ in diſciplinis & orationibus nocte redit ad palatium P. Michaël certus nullam admittere, niſi cogeretur, infulam, quam Pontifex illi obtulit multò, quàm prior erat, digniorem opulentioremque, tatus hanc ab animo illius admittendam undè minor fuerat excluſa. Sed neque hanc intrare paſſus eſt, tantò ſemper in ſe excuſando facundior, quo proximior periculo, quod à conſtanti Pontificis ad ſibi benefaciendū adfectu ſibi imminere arbitrabatur. Altero item die, eàdem firmitate repudiavit tertiam, præcedentibus præſtantiorem, ut ipſemet ad tam inauditam præcipuarum dignitatum Eccleſiaſticarum, ad quas alii tantis conatibus promiſcuè currunt, fugam ſtuperet, imbiberetque tam altè virtutum ejus opinionem, ut ſeriò pronunciaret non paſſurum ſe ut in pedes conſurgeret abiretque, niſi prius aliquid pro ſuo honore, quidquid id eſſet, petiiſſet. Fatigatus potiùs importunis Summæ Sedis obſequiis, quàm aliquo mitræ ſplendore aut cenſibus illectus, Abbatiam de *Lunaguana* ſe admiſſurum expreſſit. Eſt hæc in exiguo ſed amœno fertilique optimorum fructuum pago ſita, atque abeſt *Cañetâ* leucis novem, *Limâ* autem omninò triginta tribus. Datur magnâ hilaritate Abbatia, adduntur cum Abbatia annui reditus duodecim ducatorum millia, jungitur mandatum expediendi citiſſimè literas, conſcribitur abſque mora quod tam ſeriò à Summo Pontifice mandabatur; & tamen omnem Secretariorum diligentiam pœnè præverterat pœnitentia recipientis. Nam & P. Balthaſari ſocio ſuo faſſum fuiſſe conſtat non egiſſe ſe unquàm noctem magis anxiam tremulamve. Quapropter proximo die ad palatium recurrit deprecaturus ſuæ ſtoliditatis (ita homo ab omni terrenarum rerum cupiditate alienus reputabat, quod alii in prudentiæ computu collocaſſent) veniam, quam unicâ Summæ in terris Poteſtatis reverentiâ commiſerat. Intranti in Palatium literę traduntur, quas provolutus ad genua Pontificis manibus prehenſas cum ipſa dignitate gemebundus reſignavit, obteſtans eum ne ſollicitū à ſe curiſque anxium dimitteret, cui favere velle ſatis ſuperque monſtrabat. Noluit Pontifex aſpernari ſupplicis preces, ſubſiſtere tamen Romæ à Iulio in Septembrem juſſit, ut videret ſi tempore robur illud pectoris non molliretur, quod ſuperare non potuerant impetus tam violenti.

7. Propoſiti tenaciſſimum in Septembri dimiſit, ſed donatum indulgentiis, quaſcumque ſive pro Conventu Limenſi, ſeu pro aliis ejuſdem Provinciæ, ſeu pro Cathedrali Limenſi aut aliis Eccleſiis petiverat. Eum etiam conſecutus eſt Reliquiarum numerum & præſtantiam, ut anteà nunquàm poſteàve ſimilis

ſimilis fuerit in Peruvíam theſaurus delatus, habeatque ſolus Conventus Limenſis ſuperiores aut equales omnium aliarum Religionum reliquiis. Nominantur in Bulla Pontificis Gregorii (a) *S Crucis, Reliquiæ SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, S.P. Auguſtini. S. Andreæ, S. Laurentii, S. Stephani, SS. Fabiani & Sebaſtiani, S. Marti, S. Ioannis Chriſoſtomi, S. Chriſtophori, S. Vincentii, S. Dionyſii, S. Sixti Papa, S. Marcelli, S. Vrſulæ, S. Petronillæ, S. Priſcillæ, S. Suſanna, caput S. Longini, magnà pars crucis boni Latronis, & integra ſine numero membra Martyrum accepta ex ſacello, Scala cæli*, dicto, quòd ibi S. Bernardus viderit ſcalam, per quam in manibus Angelorum animæ ex purgatorio in cælum deferrentur, ubi ſepulta ſunt Zenonis & 10202 Martyrum corpora.

(a) Data 1581. 28. Sept.

8. Cùm in Hiſpaniam rediſſet, ita quidem de ſuo itinere reliquiſque propoſuit, ut has Reverendiſſimo P. Hieronymo de Eſcobar (b) Epiſcopo *Nicaraguenſi* in Peruviam ad oves ſuas & Audientiæ *Charchenſis* (c) viſitationem properanti concrederet: ipſe ad *Inſulas Canarias*, patrium illi ſolum, deflecteret, tantillum ſolatii conſanguineorum ſuorum deſiderio ex itinere tributurus. De utroque tamen aliter Superis viſum, nam Reverendiſſimus Hieronymus Gadibus (d) ſanctà morte extinctus eſt; P. Michaëlem autem non longè à litore *Canariarum* mare abſorbuit, cujus undas quamquàm indomitas, mitiores tamen quàm Epiſcoporum æſtus, quibus indies agitantur de animarum ſalute parùm ſecuri, reputavit, Felix qui poſt contemptos tam conſtanter in terris honores, tam citò ad cæleſtes æternoſque pervenit.

(b) Ejus vitam vide lib. 10. ca. 7.

(c) de los Charcas.

(d) Calis-malis.

9. Non eſt indignum ponderatione divinum de conſervandis pro Peruanis terris Reliquiis atque Indulgentiarum bullis conſilium: nam Reverendiſſimum P. Hieronymum de Eſcobar, cum quo ſacra lipſana vectabantur, ne perirent, mare rejecit, paulò pòſt in terris moriturum: idemque P. Michaëlem, cum quo nullæ res ſacræ periclitabantur, ne diutiùs meritorum præmia differret, leni ſinu ſuſcepit, corpus, quòd nocere aliquando poterat, extinxit, ſpiritu in beatorum ſedes tranſmiſſo, ac Beatorum, quorum exuvias tanto labore quæſierat, conſortiis fruituro.

10. Reliquiarum Indulgentiarumque poſt utriuſque mortem curam ſuſcepit P. Didacus de Genouà Conventus Limenſis alumnus, ſingularis perfectionis Religioſus, impigerque apud Indos Doctrinæ Chriſtianæ præco, qui omnes Limam anno M. D. LXXXV. intulit.

CAPVT VII.

P. Didaci de Arana & P. Auguſtini de Vargas mirandæ converſiones.

P. Didacus de Arana patrem habuit ſibi cognominem Didacum de Arana, matrem Mariã Lopez de Armendurva. Eſt autem familia *Arana* illuſtris & antiquę nobilitatis, quam *Bilbao* Biſcajæ metropolis in loco ſibi vicino *Alaba* notiſſimam colit. Didacum filium in Peruviam abſtulit auri, ſed magis gloriæ appetitus, & hanc ſanè conſecutus eſt uberrimam in omnibus, quibus interfuit, prœliis, ut non alius magis audaciæ fortitudiniſque laude, quã longum Stemmatis ſui ſplendorem potentiùs irradiabat, celebraretur. Militiæ conſortes habuit Luiſium de Toledo, Petrum de Portugal, Philippum de Mendoça Marchionis de Cañete filium, Chriſtophorum de la Cueva ex Albur-querquiorum domo, Petrum Ferdinandum de Cordoua ex cognatione illius 1.

illius Ferdinandi cui fortiter prudenterque facta *Magni Ducis* (a) cognomen pepererunt, Alphonſum de Pacheco ex Marchionis de Villena familia, Alphonſum de Arſila, alioſque ſanguine & geſtis præclaros heroës.

(a) el gran Capitan.

2. Nullius tamen, quàm Ioannis de Pineda, conſortio, eſt nominatior. Cum hoc virtutis æmulatione bella geſſit in Peruvia Regias contra rebelles conſtanter partes tutatus: cum hoc tranſivit in Chilen regionem ferociſſimis populis infeſſam, contra quos variis prœliis, pari in omnibus cum Ioanne de Pineda gloriâ, quam ſuprà celebravimus, (b) dimicavit exſtititq; victor. Sed quantò magis utrumque invicti animi corporiſque virtus elevabat, tantò ampliùs deprimere ſatagebat pondus injuſtæ fortunæ, Supremo ſcilicet Numine cuncta ad feliciora bella, infallibilioraque præmia referente, ut tandem rerum terrenarum faſtidium ingereret ipſa earum immodica ſed illuſa cupiditas.

(b) lib. 8. cap. 3.

3. Ioannis de Pineda opprobrium & S. P. Auguſtini opportunum patrocinium nondùm excidiſſe lectori puto, (c) poſt quæ iſtâ oratione Didaco locutum diximus. *Pudet me, Didace, jam non vanitatis, ſed inſipientia mea. Quot labores, quæ pericula adiverim non eſt quod apud te, qui omnia ſpectaſti, commemorem. Quid illis omnibus ſum conſecutus? Præmia? Imò vidiſti & ſimul mecum indignatus es ea potentioribus, nullâ rectè factorum aſtimatione, in civitate la Imperial fuiſſe collata. Regis gratiam? Ille ſuorum in longè diſſito mundo facta non niſi alienis oculis, qui plerumq; ſunt invidi, videt. Regiorum miniſtrorum commendationem? Sed nunquid hi ad commoda ſua thronumq; ambitionis per aliorum vulnera morteſq; conſcendunt, parùm de aliis, niſi quantùm ſibi proſunt ſolliciti, in pari prætenſione adverſi. Honorem? Fateor, ille me unus hactenus in tot pericula ac mortes abripuit: ſed dùm illum poſſedi, quot difficultatibus involvit? ſine ſomno noctes ſine cibo dies, in aſtu & frigore tranſigendi fuerunt: cavenda æmulorum invidia, negligenda Divina Eccleſiaſticaq; leges, ſollicitandi fautores. Atque poſt hac omnia vix dedecus lictoris effugi, exiliumq; inter beneficia numerare cogor, juſtâ ſtultitia mea pœnâ, ſed quæ velut collyrium vanitatem ab oculis terſit. Ergo nunc me ab omni ſpe ſæculi abrupi, & Deo, recto factorum aſtimatori, æquiſſimoq; remuneratori, ſervire ſtatui, propoſitum, dùm Limam appulerimus, in conſortio Auguſtinianorum, quos Sanctos & mores & publica fama prædicant, egreſſurus.*

(c) Ibidem.

4. Adhæſit Didacus tam boni propoſiti ſocio, diſtributiſque in famulos & pauperes opimis, quæ ab hoſte conſecutus erat, ſpoliis, Ordini pariter Auguſtiniano initiatus eſt anno M. D. LIX. (d) perſeveravitque, charitatis, orationum, humilitatis, jejuniorum, diſciplinarum, & obſervantiæ religioſæ exemplum, tantò illuſtrius, quantò à nobiliore glorioſioreque milite datum. Ob quam virtutum præſtantiam in Comitiis anni M. D. LX. vix exacto poſt profeſſionem ſemi-anno P. Provinciali Andreæ de Sancta Maria Secretarius eſt adjunctus, more in Religione noſtra inuſitato. Virtuti autem quis modum ponat? non expectat præſcriptum legibus tempus, prævolat ætati, ipſam, cum Deus vult, prævenit nativitatem, Ioannes enim utero adhuc clauſus materno præco exſtitit Salvatoris.

(d) vide lib. 8. cap. 3.

5. Poſteà *Cuzcum, Chuquiabum, Arequipam, Chuquiſacam* bonæ vitæ odore replevit. *Guamachucenſem* binis ſucceſſivè (e) conſtitutionibus Conventum rexit. *Omaſajis* (f) & *Capinotenſibus* (g) ſi non primus fidem prædicavit, (nam per alios Ordinis ejuſdem Religioſos id factum fuiſſe ſuprà narravimus) certè recenter plantatam rigavit ſolidavitque, charitate, quâ maximâ vigebat, eum ſeu ad docendam fidem ſeu ad eradicanda vitia, indefeſſè animante; puduiſſetque ſi inſita animo vis potentiùs olim pro Rege gloriaque terrena laboraſſet, quàm vera ageret charitas pro ſalute animarum gloriaq; cœleſti, in quam hiſce factis nitebatur.

(e) anno 1582. & 1584.
(f) los Omaſayos
(g) de Capinota.

6. Sicut

6. Sicut fruſtratâ gloriæ cupidine Didacum de Arana, ita maximarum ſubmerſione opum ad ſe Deus traxit Auguſtinum de Vargas, ſui in felicibus eventibus proſperitatibuſque planè immemores: fortiſſimè namque terrenis rebus, præcipuè ſi abundent, à Deo mentes hominum avocantur.

7. Hunc Auguſtinum *Pax Auguſta*(a) *Eſtramedura* civitas mundo protulit, divitias in illum fortuna liberali cornu profudit, quę quantò plures poſſidebantur, tantò ampliùs appetebantur, nullâ cæleſtium curâ, ſed auro argentoque in viſcera terræ, unde naſcuntur, mentem abripiente, adeoque tenaciter alligante, ut Dei ſolvere illum per immiſſos tertiò morbos nitentis manum non ſenſerit. Adverſantis ſcilicet fortunæ vel accidentis corporis complexione neceſſitatis ſimiles vulgò reputantur eventus, non momentis Numinis. Auguſtinus igitur unis divitiis undique cumulandis totus intentus, cum lucro maximarum gauderet, unico naufragio in mari pacifico omnes perdidit, in maximo repoſiturus lucro, ſi ſalvâ vitâ enataſſet. Perierant ejuſdem navigationis pleríque ſocii, ipſe inter ſpumantes undas adhuc luctabatur, & ſeriò Dei Deiparæque opem, quam in proſperitate neglexerat, inclamabat, & continuò expertus eſt, prodigioſè tranſlatus in littus.

(a) Badajoz.

8. Vbi cùm aliquantulum conſediſſet, animumque non minùs à turbatione quàm à fatigatione corpus revocaſſet, ita ſecum tacitus reputabat. *Infidæ nimiùm divitiæ ac poſſeſſoribus veſtris ingratæ, quis ultrà vobis credat, cùm me, cui parentes plurimas reliquerant, & qui majores comparaveram, tam turpiter illuſum fama nuntiabit, & immenſarum antè dominum, dum pluribus mercaturâ inhiabat, vix nudum evaſiſſe; idque non veſtro, quæ in ruinam meam conſpiraveratis, beneficio, ſed infinitâ Superûm, quos in illud uſque tempus causâ veſtrâ contempſeram, bonitate. Haccine laborum & curarum, quibus acquirimini cuſtodiminique, merces? hoc periculorum, quibus toties corpus animamque involvitis, ſtipendium? Valete nunc fallaces, & alios, qui vobis fidant, quærite: ego vos immitti æquori pro merito veſtro devoveo, atque illuc me converto, unde melioris vitæ & patrocinii conſtantioris mihi ſpes non vana aperitur.* Sprevit autem poſt hæc divitias tàm invictè, ut nullis unquàm notorum aut conſanguineorum, quos Limæ invenit, ſuaſionibus aut precibus ad mercaturam potuerit revocari, ſed Ordini ſe Auguſtiniano in vetere Limenſi Conventu mancipârit anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto.

9. In quo tam ſeveras diuturnæ dementiæ ſuæ pœnas à ſeipſo exegit, ut ab illis, qui omnes pœnitentiæ virtute celebrabantur, ipſe tanquàm reliquis auſterior *Pœnitentis* obtinuit nomen. Clarebat inſuper ſedulâ Conſtitutionum obſervantiâ, humilitate, manſuetudine, charitate, ac prompto omnibus obſequio, quibus ſummum ab omnibus amorem præ cæteris erat conſecutus. In officio Procuratoris fidelitatem, ſedulitatem in augenda Eccleſiæ ſuppellectile oſtendit. *Capinotenſibus* etiam, maximeque barbaro hominum, quos *Vros* Indi vocant, generi Euangelium annuntiavit inculcavitque. Atandem bonis actionibus ad exemplum intermortuus, inamiſſibilibus in cælo theſauris fruitur, mercator terrenis divitiis amiſſis quàm ſalvis felicior.

CAPVT

CAPVT VIII.

P. Balthaſaris Mexia memoria.

1\. P. Balthaſaris meminimus, cùm initia monaſterii *Pacaſmayenſis* ſeu *noſtræ Dominæ de Guadalupe* recenſeremus. (*a*) Ad

(a) lib 10. cap. 4.

hæc enim incunabula ipſe cum cæteris miſſus eſt, & præfectus primus. *Sancti-Iacobi* in Galitia natus & in Péruviam profectus, aliquo tempore Sacerdos etiamnùm Sęcularis Indorum converſioni incubuit, fructu pariter & nominis ſui æſtimatione. Vitæ tamen arctioris deſiderio ætate licèt provectus Ordini Auguſtiniano adſcriptus eſt Limæ, fuitque illius Conventus ſecundus, anno poſt ſeſqui-milleſimum quinquageſimo ſecundo, altero autem, à quo dictus Ordo illuc penetraverat.

2\. Ipſius labor fuit, difficilis contra quoſdam Curiones pro Beatiſſimæ Virginis-Matris ſtatua

(b) ibidem num. 15.

lis, (*b*) ad hanc aliorum importunitate tractus, ipſo aliàs pacis amantiſſimus. Veterum Monachorum placitum ipſe ſuo exemplo revocavit, nam ſemper orationi lectionem, lectioni laborem fecit ſuccedere, oſor omnis otii, in quo velut pulvinari Diabolus molliter recumbit, & de quo paganus Seneca veriſſimè pronun-

(c) Seneca epiſt. 82.

tiavit (*c*) *Otium ſine literis mors eſt, & vivi hominis ſepultura.* Et quod intèr labores ejus æſtimo

(d) de Yagon

præcipuum, *Yagonenſibus* (*d*) fidem prædicavit.

3\. Et quis non plangat cordis ſui duritiam, ſi P. Balthaſarem incruento videat ſacrificio operantem? Vbertim tunc per genas lacrymæ defluebant, ut has celare populum circumſtantem non poſſet, felix dono ſuo quod Sanctus ejus P. Auguſtinus tam ſollicitis precibus expetebat. Verba ejus, ut me lectoremque meum ad ejuſdem doni deſiderium excitem, adſcribere non pigebit. (*e*)

(e) lib. meditationum ca. 36. nu. 3.

4\. *Dulcis Chriſte, bone Ieſu, ſicut deſidero, ſicut totâ mente meâ peto, da mihi amorem tui ſanctum & caſtum, qui me repleat, teneat, totumq; poſſideat. Et da mihi evidens ſignum amoris tui, irriguum lacrymarum fontem jugiter emanantem, ut ipſe quoq; lacrymæ tui in me teſtentur amorem: ipſa prodant, ipſa loquantur, quantùm te diligit anima mea, dùm præ nimia dulcedine amoris tui nequit ſe à lacrymis continere.* Et ibidem numero 7. *Præſta mihi hanc gratiam propter te & propter nomen ſanctum tuum ut quoties de te cogito, de te loquor, de te ſcribo, de te lego, de te confero: quoties tui reminiſcor, tibi aſſiſto; laudes, preces, & ſacrificium offero: toties obortis lacrymis in conſpectu tuo copiosè & dulciter fleam, ita ut efficiantur mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Tu quidem rex gloriæ docuiſti nos verbo & exemplo gemere & flere dicens: Beati qui lugent quoniam ipſi conſolabuntur. Tu fleviſti defunctum amicum, & lacrymatus es valde ſuper perituram civitatem.* Et numero octavo. *Rogo te bone Ieſu per illas pretioſiſſimas lacrymas tuas & per omnes miſerationes tuas, quibus mirabiliter nobis perditis ſubvenire dignatus es, da mihi gratiam lacrymarum, quam multùm deſiderat & appetit anima mea, quia ſine dono tuo non poſſum habere illam: ſed per Spiritum Sanctum tuum qui dura corda peccatorum mollit & ad fletum compungit. Da mihi gratiam lacrymarum, ſicut dediſti patribus noſtris quorum veſtigia debeo imitari, ut plangam in omni vita mea ſicut ipſi ſe planxerunt die ac nocte. Propter merita & orationes eorum qui tibi placuerunt & devotiſſimè ſervierunt, miſerere mei miſerrimi & indigni tui, & da mihi gratiam lacrymarum. Da mihi irriguum inferius & irriguum ſupe-*

ſuperius, ut ſint mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, efficiarq́; in conſpectu tuo, Deus meus, per ignem compunctionis holocauſtum pingue & medullatum. Mactler totus in ara cordis mei & tanquàm pinguiſſimum holocauſtum aſſumar tibi, in odorem ſuavitatis. Et num. 9. *Da mihi, Dulciſſime, fontem irriguum fontemq́; perſpicuum in quo lavetur aſſiduè illud inquinatum holocauſtum. Licèt enim me totum tibi obtulerim opitulante gratiâ tuâ, in multis tamen quotidie offendo propter nimiam fragilitatem meã. Da ergò mihi gratiam lacrymarum, benedicte & amabilis Deus, præcipuè ex multa dulcedine amoris tui, & commemoratione miſericordiarum tuarum præpara hanc menſam famulo tuo in conſpectu tuo & da mihi poteſtatem, ut quoties volo, ſatier ex ea.*

4. Et nonne P. Balthaſarem prędicabimus qui tam evidens habuerit tamque copioſum divini amoris ſignum, ut durus haberetur qui eo conſpecto in lacrymas illius exemplo non ſolveretur? cui datus fuit fons perſpicuus; quo quotidie ſe, cum immaculatum ſacrificium offerret, à maculis lavaret? cui Deus menſam dulciſſimo lacrymarũ ferculo oneratam præparaverat, ex qua quotidie ſatiaretur? Ille nunc inebriatur perpetuò ab ubertate domus Dei & de torrente voluptatis, quæ non evacuatur, potat.

HISTORIÆ
PERVANÆ
LIBER XVI.

De his quæ in Provincia Perüana contigerunt ab anno 1582. uſque ad annum 1587, quo tempore duo Capitula Provincialia comprehenduntur.

CAPVT I.
Capitulum duodecimum.

1. COMITIA hæc Limæ celebrabantur, in quibus ſuffragantiũ vota Provinciæ Prefectum dedetunt P. Andream de Villa-Real, Definitores P. M. Ioannem de Almaraz Cathedraticum proprietarium Sacræ Scripturæ in Vniverſitate Limenſi, P. Alphonſum Pacheco, P. Hieronymum Nuñez & P. Martinum Sierra.

2. De Comitiorum actis, quòd ſolam illam Provinciam concernant, nihil aliud adjungo quàm quod Ordo admiſerit ſanctuarium ſeu domum Virginis Deiparæ de *Pucarani*, de quo amplior erit dicendi locus capite 13.

CAPVT II.

Moritur P. Andreas de Villa-Real Prior-Provincialis.

1. VIX ſeſqui-anno præfuerat profuerarſque Provinciæ P. Andreas, cùm ex vivis exceſſit magno ſuorum mœrore, qui bonum, quod ex electionis felicitate ſperabant, tàm citò ſibi ereptum querebantur.

2. Et fuit certè P. Andreas ab ipſo Religionis ingreſſu egregiarum virtutum quoddam exemplar. Nemo in obſervatione Conſtitutionum ſtudioſior: pœnitentiâ eminebat ſingulari, nuda tabula molliſſimus illi lectus erat: ſcientiam ſilentio, niſi cùm aliud utilitas poſceret, ſolitus involvere, ut ſatis facto ipſo monſtraret ſe eam nō ad oſtentationem ſed ad fructum didiciſſe, humilitatis quàm gloriæ ſtudioſior, quæ tamen illum conſecuta eſt maxima, perpetuâ quâdam gloriæ obſtinatione uti fugientis perſequentes, ita fugientes ſequentis. Paupertatem in ſe cùm maximam coleret, etiam mediocrem in aliis ſtuduit ſublevare. Præcipuam tamen ejus virtutem computant rerum cæleſtium contemplationem, quâ illi terrena omnia viluerant.

3. Prima publicæ vitæ ſpecimina, in inſtructione Novitiorum dedit; cujus ſpartæ oblationē ſibi glorioſam, quaſi Prælatorum teſtimonio ipſius rudimenta perfectioni aliorum fuiſſ-nt æquiparata, ducere potuiſſet, eam tamen non niſi ex fructibus documentorum, quæ tenellis animis inſtillaret, menſurandam cenſuit.

4. In Indiam ex Hiſpania ſolvit ſecunda, quam vocant, trajectione (a)anno Incarnati Verbi M.D.LVIII, (b)& mox altè in animos præcipuorum penetravit manſuetudine & affabilitate, quibus obtinuit, ut, ſi quæ forte diſſidia orirentur, ipſe eorum pacificator non modò admitteretur, ſed quęreretur. Conſtat Martinum Enriquez Proregem ab ipſo ſuo adventu (c) ad mortem uſque adeò P. Andream coluiſſe, ut preces ejus ſeu pro ſe ſeu pro aliis pro imperio admitteret: quem cultum etiam Auditores, Prorege extincto, poſteà eidem detulerunt. Eodem, quo Prorex, anno Limam advenit Alphonſus Magrovejo Archiepiſcopus Limenſis, vir cum naſcentis Eccleſiæ Antiſtitibus ſanctitate comparandus, qui pro deliciis P. Andreę conſortio fruebatur, donec hic ſecundo circiter anno è vita exceder et. Inhæſit tamen tam altè dicti Archi-præſulis animo P. Andreæ memoria, ut ejus ratione multis ſæpe beneficiis Auguſtinianos cumulârit.

(a) Segundo barcada. (b) ſuprà lib. 7. cap. 1. (c) anno 1581.

5. Cuzcenſem & Guadalupenſem Conventus, temporalium, incertum, an ſpiritualium bonorum majore profectu, adminiſtravit; ultimò Provinciam, cui officio intermortuus eſt, cum Conventum Trugillenſem viſitaret altero ab electione anno.

CAPVT III.

Capitulū decimumtertium.

1. OB P. Andreæ mortem nova Cuzcum Comitia indicta ad XIII. Kalendas Julias (d) anni M.D.LXXXIV. in quibus is electus eſt in Provinciæ Præfectum idque jam ſecundùm, qui ſuâ præſtantiâ ſuperioris deſiderium, etſi nō extinxit, certè minuit, P. Luiſius Lopez Cathe-

(d) 19. Iun.

Cathedraticus Veſpertinus, quem tres ſucceſſivè infulæ poſteà honorarunt. Definitores fuère P. Ioannes de Sancto Petro, P. Didacus Gutierrez Iubilarius, P. Ioannes Tamayo, & P. Martinus de Sepulvéda.

2. Tantùm aberat, ut aliquid de veteris vitæ auſteritate relaxaretur, ut etiam magis conſtrinxerint. Doctrinantibus (hos vocabant qui in pagis monaſterio alicui ſubjectis doctrinâ populum Chriſtianâ imbuebant) etiã, ne rimæ aliquę eſſent per quas vitium proprietatis, monſtrum illud Religionum, irreperet, vetuerunt ullam pecuniam dari, victus autem veſtimentaque à monaſteriis opportunè miniſtrarentur. Conventus *Potoſienſem* & *Val verdenſem* ſeu *Icenſem* (a) Ordo admiſit: dimiſit autem totam *Conchecorum* (b) Provinciam, charitate futuris omnibus ſæculis ſtupendâ. Invenerant namque Auguſtiniani gentem illam non difficillimis tantùm moribus, ſed inſuper idololatriæ deditam, (c) Iam illam totam converterant, pagos diſtioxerant, Eccleſias domoſq; ſtruxerant, diligentiaque annorum viginti quatuor (*d*) evicerant, ut mediocri labore, nulloque penè Doctrinantium incommodo poſſet in ſuſcepta recèns fide conſervari: magnas item habebat terrenarum rerum, quibus plurimi invitarentur, illecebras. Reſtabant autem aliæ Provinciæ pauperes, ideoque adhuc neglectę. Has ſibi prę opulentis inſtructiſq; Auguſtiniani delegerunt, tantò ad omnia fortiores alacrioreſque, quantò anguſtam pati pauperiem doctiores. Augetur ſcilicet hâc animi corporiſque robur, quod irrepẽtes paulatim divitię, delitięq; aut extinguunt penitus aut enervant. Has ergo, ne illud deficeret, ſeriò cavendas cenſebant.

(a) *de Val-verde ò Ica*
(b) *de los Conchucos*
(c) vide ſup. lib. 8. cap. 2
(d) ſuſcepit illos Ordo anno 1560 deſeruit anno 1584.

3. Anno M. D. LXXXVI. in Peruviam trajecit P. Franciſcus de Figueroa Qualificator Sancti Officii, vir ſeu Theologicam acommigenam ſcientiam, ſeu concionandi prętantiam ſpectes, cum primis totius Regni comparandus, Collegam habuit P. Auguſtinum de Orellana *Cochabamba* nobili familiâ ortum, ſed illo laudatiórem commodioremq; quod omnia pœnè illarum gentium idiomata calleret. Duo hi *cõpacavanæ* infideles inſtruendos ſuſceperunt.

4. Eodem anno Idibus Auguſti (e) R.[mus] P. Generalis Thadæus Peruſinus Provinciã Peruanam à Caſtellanæ, Provinciam autem Quitenſem & Novi Regni à Peruanæ ſubjectione exemit, & non unam ſed tres deinceps Provincias eſſe voluit. Præfecturæ tamen Provinciali Caſtellæ annexuit Officium Vicarii Generalis cum poteſtate mittendi in duas novas Provincias Viſitatores certis nihilominus cautionibus ſervatis, ut Viſitator quicumque in Peruviam mittendus priùs à Reverendiſſimo P. Generali confirmetur: ut in Peruvia quatuor aliquando annis habitaverit. Vt ex una in alteram Provinciam Religioſos mittat, non ex uno Conventu in alium, cùm hoc Provincialiũ ſit munus. Vt Viſitator in Provincialem Priorem eligi nõ poſſit. Succeſſu tamen temporum creſcenteque numero Religioſorum, factum eſt, ut prorsùs duæ iſtæ Provinciæ à Caſtellana fuerint exemptæ, quod ſuo loco dicetur.

(e) 13. Aug.

CAPVT IV.

De monaſterio Potoſienſi.

1\. POTOSTÆ civitati non amœnitas, ſed cupiditas initium dedit: quin & contra hanc ſatis ipſâ naturâ locus munitus videbatur, ſi ſiſti illis incommodis violentus ejus impetus poſſet. Terra ſterilis eſt, quam neque fluvii aut fontes rigant, neque flores aut herbæ veſtiunt, neque ſegetes læram faciunt: non niſi inutilium juncorum (*f*) ferax: quam

(f) *Paxa*.

inſuper licèt in zona torrida ſitam frigidus exaſperat aër, ventuſque *Tomahabi* genti dictus, non minùs quàm Aquilo furioſus & à Maio ad Septembrem uſque continuus. Nec lætiora habet vicina loca, niſi quòd ad ſecundum indè lapidem (*Tarapaya* loco nomen eſt) thermæ ſint non inſalubrium aquarum. Tot incommodis velut quibuſdam munimentis contra indomabilem cupiditatem natura vallaverat montem, quem ibi poſuit totius omninò mundi pretioſiſſimum.

2. Mons ipſe ſterilis & abſque omni virore. Hoc tamen prodigii loco natura eſſe voluit quòd cùm ad ejus pedem magnis multiſque hiatibus pateat abundetque ſcaturiginibus inſalubrium & inſipidarum aquarum, quas noctu, ne animalia fortuitò ex illis bibentia intereant, tegere aut ſepire neceſſe eſt, in ipſo cacumine duo exiliant fontes diverſiſſimarū aquarum. Qui ad Occidentem eſt, & fons Belgarum (quâ nominis ratione mihi incertum) dicitur, gratiſſimi eſt & ſani liquoris: qui ad contrarium latus, bibentium ex eo os conſtringit & in eo lavantium corrugat manus: hunc poſteriorem, *præcipitium Sancti*
(a) la quebrada de Santiago. *Iacobi* (a) appellant.

3. Formâ eſt pani ſaccaraceo non abſimili, altitudine (quæ menſurâ mathematicâ dimidiam leucam, labore aſcendentium integram exæquat) inter vicinos eminet, quamquàm alioquin *Caricari* & *Toloſi* non parùm eleventur. Ad ipſum deſcenſum alius ex illo ac minor naſcitur, quem proinde *Guaynapotoſi*, quaſi *juniorem Potoſi* aut filium ejus, dicunt.

4. Latuerant tamen omnibus retrò ſæculis à violentia cupiditatis humanæ abſconditæ, & ipſis etiam Ingis ignotæ tam immenſæ divitiæ, donec eas caſus anno M. D. X L V. menſe Aprili manifeſtavit, quæ totum deinde mundum ſuâ opulentiâ repleverunt. Manifeſtationis modus ab Antonio de Herrera talis fuiſſe
deſcribitur. (b) Indus *Gualca* no- (b) decade 8. lib. 2.
mine *Chumbibilcâ* Provinciâ *Cuzco* vicinâ oriundus, venatione cùm prædam inſequeretur, hac præcurrente, in montem *Potoſi*, niſi à ſpe potiundæ deſiſtere maluiſſet, conſcendere neceſſe habuit. Eſt autem montis aſcenſus præruptus difficillimuſque, quare, ne præcipitio relaberetur, obvium fortè dumetum apprehendit, cujus cùm primæ radices minùs altè, quàm ut prehendentis molem ſuſtinere poſſent, terræ inhærerent, erutæ cum ſupremo terræ cortice venam metalli latentis detexerunt. Hanc *Gualca* ex venis argenti, quod copioſum *Por-*
ci (c) (locus hic ſeptem Potoſiâ (c) Porco.
leucis abeſt) eo tempore effodiebatur, mox agnovit. *Porcitani* paulò aliter caſum enarrãt. Idem nimirùm *Gualca* cū aliquot ovibus, quibus ad tranſportanda onera ſarcinaſq; Peruani utuntur, noctu, quâ ex causâ incertum, in monte *Potoſi* ſubſtitit, cumq; illuceſcente die ad arbuſtum alligatas oneraret, aliquæ innatâ libertatis inclinatione, cùm fugere parant eum trunco ceſpites eradicantes theſaurum aperuerunt totius mundi maximum. *Gualca* glebas aliquot ſecum deferens, purganſque à ſcoria, cùm hoc aliquoties feciſſit, brevi ad ſummas divitias pervenit.

5. Hanc ſubitam fortunæ viciſſitudinem obſervavit ejus ſocius *Huanca Xauxa* natus, ſtupuitque tàm brevi tempore tot à *Gualca* argenti laminas poſſe fundi, quas in *Porco* operoſiùs eliquabant. Et evicit quidem ſuâ importunitate *Huanca*, ut a ſocio *Gualca* mons, undè glebas accipiebat, indicaretur, purgandi verò modum nullis precibus extorſit. Irritatus pertinaci ſocii ſilentio, quo inutilis illi montis ſcientia reddebatur, *Huanca* hero ſuo *Villaroel* militi & argenti-fodinarum perito tam divitum glebarum locum detexit. *Villaroel* verborum ſervi non incurius ad *Potoſi* montem perrexit, venas invenit, detectionis tabulas confecit, ſeptiq́ue

tiqueque lignis loci poſſeſſionem, quam primis inventoribus leges concedebant, cepit, indiſcretâ *Gualcæ* pervicaciâ fortunatus, qui aut celare ſocium divitiarum locum, aut præoccupare poſſeſſionem debuiſſet, cùm lucri cupido, non magis quàm regna & thalami, ferre ſocium queat.

6. Fama inſolentis theſauri *Porcitanos* primùm ac *Chuquiſacanos* tanquàm viciniores, deinde ex toto terrarum orbe habitatores excivit, inſuperabili hominum cupiditate omnia terræ aëriſque incommoda, quæ ſub initium narravimus, vincente. Civitas in honorem Caroli V. Imperatoris, cujus pietati temporibuſque tam immenſas divitias Deus ſervaverat detegendas, *Vrbs Imperialis Potoſia* dicta eſt, circuituque ſuo duas leucas complectitur, Hiſpanis pariter ac Indis habitata. Anno M. DC. XI. juſſu Proregis Marchionis de Monteſclaros cenſa invenio in civitate *Potoſienſi* centum quinquaginta hominû millia, comprehenſis fœminis pueriſque.

7. Sub initium minùs argenti difficiliuſque purgabatur, quòd nondum Mercurii aut argenti vivi uſum aut materiam haberent, donec illud anno M. D. LXVI. Henricus Garces Luſitanus magno laborantium cômmodo & dominorum fructu invenit, conſpecto in manibus Indi lapide rubicante, quo faciem depingere mos genti erat; Hunc ex ſimilitudine lapidum in Hiſpaniâ viſorum argentum vivum ſuſpicatus purgavit, deprehenditque opinione ſuâ ſe à veritate rei non aberraſſe, percunctatuſque ab Indo, undè dictum lapidem accepiſſet, ejus indicio môtem *Guancavelica* detexit fertilem ſimilium lapidum, quos Indi *Llinpicon* dicunt, quorum beneficio crevit in immenſum argenti abundantia. Cujus ſpecimen ſic accipe. A prima argentearum venarum in Potoſi detectione ad annum M. D. LXXIV. Franciſcus de Toledo Prorex in libris regiarum rationum invenit quinratos (a) ſeptuaginta ſex miliones. Ab hoc verò anno uſque ad millesimum quingenteſimum octageſimû quintû, reperiuntur miliones triginta quinque. Bernardus autem Vega in libro de Peruviæ excellentia ad annum uſque milleſimum quingenteſimum nonageſimum ſeptimum, computat miliones omninò quadringentos triginta ſex: his adde, qui ab iſto anno ad præſens tempus in Regis libros ſunt relati; & quos fraus operariorum, negotiatorum officialium aut Dominorum regio computui ſubduxit, qui quintatis æquandi ſunt aut prætêrendi, côficietur theſaurus incomparabilis, quem unicus ille mons ſpatio annorum circiter centum mundo invexit, quo Europæ templa ſplendeant, ſuperbiunt atria nobilium, civium domus decorantur, turgent indignantes ponderi ciſtæ. Quod ſi verum purgandi beneficium non lateret, arbitrantur nonnulli non minus uno anno, quàm nunc quatuor, extractum iri.

(a) quintatum dicitur ſicut decimatum, à quo decima, illud à quo quinta pars deſumpta eſt: quinta autem pars Regi debetur ex metallis in Peruvia.

8. Cùm tantum indè cupiditas ceuerit, non niſi incœpiſſe videtur: creſcit rurſus & ſe protrudit beneficus in metalla fundus, ac ſub ipſis etiam aquis, quibus plurimæ caveæ ſtagnant, in argenti ſpeciem conſolidatur. Atque quod ipſa etiam Philoſophia miretur, præciſa aut effoſſa immaturé gleba poſt duos, tres, quatuorve annos formam argenti induit, quod quotidianis conſtat experimentis: ut ad aliorum montium invidiam fertilitati tam pretioſi metalli hunc ſibi natura delegiſſe videatur.

9. Execrandum tamen metallum quod tot hominum calamitatibus & mortibus effoditur: ajunt, & geme lector, ex quinque Indorum millibus, qui quotannis ad iſtos labores deſtinantur, non redire quadringentos, aliis partim morte abſumptis, partim ad ſylvas, cavernas, aut alios infideles diffugientibus. Effoſſum quantis non cladibus mundum involvit, quot non animas

mas præcipitem miſir in ruinam: infeliciſſimâ ſanè commutatione, ut ex infernis locis, ad quæ illud Deus damnaverat, magnis laboribus ab hominibus educatur: ipſi autem homines ſecũdum corpus animamque illius causâ ad inferna loca provolvantur.

10. Sunt in civitate Imperiali *Potoſia*, præter Eccleſiam principalem, parœciæ (parochias vulgò dicunt) omninò quatuordecim, quarum duas præcipuas *Sanctæ Barbaræ* & *Sancti Bernardi*, poſteà etiam tertiam *Capacabana* dictam, Auguſtiniani adminiſtrârũt, quas deinde, quòd ſubditos ſibi ludos contra opprimentium injurias defendere non poſſẽt, indignitate facti deſeruerũt, ne cum exiguo fructu magnis cupiditatis in tanta argenti copia illecebris diutius exponerentur. Quâ de causâ etiam longis *Potoſianorum* precibus, quibus ad novum illuc monaſterium invitabantur, teſtarentur, loca pauperiora & ob id alus neglecta prædicationi ſuæ deſignâres. A quo paupertatis pauperumque amore non civium ardor, non opulenta promiſſa, non ipſe locus miraculo S.P. Auguſtini quaſi præſignatus potuerunt illos avellere, donec tandem anno M.D.LXXXXV. lapſus temporum ac rerum mutatio ferreum illud propoſitum non quidem emollierunt, ſed docuerũt auctoReligioſorum, ac imminuto infidelium numero poſſe illos & horum neceſſitatibus & novæ coloniæ ſufficere.

11. Miraculum hunc in modum accidit. Solidus ſine pluvia effluxerat annus; quare in regione naturâ ſuâ ſterili arenosâq; omnia ſicciras miſerè vaſtabat: nullos terra fructus ferebat; pecora pariter homineſque fame & ſiti enecabantur tantâ calamitate, ut ſuperſtitibus extincti feliciores haberentur, quibus non aliâ ob cauſſam protrahi vita videbatur, quàm ut eſſent quotidie miſerãdorum funerum ſpectatores, ſtragis in hominibus magnitudo effecerat, ut projecta paſſim animalium corpora in illius parte nõ numerarentur. Inutiles erant tantæ montis divitiæ, tùm quia aqua, quâ molendina ad purgandas rudes glebas moverẽtur, defecerat, tùm quia nullus erat, qui argento comparati poſſet, cibus. Offerebantur vota, preces fundebantur, eleẽmoſynis nitius reddere cælum ſatagebant. Sed manebat illud quaſi ære fuſum, & indies calamiras augebatur. Quare conventu habito placuit aliquem è cæleſtibus patronum tantæ calamitati fortitione eligere: ſcribuntur in ſeparatis chartis nomina plurium, & tertiò conſequentet manus innocentis pueri nomen S.P. Auguſtini ex urna eduxit. Lecto repetitis toties vicibus nomine, & magnâ gratulatione accepro, mox fuſæ ſunt ad Divum tutelarem preces. Dixiſſes reiteratum Eliæ in cælos imperium. (a) Et fuit ſanè Elias Auguſtinus ſi non nomine certè zeli fervore. Serenum cælum mox nubibus obducitur, reſolviturque in copioſam pluviam, quâ non tantùm irrigari campi, ſitis levari poterat, ſed qua rivi per plateas profluerent. Tanti illis erat S.P. Auguſtinum, licet ſorte, patronum elegiſſe: illum ſcilicet, juxta cujus ſepulcrum fons perennis emanat; quem Eccleſia, ne pereat, flumen haber cuiq; in hymnõ teſti ejus dulciſſimo canit, *Et propinas potũ vitæ de pſalmorũ nectare.*

(a) 3. Reg. 18.

12. *Potoſienſes* miraculi magnitudine ſimul & opportunitate obſtricti ubique ſuæ eſſe gratitudinis ſigna voluerunt, in monte & civitate S.P. Auguſtini imagines, in præcipuo templo altare, inter parœcias unam patrono tam opportuno dedicatam, celebrabantque quotannis magnâ pompâ ſumptibuſq; ejus feſtivitates. Quem cultum & nomen ut apud ſe celebriora facerent, tanto conatu, ut ſuprà diximus, habere in ſua civitate Religioſos, qui ab ejus nomine vocarentur, ſatagebant, quorum poſtulationi vix tandem conſenſum fuit. Et quomodò diutiùs fuiſſent obluctati? ſuppetebant, quæ mitterentur, perſonæ; affulgebat major defenſionis adflictorũ ſpes, quæ fortior in Cõventu quàm in ſingulis reſidere

reſidere ſoleretipſe denique Auguſtinus raro prodigio hâc ſibi ſedem delegerat, verè Aurelius, ſeu, ut Feſto placet, Auſedius, quia aureâ ſede, quam illic cõſequi poterat, dignus.

13 Primi hanc coloniam auſpicătur P. M. Didacus de Caſtro Prioris. P. Ioannes del Canto Supprioris titulo, utrque laudibus maximis dignus, P. Ioannes de Chaves, P. Melchior Flores, & P. Ioannes Biſcainus, quos magnâ adfectus oſtentatione receperunt non magis effuſa obviàm multitudo, quàm Magiſtratus, primoreſque: Et perſeverat in libris computuum Conventus tàm evidens benevolentiæ civium monumentum. Refert P. M. Antonius de la Calancha ab anno M. D. LXXXIV, quo primùm intrarunt Auguſtiniani, ad annum M. DC. XI. quo ipſe ibi Eccleſiaſten agebat, in dictis libris notata fuiſſe quingenta triginta quinque peſorum millia, quę pro eleẽmoſynis fidelium devotio contulerat, ſupra candelabra, lampades & calices. Centuriones Indi (hi ſunt qui cæteros ad opera Indos in monte diſtribuunt) Confraternitatem in feſtivitate Virginis Aſſumptę inſtituerunt & obſervant ſolemniſſimam.

14. Monaſterio temploq; ſeu materiam ſpectes ſeu artem, ſeu imagines; nullum eſt in tota civitate auguſtius. Sacella eâ magnificẽtiâ excellũt, ut regia eſſe opera credas: alterũ Chriſto Crucifixo, alterũ Virgini Dei-paræ eſt ſacrũ. Cui ad initiũ monaſterii alterũ Sacellum eidem Virgini ſub titulo de *Aranzazu*, appellatione *Biſcainâ*, ſacrũ correſpondet quoddã artis & pulcritudinis exemplar, in quo cultus divini pompâ, incertum, an in pauperes liberalitate Confraternitas magis excellat. Hoc opus *Baſcongadis* (a) Ordo debet, quique in eo ſepulturæ jus habent. Senſerunt tamen egregiam Auguſtinianorum gratitudinẽ *Baſcongadi* in miſeris cruentiſque bellis civilibus, annis M. DC XXII. & ſequenti, in quibus multis ſuorum funeribus infirmiores effecti nullum non auxilij genus animis corporibuſq; in Auguſtinianis invenerunt.

(a) los Baſcongados.

CAPVT V.

Quædam S. Nicolai de Tolentino Potoſiæ miracula: & horrendæ ibidem blaſphemiæ exemplum.

QVIS in orbe Chriſtiano locus, qui ignorat, imò qui non eſt expertus S. Nicolai beneficia miraculaq.? *Dictum Brabantiæ* oppidum, in quod ab annis retrò triginta quatuor (b) Auguſtiniani commigrârunt, & in quo hæc anno M. DC. XLVIII. ſcribo, quædam mihi evidentia non difficulter miniſtraret. Sed memini me de Peruvia nunc ſcribere, ac *Potoſiæ* eſſe. 1.

(b) anno ſcilicet 1614.

2. Erat hîc aër infantibus Hiſpanis tam infauſtus & inſalubris, ut aut nondum aut vix natos mox extingueret; certâ ferè horum condemnatione, & ineluctabili parentum omniumque verè Catholicorũ luctu. Obſervabatur non ſupereſſe quempiam ultra decimum quintum diem. Quapropter matres de utraque, animæ ſcilicet corporiſque ſuarum prolium ſalute ſollicitè ad vicinas valles parituræ ſecedebant, non antè prolem reducentes, quàm primum ætatis annum exceſſiſſet, nec iſtâ ſatis ætate tutam contra aëris injuriam. Vtroque malo infortunatiſſimus fuit Franciſcus Flores vivens etiamnum anno M. DC. XXXIII. & Audientiæ Limenſis Secretarius. Huic enim aut viva proles non naſcebatur, aut relata è vallibus moriebatur. Erat ille jampridem cultui S. Nicolai addictus, atq; ex mali magnitudine fiduciam augens ſtatuit non ultrà permittere ut uxor ad valles paritura *Potoſiâ* exiret, ſed offerre prolem S. Ni-

colao, & ſuum illi nomen imponere. Quod factum cùm non temeritatis modo ſed crudelitatis ab omnibus notis accuſaretur, reſpondit, in ſola ſe de S. Nicolai ope fiducia ſecurum vivere. Naſcitur ei filius pridie Nativitatis Dominicæ anno millesimo quingenteſimo nonageſimo octavo, vocatur Nicolaus, quem non tantum contra aëris iniquitatem S. Nicolaus ſervavit, ſed plures ab eo infirmitates manifeſto miraculo diſpulit; fuit hic primus qui quinquaginta trium annorum ſpatio potuit ex Hiſpanorum filiis in vivis conſervari. Supervixit autē multis poſteà annis, atque in Vniverſitate Limenſi Lauream doctoralem accepit, appellatus, Doctor Nicolaus Flores, factus etiam Capituli Rector. Novitate miraculi etiam cæteri fiduciâ de S. Nicolai auxilio importunum ſuarum uxorum exilium votis S. Nicolao nuncupatis redimere auſi ſunt, quare quotquot iſtis temporibus naſcebantur, Nicolai nomine appellabantur.

3. Idem Nicolaus adhuc puer utrimque rumpebatur defluxerantque inteſtina, clauſo & indurato rupturæ orificio, ut nullâ medicâ manu aut fomentis poſſent reduci, certo mortis periculo. Sanctum ergò Nicolaum collati priùs beneficii admonent, rogantque ne perire permittat ſolitario malo, quem contra communem omnibus infantibus calamitatem ſummo miraculo defenderat. Et fuit ad preces auritus S. Nicolaus momentaneam illi ſanitatem impertando.

4. In eadem urbe paniculus in honorem S. Nicolai benedictus injectus tribus diverſis vicibus locisque in furentes incendio flammas, toties ignem extinxit. Varias infirmitates, maximeque febres, toties curavit, ut numerus iniri nequeat.

5. Antequàm *Potoſiâ* egrediamur, audi lector execrandæ blaſphemiæ, & prædeſtinationis divinæ ipſa etiam peccata ſuorum electorum in bonum deſtinantis exemplum. Anno milleſimo ſexcenteſimo duodecimo in xenodochio *Potoſienſi* curabatur miles quidam genere nobilis, cognomine Oroſco, homo corpore obeſo & vultu ferox. Hic blaſphemo ore multa contra Chriſtum, mul a contra Sanctos effutire auſus eſt. Credebantur hęc initio male-ſani deliria, verùm dùm curioliùs diutiuſque obſervantur; præſertim cum audirent dialogum cujuſdam interiùs loquentis, & reſpondentis clarâ voce militis, poſſeſſum à dæmone putare cœperunt. Voces reſpondentis erant, *Quid me vis? quod imperas ago, &c. quod promiſi, implevi: tu autem cùm multa mihi ſponderis, præſtitiſti nihil.* Vocatus à præſectoribus P. M. Antonius de la Calancha Auguſtinianus hujuſque hiſtoriæ ſcriptor, mox accurrit, invenitque inter trepidam multitudinem obſcœnum militem nullo diſcrimine Chriſtum Sanctoſque blaſphemantem, quem eum reducere ad bonam mentem rationibus laboraret, tantus fit undique, vulgarâ famâ, populi cōcurſus ſtrepituſque, ut intelligere mutuò non poſſent. Silentio per Magiſtratos imperato & impetrato, auditus fuit miles in P. M. Antonium furiosè hæc effundere, *Cur te fruſtra fatigas? Chriſtum abominor, abominaborq; in perpetuum. Certò damnatus ſum, atq; ex hoc, in quo decumbo, lecto proſpicio ſulphureum ignem mihi in inferno paratum.* Incaſsùm dicebantur omnes admonitiones: ſi oculis ejus Crucifixus offerebatur, contemnebat, avertebatque indignantem vultum; quin & arreptum è P. M. Antonii manibus in frontē adſtantis mulieris non ſine ejus læſione injecit. Quare exorcizatus eſt à Curione & dicto P. Antonio: ipſe verò exclamare non deſinebat, nullū ſe dæmonium in corpore habere, ſed ad cervical, qui bonis pollicitationibus ſed mendacibus ſe credulum decepiſſet, reddidiſſetq; obnoxium: deſinerent propterea ſibi moleſti eſſe, qui brevi eſſet ad inferni tormenta abiturus. Nihil omiſit, P. M. Antonius quod ad commendationē divinę miſericordię & oſtēſionem

ſionem fraudum dæmoniacarum facere videretur; illam nunquàm ſerò cum factorum pœnitentia implorari, has ſemper debere contemni. Inter quæ nonnunquàm P. Antonium interpellans rogabat ut conviciis fraudulentum dæmonem proſcinderet, ſed mox ad blaſphemias revertebatur. Tandem tœdio longarum repetitarumque inutiliter monitionum adfectus P. Antonius, mutatâ obteſtationum ſuavitate acriter militem perſtrinxit. *Nan te*, inquit, *pudet hominem nobili genere natum ac in fide Catholica educatum, vilium hominum, Iudaeorum ac infidelium ineptiis & inſaniis agi? Ediſſere tanta ſtultitia cauſam.* Ille clarâ, & quæ à circumſtante multitudine facilè intelligi poſſet, voce ita reddidit. *Chriſtum odi atq; abominor, quòd, cùm plebaiis vilibuſq; hominibus divitias det plurimas, me nobilem & debitis obſtrictum non ferendâ paupertate premat: magnâ inſuper invidiâ abſtulerit ſæpe, quæ fueram lucratus: obſervavi non ſemel, quòd in eadem lucri occaſione, quâ alii ex miſeria ad divitias ſurrexerunt, ego ex ſtatu antea tolerabili in miſerias ſim devolutus. Neque compatitur unica & adflicta filia mea, cui honeſtè collocandæ, ut bis mille peſa & creditori octingenta compararem, in has terras, quas auro argentoq; in Hiſpaniis fama, nec, ut video, vana erat, abundare, tantis diſcriminibus tranſmiſi. Solus filia mea meoq; honori invidet Chriſtus. Egone, ſi ad diem condictum datam mutuò pecuniam non reddam, infamem me apud homines haberi patiar? Videat me potiùs infernus damnatum, quàm habeat mundus impoſtorem.* Infelix nobilitas quam non unâ in re brevis vanuſque mundi honor adeò excœcat, ut Deum contemnere, quàm homines; divina flocci-facere judicia, quàm humana; perire in æternum malit, quàm inhonoratum in mundo vivere, idque non apud ſapientes ſed æqualiter inſanientes! P. Antonius bono eſſe animo militem juſſit, exiguam eſſe ſummam, ac non difficulter ad ipſius votum colligendam. *Quantò*, ait miles, *minor eſt, tantò magis indignor & excandeſco, atque ideò ab injurio & immiti Chriſto ad dæmonem me converti. Sed ſi injurium Chriſtum, dæmonem expertus ſum mendacem, qui montes mihi aureos promiſit; ſed ne glebam quidem tradidit: inſuper alligatum me hîc tenet obligatq; ad blaſphemandum & deſperandum; nec profuturam ait tantis meis peccatis ullam pœnitentiam: Sola mihi ſupereſſe dæmonum conſortia & inferni incendia, quæ oſtendit.* Hoc dicto tacuit atque ad parietem vultum convertit. P. Antonius autem & fiduciæ in Deum defectum ei exprobrare, & inculcare præteritorum peccatorum pœnam, & proponere altitudinem divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei (a) meliùs aliquid de illo ejuſque filia per paupertatem quam divitias diſponentis, non deſtitit: non eſſe item divites omnes qui apparent, mutuo creditoque plurimos ſplendidos videri: nec dari omnes divitias à Deo, comparari ea furtis & homicidiis, uſuris, concuſſionibus, injuſtis negotiationibus, iniquis contractibus, fallaciis. Deinde ad mendacia dæmonis cum ad deſperationem incitantis orationem deflexit. Erant intereà qui neceſſariam militi ſummam certatim offerrent, promitterentque ſuis eam ſumptibus & diſcrimine in Hiſpaniam trajicere; quod & mox ac vidente milite præſtiterunt, addentes inſuper non pauca peſa in Sacrificiorum ſtipendium, quæ pro ſalute militis offerri volebant. Hâc Chriſtianâ charitate commotus Oroſéo ſe ſuamque perfidiam multis nominibus deteſtatus eſt, rogavitque an eſſe tot tantiſque ſuis ſceleribus major divina miſericordia poſſit. Cùm omnes incunctanter annuiſſent, *fugate*, clamat, *à me dæmonem qui ſuffocare me nititur: injicite illi benedictam limpham. Abſcede cruente & deceptor, quidquid dicis mendacium eſt, deſere creaturam Dei quam Chriſtus ſuo ſanguine redemit, ad quem rursùm tibi abrenuntians totâ cordis contritione me converto.* Et dedit ſanè

(a) Rom. 11.

contritionis ſigna luculenta, abſolutuſque à peccatis ac Dei-paræ opem implorans poſt paucas horas uſum linguę perdidit, os tamē lateri Chriſti conſtantiſſimè, donec brevi exſpiraret, adfixit: felix nimiùm, cui datum eſt in ipſa morte, ore paulò antè blaſphemo per apertum vulnere latus viſcera miſericordiæ exſugere. Exclamo cum gentium Doctore, *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus & inveſtigabiles viæ ejus!* (a) *Verè non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei.* (b)

(a) Rom. 11. (b) ibid. 9.

CAPVT VI.

De monaſterio Valverdenſi in valle Ica.

1. VALVERDA civitas, quam vetere gentis vocabulo *Icam* à valle, in qua ſita eſt, vulgò nominant, quinquaginta leucis, quàm Lima, eſt meridionalior in decimo quarto latitudinis meridionalis gradu, haberque longitudinem uno circiter gradu Limâ majorem.

2. Vallis hæc amœna eſt fertiliſſque herbarum & fructuum, Hiſpanorum non minùs quàm Indicorum, tritici, maizii, leguminum, melonum delicioſiſſimorum, ac optimi vini quàm latè *Naſcam* uſque & *Piſcum* extenditur. (eſt autem *Piſco* portus frequentiâ mercatorum inter Peruviæ præcipuos, undè vinum hoc magnâ copiâ avehitur) Campos altiſſimæ arbores, quas *guarangales* dicunt, non invenuſto aſpectu cingunt, quarum lignum cùm admodùm forte ſit rigidumque multarum rerum uſibus ſervit. Palmæ copioſæ ſunt & dactylorum frugiferæ: dactylorum nucleos ſi feras Lunâ ſecundâ, enaſcentur palmæ quæ ſecundo anno dactylos ferant; ſi Lunâ tertiâ, tertio anno; ſi quartâ quarto, ut mirabili ſympathiâ annus lunam fœcunditate ſequatur. Ventus ut plurimùm ſpirat Auſter ſalutatis gratuſque; nonnunquàm Aquilo aſper & tempeſtuoſus.

3. In hanc civitatem mandato Proregis Martini Henriquez coloniam deducere juſſi ſunt Auguſtiniani anno M. D. LXXXIII. primique illuc per P. M. Ioannem de Almaraz Provinciæ Rectorem (tunc Vicariū nominabant) Evangelii ſatores miſſi fuerunt P. Chriſtophorus de Vera S. Theologiæ Licentiatus, P. Auguſtinus de Vargas; P. Ioannes de Villafranca. Anno autem ſequenti Comitia Provincialia locum Ordini adſcripſerunt, conſtituto Priore P. Franciſco de Veneza, adjunctoque P. Rodericio Cabello, quorum ſtudia laboreſque perpetuâ ſunt memoriâ digni: cui etiam nomina ſua conſecrârunt eleëmoſynarum magnitudine Chriſtophorus Sanchez Bilbao & Maria de Elquivel conjuges, qui ædes ſuas fundoſque noſtri monaſterii fundationi conceſſerunt, clari prætereà erectione Hiſpitalis S. Didaci in civitate Limenſi, quos novis ſemper divitiis Deus multiplicavit ut plura darent.

4. Sunt in hoc Conventu ſtatuę tres miraculorum famâ nominatę, de quibus ordine pauca dicenda.

CAPVT VII.

Miraculum S. P. Auguſtini.

1. ET prima quidem S. P. Auguſtini ſtatua eſt, quam magno artificio Limæ ſculptam felici navigii curſu *Piſcum* advexerunt: quā cùm exponere in terram cogitarent, intumeſcens furenſq; ſubitâ tēpeſtate mare

mare omnia ſurſum deorſumque jactabat, ut magnis fortiſſimiſque vix navibus parceretur, tantum aberat ut lembis tutum eſſet. Convenerũt nautæ alterum diem expectandum, qui præcedente ſævior nantas ipſos de ſua incolumitate ſollicitos habebat, creſcente continuò ad quartum uſque diem concuſſione. Tùm Religioſus, qui ſtatuam deducebat, fiduciam ex periculo augens, illam lembo imponere ac ad terram deducere planè ſtatuit, concurrentibus non-nullis in eandem ſententiam, pleriſque autem temeritatis factum condemnantibus. Sed vicit fiducia in Sanctum Auguſtinum rationes humanas. Imponitur lembo ſtatua, intrant cum ea ſervitii causâ religioſiores pauci, aliis horum etiam periculo trepidantibus: verùm illo ipſo momento tàm placidè mare conquievit ut ne criſpari quidem aqua videretur. Vndique tàm ab his qui in navigiis remanſerant, quàm illis, qui in litore de ſe ſecuri ſtabant, *miraculum* conclamabatur; & in hoc ipſum excitata à Deo tempeſtas putabatur, ut glorioſiùs S. P. Auguſtinus tot ſacrorum exercituum Dux, eâ ſedatâ intraret. Factum certè, ut *Piſcenſes* hũc maris, quod tot eorum ſpoliis ſuperbiebat, domitorem ſummo fuerint cultu venerati, petierintque, ut magis eum propitium haberent, ejus aſſeclas perpetuos in ſua civitate colonos. Et conceſſi ad aliquod tempus quatuor.

2. Eodem prodigii loco habitum à nonnullis, quod ſubnecto. Mula arcam, quâ ſtatua S. P. Auguſtini claudebatur, geſtabat; comitabatur venerationis causâ nõ exiguus Hiſpanorũ Indorũq; numerus; irruẽs ſubitò ſolitoq; citiùs nox denſis tenebris terras perfuderat; viæ ſcitu & ad iter inæqualitate difficiles anxios omnes habebant; & dùm quilibet certiores ſerutatur, huc illucq; per errores defluẽte comitatu mula itinere ſuo perrexit perveniťq; ad domos de *Villacuri*, quò omnes diverſis ambagibus ducti tandẽ nullo accepto incõmodo convenerunt, læti de divina protectione & mutuò aſpectu; dùmque ſuos quiſque errores enarrat, nemo fuit qui inſolitũ fuiſſe ductorem non fateretur. Quare duplicis miraculi fama, quæ prævolaverat, & frequentiſſimum ex tota Valverda ad ſpectaculum populum excivit, & auxit feſtivam pompam novo Tutelari futuro S. Auguſtino, cujus patrocinium poſteà non ſemel ſunt experti.

CAPVT VIII.

Miracula aliquot S. Nicolai Tolentinatis.

ALTERA in monaſterio *Valverdenſi* ſtatua fuit S. Nicolai Tolentinatis non infructuosè culta. Prima cæleſte ejus beneficiũ experta eſt Anna del Caſtillo Didaci de Morales cõjux. Hæc malo, de cujus curatione medici deſperabant, afflicta, ad ejus, cui in elementa omnia, omneſque prorſus morbos amplum à Deo imperium tributũ ſciebat, S. Nicolai ſcilicet Tolentinatis auxilium forti prece & uberibus lacrymis confugit, impetravitque ipſo momento ſanitatem. Illa Archiatro ſuo non ingrata annuo cenſu, cui in præcipuis ſuis bonis hypothecam conſtituit, ſacellum ejus, ne nnquàm ornamenta deficerent, ditavit: credidítque poſteà eum ſe habere velut hoc ſtipendio conductum, tantâ ejus opem fiduciâ in quacumque neceſſitate imploravit. 1.

2. Hujus fiduciæ magnitudinem conſtantiamque oſtendit prorſus ſingularem, dùm filiam ſuam vidit morti proximam, morbum vero humanum conſilium ſuperare. S. Nicolaum interpellat, non exauditur: reiterantur ſæpè ad eundem preces:

 obtura-

obturatas puraſſes Sancti tam veloeis aliàs auditûs aures. Ita ſciebat S. Nicolaus Præceptorem ſuum Chriſtum ſupplicantium nonnumquàm preces aut neglexiſſe (a) aut fuiſſe cum conviciis averſatum, (b) ut fidem eorum patientiamque redderet illuſtriorem, vel ut beneficium conferret cumulatiùs; certè ut omnes perſeverandi in precibus doceret exemplum. Aderant agonizanti filiæ Auguſtiniani, neque aliud expectabatur quàm ut ſupremum ſpiritum morbi violentiâ protruderet. Nec hîc deſperavit mater, ſed ab aliis tâtiſper ſecreta *Mi ſancte*, dixit, *Sancte glorioſe cujus precibus aſſa aliquando & concîſa perdix vitam alaſq; reſumpſit & evolavit, redde ſanitatem filiæ adhucdùm, quamquàm languidè, ſpiranti.* Recurrit ab oratione ad filiam anxia, & reperit ſine moriendi periculo quietam: oravit rurſus & integram intrà paucos dies obtinuit ſanitatem. In beneficii accepti memoriam multo tempore filia habitum S. Nicolai induta inceſſit.

(a) Mariæ Magdalenæ pro Lazaro orantis.
(b) Mulieris Cananææ rogantis pro filia.

3. Iſtâ miraculorum in ædibus Annæ del Caſtillo continuatione credere populus incepit illas hoſpitale quoddam eſſe, cui S. Nicolai auxilium ſi non obnoxium, certè uſitatum eſſet. Quapropter ád illas pater filium moribundum detulit, quem cum ulnis ſuis Anna, quàm poterat, molliſſimè exciperet, extenſo corpore jactatoque capite ac poſteà languidè reclinato, vitam finiiſſe ab utroque credebatur. Anna verò etiam poſt vitam poteſtatem S. Nicolai extendi planè confidens bono eſſe animo patrem juſſit, atque in Conventu Auguſtinianorum Sancto Thaumaturgo filiolum conſtanti fiduciâ offerre. Habuit obſequentem in re deſperata patrem, qui mortuum, uti rebatur, filiolum altari S. Nicolai impoſuit, oravit ne ſe ſolum inter tot cultores miſerum eſſe pateretur, ac cum repulſa rejiceret, inter quas preces agitare ſe puer cœpit, & plenè vivere, ut omnes non ſanatum puellulum ſed reſuſcitatû indubitato miraculo acclamarent. Idem multos poſteà annos ſupervixit præco miraculoſæ ſuæ vitæ.

4. Et hæreditariâ quâdam ſucceſſione ad poſteros Annæ del Caſtillo S. Nicolai patrocinium tranſmitti videbatur, ejus ſiquidem nepos ob reverentiam illius, quem plurimùm venerabantur, nomine Nicolaus annos natus ſeptem, gravi infirmitate ita obruebatur, ut tertio die periculo mortis, amiſſâ loquelâ, urgeretur. Parentes ejus conſanguineique oratione ad ſolitum in familia medicum S. Nicolaum confugerunt: vix orationem abſolverant, cùm puer in hæc verba prorupit, *Succurre mihi Sancte Nicolae:* ex quo tempore ita in meliùs fuit mutatus, ut intra pauciſſimos dies robuſtiſſimâ ſanitate frueretur.

5. Tot beneficiis provocati Didacus de Morales & Anna del Caſtillo ſtatuam S. Nicolai Piſci ſculpi curarunt artificioſiſſimè. Sed neo hæc ſine evidenti miraculo *Valverdam* allata fuit. Eam dùm deferretur, comitabantur P. Ioannes Serrano, Didacus de Morales, &, honoris causâ, non infrequens ſocietas. Turgebat inſolitâ aquarum acceſſione *Mamacona* fluvius, rapiebaturque majori impetu, quàm ut uſitata vada mulioni tuta viderentur, quapropter ſtatuam aut comites tranſmittere pervicaciter detrectabat; illi fiduciâ Sancti, cujus ſtatuam ferebant, audaciores, obluctante mulione, illam mulo, qui inter cæteros fortiſſimus videbatur, imponunt, adiguntq; ad tranſvadandum. Vix ungulis ſupremam aquam contigerat, cùm tantâ velocitate contrà naturam in ſui fluxus originem retroceſſit, ut vix pedum extrema mulus iſte ſequenteſque tranſeundo humectarent. Vt verò in adverſam ripam evaſerant, ſubito quodam ſonitu conſternati vident duplicato impetu *Mamaconam* aquas, quas ſuperiore impetio reduxerat, in declivia profundere, reputaruntque ſe nihil imporentius aut minus ſacratum quam arcam, quæ Iordanem retrorſum

terrorſum convertit, dedocere, quotidie ad S. Nicolai venerationem ardentiores.

CAPVT IX.

Miracula S. Ioannis Sahaguntini.

1. TERTIA in eodem monaſterio ſtatua S. Ioannis Sahaguntini fuit, habuitque à duplici in una familia miraculo exordium. Celeberrimus erat per totam Peruviam S. Ioannis cultus propter frequentiſſima, quæ ubique Incolarum, patrabat miracula. Quare magnâ cum devotione venerabatur Ioannes de Eſpino in valle *Icenſi* domiciliũ habens, iſtius Divi patrocinio fortunatior, quàm conjugis infidelitate infelix. Ferebat thori opprobrium impatienter, laborabatque ut ſe ab eo liberaret ſcelere non minore, morte ſcilicet aut alterius aut utriuſque adulteri. Non latuit hoc conjugem, ut eſt ſagax in remedia malè-conſciæ mulieris animus, ac proinde præoccupare crimen mariti maluit ſuo. Adultero ergò indicavit & utriuſque periculum, & quo prævenire impendens ſuis capitibus malum poſſent, modum: locum item, tempus, ac horam ad opprimendum incautum maritum opportuniora. Omnia non ſegniter adulter arripuit & mortis formidine, & ſpe ſecurioris libidinis: ut tamen periculo minore maritũ invaderet, aliũ in parricidii cõſortium inglorius adlegit. Adſunt uterq; tubo militari armati ad ædes adulteræ nocte intempeſtâ; occupatoque, ex quo certiores eſſent & tutiores inſidiæ, loco, in adverſarium dùm hinc dùm indè adulter collimat, non explodit, ut vagum hunc diſcurſum ac timiditatem ſocius ei exprobraret. At adulter, Video, ait, inter me hoſtemque, quocumque me vertam, medium Auguſtinianum, quem, cùm alium nequeo, nefas duco occidere lædereve. Nihilo ſegniùs tamen, an non aliqua ex parte pateret Ioannes de Eſpino, explorat, eundem ſemper cernens defenſorem. At ſodalis moræ impatiens irreligioſiorq; in obverſam patrem, quocumque ictus ferretur, jaculatus, non niſi ſummam cotem leviter perſtrinxit exiguo Ioannis incommodo: ut ipſi tandem tanti incaſsùm ad nocendum ſtudii tædio adfecti ac religione ſpectri perculſi non tantùm à nocendi voluntate ſponte deſtiterint, ſed oraverint inſuper fidelioribus & propoſiti ſui crudelitatem, & interpoſiti Auguſtiniani impedimentum. Qui rumor, uti difficiliùs ab amicis concreditæ res quàm ab ipſis autoribus patratæ ſilentur, cùm ad Ioannis aures perveniſſet, B. Ioannis Sahaguntini, quem jampridem egregiâ devotione colebat, patrocinio ſervatam ſibi vitam privatis publiciſque ſermonibus incunctanter adſcripſit.

2. Parum B. Ioanni erat corpus clientis ſui à læſione ſervaſſe innoxium, niſi animam adulteræ à parricidii pariter & damnatæ libidinis cupiditate revocaret. Nam cùm illa ſervati mirabiliter mariti occaſione altiùs conſideraret, quàm ſint Cælitibus curæ res omnes inferiores, pudore non minùs præteritorum criminum confuſa, quàm territa ſuperventurâ vindictâ, accedentibus inſuper mariti ad S. Ioannem fervidis pro ea precibus, protinus in melius mutata, proſtituti paulò antè totius civitatis, facta eſt ſanctitatis exemplum, admirantibus cunctis non magis ſupernæ bonitatis magnitudinem quàm prudentiam bona ex malis tàm incredibiliter educentis. Illa patrono ſuo non ingrata cum marito ſponte hinc inclinato peregit, ut ſculpi B. Ioannis ſtatuam, quàm poſſet artificioſiſſimè, curarent, cenſibus prætereà perpetuis ſacriſque ejus altare honorarent

norarent, ſeipſos ejus ſervitio conſecrantes. Poſt beatum mariti exceſſum illa omnibus omninò mundi vinculis ſoluta, tota bonorum operum exercitiis intendit. Oratione continuâ, cujus fervor lacrymas ſæpe-ſæpiùs, ſuſpiria ſemper exprimebat, templum occupabat, ſolita non aliter B. Ioannem nominare, quàm *Sanctum remedii mei*, *Sanctum animæ meæ curatorem*. Bona in pauperes liberaliſſimè profundens, etiam domi ſuæ ægrotas mulieres alebat magnâ charitate, curabatque. Sæpiſſimè his officiis non contenta in publica involans xenodochia, infirmorum ſordes, quæ ſemper ſolent eſſe maximæ, nullâ nauſeâ ſed magnâ alacritate eluebat, quòd ſciret à quantis animam ſuam putoribus Superûm benignitas purgâſſet.

3. Experta eſt & aliud eadem vidua, jam ſpeculum bonitatis divinæ, in ſua familia B. Ioannis patrocinium. Agitabantur damnatâ conſuetudine tauri, qui illic ſolent eſſe ferociſſimi, ac proinde infortunia ab illis ordinaria. Incidit neceſſitas emittendi ob negotiū famulam, ſed probè monitam ne ad cruentorum ſpectaculorū loca accederet. Nondum de famulæ obedientia ſecura vidua eandem feriâ prece S. Ioanni Sahaguntino commendavit: at illam ſexus ſui vitium curioſitas abripuit ad locum, quem maximè cavere erat edocta; ubi mox à ferociſſimo tauro invaſa curioſitatis ſuæ pœnas non leves immitibus cornuum ictibus dedit: nemo tamen miraculo adſcribere dubitavit, quod tantæ tauri ferociæ puella ſupervixerit illæſa.

4. Immiſericors prorſus urinæ malum non intermiſſè adfligebat Franciſcum Lopez Gutierez, cui omnia Medicorum remedia erant inutilia: corporis dolores animi ægritudo exaſperabat, nam cùm ſex ei filiæ eſſent nondum collocatæ, ſentiebat tamen ſe dolorum magnitudine ad mortem non lentè urgeri. Rebus ita undique deſperatis alium medicum invocavit: is S. Ioannes Sahaguntinus fuit, cujus patrocinium tam promptum ſenſit, ut perfecta vix factas preces curatio ſequeretur: agnovitque Franciſcus magnâ liberalitate, & perpetuâ memoriâ beneficium.

5. P. Didacum Salmeron ex Hiſpania in Peruviam attuliſſe pictā B. Ioannis Sahaguntini effigiem alibi narravimus. (a) hæc multis ubique per vaſtum illud imperium miraculis celebrabatur. Hanc cùm *Iconem* idē P. Didacus detuliſſet, in altari S. Nicolai collocavit, quæ neque hîc parcior quàm alibi miraculorum fuit. Duo ex crebris adſcribam. (a) lib. 6. cap. 7.

6. Reſolutione nervorum impotentior facta erat Polonia mulier Valverdenſis, quàm ut pedem extra cubiculum efferre poſſet: & jam duos annos iſto malo incluſa tenebatur, cùm eam altera fœmina officiosè viſitavit, quæ ex mali conſpectu querelisque patientis deducta eſt ad enarrationem miraculorum, quæ B. Ioannes Sahaguntinus patrabat per totam Peruviam plurima, ejus effigiem ex Hiſpania allatam in templo Auguſtinianorum expoſitam egregiâ populi devotione coli. Polonia conceptâ novâ curationis fiduciâ maritum rogavit, ut ſe ad Beati imaginem deferri curaret. Preces maritus, non minùs fervidè, quàm illa rogaverat, per quatuor portitores implevit, conſtituitque ante Beati effigiem, ibi intenſiſſimâ (anxerat doloris ex agitatione incrementum orandi ſtudium) prece ſuam expoſuit miſeriam, remediumque popoſcit. Poſt preces ita B. Ioannem allocuta eſt, *Sancte benedicte, nùm levare me ac pedibus conſiſtere potero?* ſurrexit, conſtititque pedibus. Ex mirabili ſucceſſu fiduciam augens proſequitur: *Sancte mi, poterone ad altare tuum pervenire?* ivit eâdem facilitate, quâ potuiſſet ante morbum. Perrexit in precibus dixitque, *Sancte glorioſe, An non & genua flectere?* Flexit nō difficulter. Obſecravit deinde ut ad altare Chriſti Crucifixi accedendi poteſtas daretur: progreſſa fuit illuc regreſſaque ad B. Ioan-

B. Ioannis effigiem nullo incommodo. Tunc illa *miraculum*, exclamavit, *miraculum: perfectè ſana ſum*. Idem exclamaverunt quotquot rerum tàm inuſitatarũ ſpectatores fuerant. Fama è templo erumpens plurimos ad ſpectaculum concit, accurritq; cæteris velociùs maritus, quem, actis publicè gratiis, repetitoque non ſemel ob alios alioſque non uno tempore advenientes miraculi modo, ad ædes firmitate integerrimi hominis in multorum, quos aliquoties audita hiſtoria nondum ſatiaverat, conſortio comitata eſt.

7. Dicta Polonia poſt paucùlos ab hinc elapſos dies aliam quandam fœminam viſitationis officio honoravit eodem malo laborãtem complures jàm annos: cui cùm beneficium ſibi à B. Ioanne impenſum memorandi magis ſuavitate quàm neceſſitate indicandi miraculi, quod jam antè fama vulgaverat ut neminem lateret, recitaſſet, leni gravitate alterius tarditatem reprehendit, quod nequidem tãtâ miraculi famâ tanquàm tubâ clarè ſonante excitaretur, cõvolaretve ad Sancti tàm munifici opem. His verbis incenſa, damnanſque præteritæ incuriæ ſtoliditatem obortis lacrymis nomen B. Ioannis patrociniumque invocavit, animumque in ipſa precatione augens ſurrexit è lecto, & atrium magno gaudio perambulavit, non tamen iiſdem viribus, quibus ſana anteà ſolet. Atque arbitrata non eſſe negligendum tempus, quod Divus munificentiæ deſtinaſſe videbatur, nullâ dilatione, intempeſtâ noctis horâ voluit ad templum Auguſtinianorum deferri: noctem accenſis copiosè ante Divi effigiem luminaribus conſpicuam reddidit, exilienſque è ſella geſtatoria nihil requiſivit ad priſtinæ ſanitatis ſoliditatem.

CAPVT X.

Vita B. P. Antonii Locano, magni Peruviæ Apoſtoli.

MAGNVM non immeritò dixi, qui non unâ ratione hunc ſibi titulum vendicavit; diuturnitate temporis quo munus Apoſtolatus geſſit; vaſtitate & magnitudine Provinciarum quas legibus Catholicis Politicisq; inſtruxit; numero hominum quos baptizavit; multitudine Religioſorum quos ad idem munus ſuis verbis & exemplis inſtituit animavitque. Quæ omnia ſubjecta hiſtoria planè edocebit. 1.

2. Antonium hunc civitas Salmanticenſis Vniverſitate celeberrima mundo dedit, ejuſdem civitatis monaſterium Ordini Auguſtiniano ac Peruviæ. Ab ipſis Religionis incunabulis oratio, pœnitentia, ac obſervantia notatæ in eo ſunt ſingulares, quas ſucceſſu temporis rarâ doctrina ornavit, & publica eloquentia reddidit illuſtres. Nunquàm verò magis patuerunt charitatis fervor & zelus animarum, quàm cùm Carolus V. æternâ memoriâ dignus Imperator & Hiſpaniarum Rex ab Ordine Auguſtiniano petiit operarios in novam ac multam meſſem Peruanam: ipſe namque inter primos nomen dedit, &, quod egregiarum erat virtutum indicium, admiſſus eſt. (a) Nulla eum illuc traxit cupiditas aut honorum aut divitiarum, ſed ſolum vel converſionis infidelium vel proprii martyrii deſiderium, neque illud impetu quodam, ſicut non rarò fieri ſolet, exæſtuans, ſed maturo conſilio & frequenti oratione præparatum; ante quam nihil reſolvit. (a) lib. 4. cap. 2.

3. Dato nomine tantùm aberat ut quidquàm de ſolita precādi conſuetudine relaxaret, ut pænè è Choro non diſcederet; ungebat ſcilicet ſe hoc modo fortis ille athleta ad bella in Peruvia ſubeunda. At verò ſpiritus infernales tantis orationum viribus quantùm ſuo imperio adimeretur non ignorantes, illas in ſuo ortu ſuffocare ſtatuerunt aut perſuaſionibus occultis, aut violentiâ manifeſtâ. Inſanum prorſus & imprudens conſilium, quod ſi aliquando dæmonibus profuit contra juſtos, nunquàm contra intentos orationi, quæ, ſi S. P. Auguſtino credimus, *eſt oranti præſidium, dæmonibus autem flagellum & ſupplicium*. Sed incertâ victoriâ certamen tentare, quàm continuò ab orante Antonio vapulare maluerunt. Primò igitur variis tumultibus terrere ac loco movere moliuntur, maximeque quâdam nocte, quam inaudita Salmanticæ tempeſtas omnibus formidabilem reddiderat: cælum denſiſſimæ tenebris nubes offudebant, inter quas magno & vario ſonitu tonitrua mugiebant, & crebra intercurrebant fulgura: aqua item ac grando tam copiosè projiciebantur, ut aliquod in cælo mare glaciale ruptum crediidiſſes. Ac ita quidem totam civitatem, horribiliùs tamen Auguſtinianorum monaſterium præcipueque Chorum concitabant, ut quid in extremo malo conſilii caperent incerti Religioſi attoniti Chorum deſeruerint omnes, uno excepto P. Antonio, qui flexis in terram genibus afflictæ civitati ſecurè indulgentiam precabatur. Quare non tantùm vinci ſe precibus, ſed etiam illudi ſibi orantis ſecuritate indignati frementeſque dæmones, terribilibus figuris Chorum implent certi aut occidere P. Antonium, aut lædere. Vndique ergo orantem invadūt variis armis, quæ obvia furor adminiſtrabat. Hic ſcamna, alter libros, iſte pulpita, ille candelabra, quilibet denique quidquid ex ſacra ſupellectile occupare poterat, totis viribus in immotum Antonium excutiebat; majoribus certè quàm ad inferendam tenero hominum corpuſculo necem neceſſe erat. An non hîc aliquis Antonio inconſtantior loco ceſſiſſet? An non quicunque tot undique & tantâ rabie à Virtūtibus & Poteſtatibus tela injici vidiſſet, mortuum non uno vulnere crediidiſſet? Verùm quem ſpiritus infernales oppugnabant, defendebant cæleſtes, ita ut quantò illorum erat furor vehementior, tantùm horum gloria augeretur. Scamna cæteraque quæ projiciebantur in modum munimenti Angeli componebant, quo P. Antonius undique protegeretur, dæmonum autem conatus omnis illuderetur.

4. Rudimentum fuit hoc quoddam militiæ, cujus Sacramento ſe P. Antonius obſtrinxerat, quâ toties eſſet iidem pugili in Peruvia cum ſimili hoſte decertandum, ne ad ejus multitudinem, quâ imperium illud occupabat, tremeret, neve terriculamentis iſtis ſtatione motus, timore ſuo aliis timendi exemplum præberet. Et quantū non animi ex inauditâ hâc loricarū ratione novo pugili acceſſit? Nihil ſibi in poſterum, quàm peccatū cenſuit fugiendum, qui didicerat hoſtem vincere, habebatque in promptu, quibus vinceret poſſet, arma. Intrepidus longū illud iter deſertâ patriâ, neglectis amicis, in ignotas & barbaras terras, quaſque dæmonum ſimulacra & crebræ apparitiones reddebant abominandas, capeſſit. Hiſpali (*a*) uſitatum in Hiſpania habitum in viliorem commutat, ut minus, quo cùm nudo dæmone luctaturus teneretur, haberet. (*a*) *Seville.*

5. Quantâ in navibus modeſtiâ, quibus exercitiis, quâ ſui æſtimatione fuerint, dùm in Peruviam veherentur Auguſtiniani, alibi narraſſe me memini. (*b*) Inter cæteros tamen excellere notatus eſt P. Antonius, quod certè laudis eſt maximæ inter præclariſſimos ſanctiſſimoſque viros obtinuiſſe excellētiæ notam. Quolibet illi hora moleſta erat, non ſolitâ (*b*) lib. 4. cap. 4. nu. 7.

maris

matris nauſeâ, ſed dilatione converſionis infidelium. Ejus cum cæteris in Peruviam adventum ſuprà (a) deſcripſimus. Officia varia geſſit non ambitione ſed obedientiæ neceſſitate, gratioraque fuerunt, quæ minus honoris habebant; quare poſt Præſidentiam Comitiorum, Definitoriatus varios, variosque Prioratus; Supprioratum in Comitiis anni M. D. LXVI. non tantùm admiſit, ſed ipſe, cùm iſtis comitiis nomine Reverendiſſimi P. Generalis præſideret, ſibi contulit, raro humilitaris exemplo: quæ etiam manifeſtiùs patuit, dùm vilia miniſteria diligentiſſimè ac cum gaudio eſt executus. Pulſare campanas, curare lampades, monaſteriū verrere volupe illi erat. Inter hæc accidit, ut laïcum mitteret, qui ferret aquam ad inſpergendum, quò nitidiùs purgaretur, pavimentum. Ille fœtentem virentemq; ſtagnatione foſſam inveniens nauſeæ ſigna vultus contractione dedit nullâ allatâ aquâ. P. Antonius Fratris teneritudini & immortificationi non tàm indignatus quàm compatiens, feſtinus ad foſſam accurrit, hauſtamque, quam alter averſabatur, aquam alacer bibit, iſtâque ſui incuriâ velut optimo magiſterio fratrem ad ſimilia animavit.

(a) lib. 4. cap. 5.

6. Et quia orationi ſciebat divinâ promiſſione id eſſe tributum nihil ut illi negari poſſit, (b) in hanc totis viribus incubuit. Nocturnis horis interfuit ſemper, quæcumque eum negotia occupaſſent: poſt quas è Choro ante Primam non exceſſit. Intereà tā cruentis verberibus corpus conſcîdit profuditque lacrymas adeò copioſè, ut redeuntes ad divinum officium Religioſi facilè obſervatent ſanguine lacrymiſq; inſperſum locum, quantumcumque ille utrumque teſtimonium conaretur occulrare. Orationis fervor furere, dæmones fecit, expertoſq; eſt Cuzci non abſimilem Salmanticenſi eorum rabiem, ſed neque impares defenſores. Accurrunt ad inſolitum in Choro tumultum Religioſi, inveniuntque inter ſcamna aptè ad munlendum collocata P. Antonium ſerenâ ſed modeſtâ facie, ut illâ conſternationis omnis abſentiam, hâc præ-ſe-ferret humilitatem. Prælati mandato juſſus, quid accidiſſet, edicere, verecundè reſpondit, intraſſe ad ſe orantem dæmonum terribiliſſimorum, & qui aſpectus horrore intuentem, niſi ſuperior eum gratia roboraſſet, potuiſſent occidere, catervam: eoſque, dùm immotus orationem proſequeretur, quanto potuerant furore ſcamna contra ſe fuiſſe jaculatos, excipientibus omnia & in munimenti formam diſponentibus Angelis, ejicientibuſque magnâ confuſione fœdum agmen.

(b) Ioan. 15. 16.

7. Secundis Comitiis anno M D. LIV. adminiſtrare Conventum Limenſem juſſus doluit plurimùm non tantùm roborato in ſe Officiorum horrore, ſed magis de præcipui deſiderii, quo in Peruviam trajecerat ad infidelium converſionem, impedimento per Prælaturam injecto, tanto tamen optimorum morum ſplendore Conventum inſtituit, tàm fervidis ſermonibus populum à vitiis avocare conatus eſt, tam ſanctis exemplis præluxit, ut communi omnium præconio *Sanctus* diceretur. Inter cæteras bonorum Prælatorum virtutes duabus eminuiſſe ſcribitur, adulatorum averſatione & ſtudio tegendi, quantùm poterat, proximi peccata. Adulatores certè rerumpub. & imperiorum peſtes ſunt, & eorum apud quos fidem inveniunt, ruina. Peccata autem ſi ipſi judices occultent, & potentiùs illâ emendant, & auferunt peccandi exemplum. Et hæc quidem cautio ubique, præcipuè verò inter Eccleſiaſticos laudem habet, quorum lapſus aliorum ad peccandum libidinem maximè provitant. Quare non immèritò Scriptores Imperatorem Conſtantinū laudant qui dixiſſe fertur; *Verè ſi propriis oculis vidiſſem Sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui monachali habitu circumamicti ſunt, peccātem, chlamidē meam expoliarē & cooperirem eū ne ab aliquo videretur.* Iſtâ manſuetudine amoreque in ſuos, illorum ad ſe

adſe animos rapiebat, excitabatque nutu ad virtutes, quas nulla aſperitas expreſſiſſet.

8. Verùm nunc ad converſionem infidelium, præcipuum ejus propoſitum, P. Antonium cogitatione ſequamur, & mirabimur unum hominem tot curis, difficultatibus, ac laboribus fuiſſe parem, tot ſcilicet Provincias populoſque, eoſque non tantùm veræ Religionis exortes, ſed inſuper peſſimis moribus aſperos, adivit, manſuefecit, convertit.

9. Primi fuêre *Guamachucenſes*, quorum barbariem ſuprà, (*a*) cùm P. Ioannis Ramirez vitam daremus, deſcripſimus. Iſti viginti duobus pagis latiſſimè inter montes olim diffundebantur, homines non agreſtes modò ſed planè brutales. Sed nec hæc tam deteſtabilis hominum conditio P. Antonium ejuſque ſodales P. Ioannem Ramirez, P. Ioannem de Sancto Petro, P. Ioannem del Canto à ſancto ſtudio deterruit, memores à Regio Propheta Davide Deo dictum, *homines & jumenta ſalvabis Domine*, (*b*) ut non tantùm tenerentur fiduciâ convertendorum, qui velut homines rationis ductum ſequerentur, ſed & illorum, qui impetu ſuorum carnalium deſideriorum, velut jumenta inſipientia, pellerentur. Tales certè erant *Guamachucenſes*, ſed juxta aſperitatem barbarorum, auxêre novi præcones labores, fiduciam, preces. Et ne ſingula nunc repetamus, revolve memoriâ, quæ in P. Ioannis Ramirez elogio diximus. (*c*) Vbi & videbis P. Nicolaum de Tolentino & P. Ludovicum de Sancta Maria in ſocietatem potiùs quàm levamen laborum acceſſiſſe. Quin & P. Balthaſar Megia & Didacus de la Serna egregii pietate viri, extendentibus ſe prædicationis terminis ad *Chachapoyas* uſque, *Trugillum* & *Guanucum*, augere præcedentium numerum juſſi ſunt: poſteà etiam P. Ioannes de Eſpinoſa & P. Ioannes Caxica, cum quibus ad ducentas leucas excurrit comminuens ubiq; idola, guacas ſeu oratoria eorum deſtruens, & eorum loco ſalutis humanæ vexillum & veri Dei erigens templa, & generales ſtabiliens leges, quas loco nominato poſuimus, quarum famâ, tantam obtinuit apud omnes venerationem, ut ille ac P. Franciſcus Canus Dominicanus per alienas parochias tranſeuntes non tantū permiſſi, ſed & rogati ſint omnia velut in propriis adminiſtrare.

(*a*) lib. 5. cap. 8.

(*b*) pſal 35. 7.

(*c*) lib. 5. cap. 8.

10. Comitiis anni M. D. LX. ad eoſdem *Guamachucenſes*, & eodem Prioris officio remittitur P. Antonius, quod & in ſequentibus Comitiis anni M. D. LXIII. factum, ſimilis ſemper ſibi & in pœnitentiis & ad labores, ut miraculi loco ſit eum in tenui exiliq̀ue corpore inter tot undique incommoda, quæ obruere homines ſolent, ſupervivere potuiſſe. Magnâ agilitate perficiebat, quæ robuſtiſſim̄ impoſſibilia judicaſſet, nimirùm hæ ab amore vires ſuppeditari ſolent, non amātibus ignotæ. Difficultates quotidie novas excitabat inconſtans Indorum in doctrina Chriſtiana animus, & veneficorum alios inde aut fraudibus aut minis avocantium pervicacia, ut quod anni integri ſudoribus fuerat ſeminatum, unius horæ nequitia eradicaret. Auricularem confeſſionem gens non veneficorum tantùm inſtigatione ſed & naturâ ſuâ averſabatur, aut ſi eam facerent, nullo ſcrupulo pro arbitrio mutilabant, maximè in illis peccatis quibus aut natura pudorem adjunxit, aut leges præſcripſêre pœnas. Quem ut ab illis errorem abſtergeret P. Antonius, maximè blandimentis, nonnunquàm etiam terroribus ſatagebat. Et accidit ad cæterorum eruditionem peropportunè, ut Inda, quæ aliquoties monita, ut ſe de concubinatu in confeſſione accuſaret, moreretur: quæ deinde noctu multis ſimul congregatis Indis apparuit inter horribiles flammas ejulans exclamanſque ſe in perpetuum tam intolerandis ignibus, quòd concubinatum ſemper in cōfeſſione ſiluiſſet, irrevocabili ſententiâ eſſe adjudicatam: atque hoc ſuo præconio,

magno

magno Indis metu incuſſo, multorum profectuum cauſa fuit.

11. Commiſerat P. Antonio circa hæc tempora Prorex, Audientiaque ut agros terraſque illarum partium inter Indos partiretur. Quas nòn hîc moleſtias, dum nihil hominum cupiditati ſuffiẽit, ſemperque alios aut in magnitudine fundi, ant in ejus utilitare, aut ſitus commoditate prælatos queruntur, ſenſit? tantâ tamen manſuetudine & æquitate id perfecit, ut ſummam inde gloriam ſit conſecutus, mirantibus cunctis egregiam viti integritatem, qui ne terræ quidem pugnum aut ſibi aut Ordini ſuo ſumpſerat. Verùm hanc à ſe cupiditatem ipſe jampridem excluſerat, fueratque autor decreti, quo omnis fundorum poſſeſſio Auguſtinianis in Peruvia interdicebatur.

12. Poſt hæc in Comitiis anni M. D. LXVI. præſedit & Supptioratum Conventus Limenſis non eſt dedignatus, quem eo, quo dictum eſt, modo geſſit, donec acceleratis per mortem Præfecti Provincialis Andreæ de Sancta Maria Comitiis anno M. D. LXVII. rursùs ad *Guamachucenſem* Provinciam, quam tot laboribus plantaverat, propter deſiderium ejus ordinatione Patrum redire juſſus eſt, quam deinde ad alia uſque Comitia anno M. D. LXXI. Cuzci celebrata adminiſtravit. In his verò novæ Provinciæ *Cotabanbas* & *Omaſayos* illi ſunt attributæ. In quibus non ſegniùs, quàm in *Guamachucenſi*, laboravit, majori etiam fructu, animos Indorum nactus mitiores, ut ſuprà diximus, (a) ubi quoque annumeravimus ſocios laborũ gloriæque, P. Marcum Garcia, P. Didacum de la Serna P. Ioannem de Riberos, P. Antonium de Rebolledo, P. Franciſcum Nuñez, & P. Ioannem Maldonado, fortes omnes viros, ſed duce ſuo P. Antonio Loçano animoſiores. Leges ibi eaſdem, quas anteà *Guamachuci*, ſtabilivit, factus dæmonum, à quibus non ſemel tantà inſaniâ fuerat oppugnatus, flagellum, fidei ſimul morumque Chriſtianorum doctrinâ.

(a) lib 12. cap. 4.

13. Rurſus verò repetentibus Apoſtolum ſuum *Guamachucenſibus* quintâ illuc vice Prior remittitur in Comitiis anni M. D. LXXV. in nullo ſive pœnitentiam ſpectes, ſeu prædicationis & converſionis infidelium ſtudium, factus remiſſior, ut non parùm mirarentur Confratres tenerum ſemper, nunc etiam ſenile corpus, tot tantiſque non modò laboribus ſed etiam cæli inclementiis ſufficere: verùm creſcere cum ætate amorem animumque non obſcuris indiciis colligebatur, tantumque non raro gaudium in unius animæ converſione præ ſe ferebat, qui tot antè myriades lucratus fuerat, ut emotæ mentis ab ignaris credi potuiſſet.

14. Et ne deeſſent qui induci ad fidem Catholicam inſtruique poſſent, vix exacto apud *Guamachucenſes* anno in novam rursum, imminitem, ac ferocem gentem *Tapacari* territorii incolam mittitur, ad quam non aliis fortiùs quàm ſolitis manſuetudinis & benevolentiæ armis acceſſit, & ſecretâ illatum in omnes animos potẽtiâ evicit. Quidquid poterat aut ſuis lucrari actionibus, aut ab aliorum liberalitate conſequi, non aliter quàm pauperum, pupillorum, viduarum, ægrotorum depoſita tractabat, tunc erogans, cùm prima erogandi occaſio ſe offerret. Eratque hæc virtus tantò apud impolitam gentem in initio illuſtrior, quantò magis illam offenderat priorũ Hiſpanorum cupiditas violentiaque, magnâ Regis ſui & nationis injuriâ exercita, atque ita avaritiæ ſtudium, quod in gente ſua damnabatur, conſtanti paupertatis amore, & toto terreſtrium rerum contemptu confudit; magnumque erat ad converſionem adjumentum hanc è barbaris animis opinionem eraſiſſe. Tantùm verò iſtâ in pauperes, pupillos, viduas, & peregrinos charitate profecit, ut ſpatio annorum triginta, quos convertendis infidelibus impendit, ampliùs centies mille animas ad Fidem Ca-

tholicam adduxiſſe & baptizaſſe non-vanè ſcribatur. Non diffiteor tamen magnum à caſtitate, quæ ſemper in ipſo credita fuit virginalis, ſplendorem charitatem mutuaſſe, ut, ſi hâc animos infidelium pellexit, illâ perſtrinxerit. Et quamquàm magna hîc pertulerit certamina, & perpetuos, (non rarò viſibiles) dæmonum inſultus, ſuis tamen pœnitentiis & oratione obtinuit, ut omnem eorum impetum gratiâ divinâ reddiderit inanem.

15. Annorũ autem, quos jam octoginta computabat, numero mortis memoriam multò fortiùs, quàm ſolet, vellicante, *Arequipâ Limam* venire à Prælatis petivit non urſit, non aliud gerens quàm cum obedientia deſiderium. Illâ diſponente rursùs illius Conventus Suppriorarum poſt exactas toties Prælaturas & præcipuas in Ordine dignitates, admiſit, functuſque eſt eâdem, quâ anteà (a) animi ſubmiſſione, & ad vilia exercitia agilitate. Et cùm aliquam dandam exſucco corpori indulgentiam omnes arbitrarentur, mirati ſunt, quaſi juvenili inſolentius accepiſſet, acriùs in illud ſævire, ita augebantur vigiliæ, jejunia, flagellationes, orationeſq;. Quas tamen Deus ſuâ ſemper beneficentiâ noſtra opera ſuperans tantâ ſuavitate & gaudio inſperſit, ut illud P. Antonius, etiamſi vellet, occultare non poſſet. Illud oculi, illud facies & tota corporis habitudo prodebat, ut nullus dubitaret hanc eſſe aliquam cæleſtis gloriæ prælibationē. Duravit illud aliquot menſes; tunc verò fuit multò maximum, quando ei Chriſtus ſuomet ore propinquum mortis diem horamq; prædixit. Nec celavit ille tantum Dei beneficium Confratres ſuos, cum quibus jam ferè non alio modo, quàm ſi valediceret, agebat. Cùm prænunciatus adeſſet dies, ille ſuſceptis Eccleſiæ Sacramentis, acceptoq; manibus Crucifixo, quem, quoad vixit, non dimiſit, dixit quintâ ſe horâ veſpertinâ ex hac vita exceſſurum. Hâc appropinquante rogavit, ut feneſtram aperirent, per quam lucentis Solis radios clariùs intueretur. Aperta eſt, atque ipſe in Sole Solem animarum Ieſum Chriſtum cōſideratione dulciſſimâ contemplans in hæc verba prorupit, *quantò his dominator eorum ſpecioſior eſt, ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituit.* (b) Poſt quæ, Chriſtum, Deiparamq; pauca ſed ardentet precatus oculis in cælum elevatis exceſſit anno ætatis ſuæ LXXX. Verbi autē Incarnati M. D. LXXXIV. menſe Ianuario. Sepultus eſt ad portam quâ è Sacrario ad præcipuũ clauſtrũ exitur

(a) ſup. num 5.

(b) Sapien. 13 3.

16. Multa ejus miracula recenſent Seniores: maximaque, quæ per cingulum ejus Deus contulit, parturientibus præſertim, beneficia, quæ quia nondùm ſufficienti teſtimonio ſunt comprobata, P. M. Antonius de la Calancha ſuo de Peruvia operi non inſeruit.

17. P. Bonaventura de Salinas Franciſcanus in ſua de Peruvia hiſtoria de P. Antonio ita breviter ſcribit. *Contentaréme con liſongearla un poco en la memoria de algunos varones preclariſſimos, grãdes gigantes en ſantidad y buen govierno: y ſea el primero el que lo fue non ſolo en la antiquedad, ſino en la ſantidad de ſu vida el muy Reverendo Padre F. Antonio Loçana, uno de aquellos doze obreras, que trajò Dios a ſu viña, varan por todas partes grande, candido, y puriſſimo, conſumado en todo genero de virtudes, y tan enamarado de Dios, que ſe le paſavan todas las noches enteras en el caro en continuas alabanças ſuyas, y en alta contenplacion. Era tanta ſu limpieça y puridad de anima, que aſumbrava a los Religioſas, ſiendo con todos tan humano el que conſigo meſma andava continuamente en guerras y batallas, armado de ſicos y de cilicias aſperiſſimos, ſacandoſe arrayos de ſangre en continuas diſciplinas para triũfar de ſu carne, trayendola, tan rendida que parecia Angel puriſſima. Supo la hora de ſu muerte, y eſtando ya para eſpirar, hizo abrir una ventana y entrando por ella el Sol claro y hermoſo, arrebatado en la contenplation de ſu Criador, lleno de amor y ferviente caridad, commença à dezir aquellas palabras del cap. 13. de la Sabiduria, Quanto his Dominator eorum ſpecioſior,*

ſior, y diciendo eſtos requiebros al Criador del Sol, llenos los ojos de lagrimas Plenus dierum in ſenectute bona, porque vivio ochenta años, paſò a la patria celeſtial Deſcanſa ſu cuerpo en el Convento de Limo. Quæ ita latinè efferes.

Satis mihi erit ſi vel ſalê virorum præclariſſimorum magnorum in ſanctitate & inſigni regendi peritia gigantum memoriâ illi blandiri videar. Primus ſit ordine, qui non antiquitate tantùm ſed & vita ſanctitate cæteros præceſſit Adm. R. P. F. Antonius Loçano ex duodecim operariis, quos Deus in vineam ſuam deduxit, unus, vir omnibus numeris magnus, ſincerus, puriſſimus, in omni virtutum genere perfectus, adeoq; Dei amore fervens, ut integras in ejus laudibus ac contemplatione tranſigeret noctes Tanta erat animæ ejus puritas & candor, ut in ſtuporem raperet Religioſos, omnibus admodùm humanus ſecum continua gerebat bella & dabat prælia, armatus ſacco & rigidiſſimis ciliciis, continuis extrahens diſciplinis ex ſuo corpore cruoris rivos, atque ita de illa triumphans, ut promptiſſimâ ejus obedientia puriſſimus Angelus videretur. Suæ mortis horam præſcivit, eiq; jam proximus cùm per juſſam à ſe aperiri feneſtràm formosè ſplendentem ſolem intueretur, in Creatoris ſui contemplationem abreptus, plenuſq; divino amore verba libri Sapientiæ cap. 13 recitare cœpit, Quanto his dominator eorum ſpecioſior &c. atque in his ad ſolis Creatorem blanditiis, lacrymantibus oculis, plenus dierum in ſenectute bono (erat enim octogenarius) tranſivit in patriam cæleſtem. Corpus ejus requieſcit in Conventu Limenſi.

CAPVT XI.

De monaſterio Zañacenſi, & factis ibidem per S. Nicolaũ miraculis, nec-non memorandis pœnis quas Deus ſumpſit ab his, quorum aliqui famã Religioſo eripuerant, alii vitã.

ZAña oppidum eſt inceptum ſub nomine *Sancti Iacobi de Miraflores*, tantoperè tamen prior appellationis conſuetudo prævaluit[1], ut paſſim *Zaña*, *Sancti Iacobi* autem non niſi in actis judicialibus publiciſque tabellis dicatur. Habet latitudinis Auſtralis gradus non ampliùs ſex & medium, adeoque eſt Æquatori plus centum leucis, quàm Lima ſive Regium, vicinior: à Sanctiſſimæ *Virginis Guadalupenſis* templo(a) (a) vide de hoc multa lib. 10. ca. 4.
diſtat leucis omninò ſeptem. Portum habet *Cherrepe* male fidum carinis, ſed per quem, neceſſitate ac cupiditate pericula contemnentibus, frequens eſt commercium. Limæ ſmigina, coria, & ſaccarum ſubminiſtrat; *Panama* triticum, orizam, maizium, dactilos, pluraque alia ſemina & fructus. Eſt enim vallis ipſa, licèt exigua, amœna, ſi arborum ordinem ſpectes, fertiliſque, ac limpidiſſimo fluvio, quem inter aureas venas naſci arbitrantur, irrigua; palmis ſuaviſſimorum dactilorum feracibus abundat. Ipſum tamen oppidum inſalubre eſt, ignorantiâ potiùs primorum ſtructorum, qui illud humido lacui impoſuerunt,

poſuerunt, quàm vitio terræ.

2. Huc coloniam Auguſtiniani deduxerunt anno M. D. LXXXIV. Provinciam adminiſtrante P. M. Luiſio Lopez, cujus juſſu primus illuc P. M. Alphonſus Garcia vir vitæ religioſę laude inſignis perrexit. A Provincia verò anno M. D. LXXXVII. admiſſam coloniam primus Prior rexit P. Ioannes Baptiſta N. qui aliique ejus ſequaces non alium magis fautorem experti ſunt quàm S. Nicolaum de Tolentino, qui ab exordio tam frequentibus ibi miraculis celebrari cœpit, ut non magnâ difficultate ex oblationibus ac eleëmoſynis, quas undique copioſè fideles adferebant, exiguo temporis ſpatio Auguſtiniani pulcerrimam Eccleſiam monaſteriumque perfecerint. Major eſt ibi miraculorum per S. Nicolai interceſſionem patratorum numerus, quàm ut eorum ratio habeatur. Claudorum, cæcorum, aliiſque malis deſperatorum ibi liberatorum ingens eſt catalogus, ſed multò major puerperarum. Quare confraternitas ibi inſtituta eſt quâ nulla eſt celebrior magnificentiorve.

3. In tantæ benevolentiæ divinæ vicinitate manifeſtior erit juſtitia, quâ injurias Religioſis illatas vindicavit. Erat *Zañæ* homo vanus, comparet Prætoris, (a) qui ægrè ferebat fœminam quandam à Religioſo (nō nominat P. M. Antonius de la Calancha cujus Ordinis fuerit) nonnunquàm viſitari, & vitio hominum alios ex ſua propriâ æſtimantium impudici quidpiam ſuſpicabatur. Hanc Dei offenſam, ut peſſimè ſibi perſuadebat, impedire ſtatuit, ſed, quod maximi erat flagitii, publico Religioſi ludibrio. In occaſionem illius intentus cùm vidiſſet Religioſum ejuſdem mulieris ædes ingreſſum, Prætorem adiit induxitque, ut claro die indè extractum publicitùs per plateas ſummâ ad Conventum ignominiâ deduceret. Conſenſit Prætor illuſitque eo modo famæ Religioſi. Moritur intra proximos quindecim dies Prætor nullis ſuſceptis Eccleſiæ Sacramentis, alteroque ab ejus morte die audivit criminis incentor è cubiculi ſui feneſtra proprio ſe nomine vocari. Convertit ilicò ad feneſtram vultum, conſpexitque per eandem in cubiculum protrudi brachium tremendis ignibus ardens, quod luctuoſa his verbis vox ſequebatur. *Eheu miſerum me quòd, ut tibi placerem, tanto nuper opprobrio affecerim Religioſum, Ordinemq́, damnatus ſum: dabiſq́ hodie tu rationem Deo.* Ille vocis inſolentiâ ac ſpectaculi horrore attonitus, provolutus in genua ita ad Religioſi infamati monaſteriū prorepſit potiùs quàm progreſſus eſt, atque ibi ante Prælatum & Religioſum quem offenderat, genu-flexus amariſſimis lacrymis perfuſus ſceleris veniam poſtulavit, narrato lamentabilis vocis & brachii ardentis portento. Veniam ab utroque facilè impetravit. Deindè peccata confeſſus & vivificâ hoſtiâ refectus, cùm domum rediiſſet, ſub veſperū extinctus eſt, multò, quàm Prætor, præmiſſâ ſcelerum pœnitudine felicior.

(a) Corregidor.

4. Sequens eſt duplicis caſtigationis divinæ exemplum, & adoleſcentis ſcilicet qui ſuâ ſe ad Religionem vocatione præſtitit indignum, & viri, qui ſacrilego auſu Religioſum occidit. Vixerat in Religione Auguſtiniana adoleſcens, verùm moribus non religioſis, quare ablato habitu juſſus eſt è monaſterio exire. Hunc paulò poſt in ſuis ædibus maritus, an certo ſcelere offenſus, incertum, an zelotopiâ incitatus, graviter læſit. Quare accurrunt ad Conventum noſtrum *Zañacenſem*, qui Confeſſarium petant. Mittitur P. Dominicus de Beſutten origine Biſcaynus, Perüanus profeſſione religioſâ, eloquentiæ in pulpitis & vitæ æſtimatione celebris. Volat ille duabus illuc alis charitatis & obedientiæ, ſed confodit eum tranſacto per medium corpus gladio vitricus uxoris, non aliud dicentem, quàm, *cur me occidis? ignoſcat tibi Deus.* Relatus

latos in Conventum Sacerdos Sacramentis Eccleſiæ ſuſceptis, nullis vindictæ ſed magnis benignitatis & devotionis indiciis, cum duos vulneri dies ſupervixiſſet, exſpiravit, charitatis & obedientiæ palmâ glorioſus: occiſor autem alterâ die inventus eſt animam ſine confeſſione miſerabiliter ejeciſſe. Hujus cauſam defendere auſus eſt qui ejus ſororem duxerat, qui cùm à Provinciali Præfecto facinoris veniam pro defuncto exoraſſet, Limâque redux è portu *Cherrepe* exſcenderet, quaſi re benè geſtâ, mulâ triumphans, ab eadem excutitur, & inhærens altero pede ſtapedibus à procurrente raptatur, donec nunc in ſaxum, nunc in palum impacto, & miſerum in modum lacero corpore animam exhalaret.

CAPVT XII.

P. Ioannis Riberos, P. Ioannis Cajica, & P. Ioannis Morejon elogia.

1\. EST Intra decimum quartum & decimum quintū latitudinis Auſtralis gradum, Provincia *Aymaraes*. Ad hujus converſionē primos intraſſe P. Franciſcum Nuñez, P. Chriſtophorum de Ribadeneyra, P. Ioannem de Arroyo, & P. Nicolaum Ximenez (quorum religioſa vita major fuerit an convertendorum infidelium ſtudium, incertum) alibi diximus. Præfuit poſteà in eadem P. Ioannes Riberos *Cusco* oriundus (nam alium P. Ioannem Riberos Peruvia novit in *Algarves* natum). Erat hic virtutum omnium domicilium, vitæ religioſæ exemplum, paupertatis ſpeculum: caſtitate angelus, eleëmoſynarum largitione & charitate in proximos alter Thomas à Villanova. Quâ virtutum conſonantiâ *Perfecti* nomen obtinuerat.

2\. Apoſtolatum, quòd ad tantarum virtutum ſplendorem egregia accederet Peruanorum idiomatum peritia, ſummo profectu ac variis in locis geſſit. In *Paria* Auſtrali ab anno M. D. LXVI. uſque ad annum M. D. LXXI. quo in *Cotabanbas* perrexit, undè anno M. D. LXXV. Provinciæ *Omaſayos* præeſſe juſſus ibi prædicationem continuavit donec eodem titulo in *Aymaraes* annò M. D. LXXXII. mitteretur, ibique duobus exactis annis tanquàm ſubſidiarius in varias Provincias excurrit, donec annò M. D. XCI. Monaſterio Dominæ Noſtræ de *Copacabana* præficeretur, atque annò M. D. XCIV. Cœnobio *Chuquiſacensi*. In Comitiis anni M. D. XCVIII. Definitor eſt renuntiatus, & ſequentibus anno M. DC. II. nomine R.^mi P. Generalis præſedit; etiam Provinciam viſitare juſſus, ubique reliquit exempla ſanctitatis & prudentis regiminis. Et quem velut patrem omnes amabant, rei formidabant judicem, ita nullas culpas ſine cenſurâ tranſibat. Animas autem Chriſto genuit innumerabiles.

3\. Tandem ad egregiorum laborum præmium *in Conventu Potoſienſi* evocata anima, illud in cœlo ita percepit, ut ipſum in terris corpus bonarum actionum ſocium & inſtrumentum particeps ejuſdem redderetur. Nam cùm illud obeſum eſſet ideoque facili putredini, humorum redundantiâ, obnoxium, manſit tamen multis menſibus incorruptum; privilegio angelicæ caſtitatis voracitatem naturæ ſuperante. Auxit Integritatis diuturnæ admirationem ipſa loci, in quo condebatur, humiditas: ut nemo dubitaverit inter tot cauſas integritatem corporis oppugnantes, eam ſuperiori virtuti adſcribere. Narrat P. Antonius de la Calancha (a) ſe illud anno poſt (a) lib. 4.
Chriſtum natum milleſimo ſexcen- cap. 12. n. 1.

teſimo duodecimo, poſt P. Ioannis mortem octavo aut nono, etiādùm vidiſſe planè incorruptum, fuiſſeque eâdem rurſus integritate conſpectum anno M. DC. XXIX.

4. A Ioanne illo Riberos licet latiſſimè alium Ioannem Cājica, ſeu ut alii ſcribunt Caxica, nativitas ſejunxerit, (illum enim *Cuzcum* Peruviæ quondam metropolis, hunc *Biſcaja* Hiſpaniæ Provincia mundo edidit) animarum tamen amor, qui hunc ex Hiſpania in Peruviam vexit adegitque per varia pericula, par in prædicatione fervor, ac optimorum morum ſimilitudo non tantùm eos in unâ Provincia ſociârunt, ſed & cauſa ſunt quòd in eodem capite breve ſuum encomium inveniant. Tranſmiſit autem in Peruviam anno M. D. LXXIII. pœnitentiis in ſeipſum rigidus, & æſtuans juvandarum animarum deſiderio, cui ut ſatisfaceret cumulatiùs, addiſcendis barbararum gentium linguis ſedulò incubuit, eo certè profectu, ut ſingularem Dei ſtudio ſervi ſui faventis opem non obſcurè deprehendas: imbibit namque eas, non tantùm ut illis uti poſſet, ſed inſuper ut excellens in illis haberetur, maximè duabus *quichua* & *aymarà*, quæ ſunt apud barbaros populos generales. Anno M. D. LXXXIV. abeunti ex Provincia *Aymaraes* P. Ioanni Riberos ſucceſſit, quem deinde anno M. D. LXXXVII. monaſterio, in quo Sacratiſſimæ Virginis Deiparæ ſub titulo de *Pucarani* celeberrimus eſt cultus, Ordo præfecit, reliquitque ad annum M. D. XCI. tunc Indis de *Totora* in Provincia *Omaſayas* annunciare legem Evāgelicam juſſus; poſteà verò *Cajabanba* in Provincia *Guamachuco*. Nomina hæc quædam ſunt populorum, per quos ad diſtantiam ampliùs ducentarū leucarum laborem ſuum ardoremque explicavit, nunc blandiriis, nunc minis veri Dei notitiam & amorem inculcare ſatagens. Oratoria inanium Deorum, quæcumque invenire potuit, deſtruxit, idola confregit, non modò ea, quæ publica invenit, ſed etiam quæ ſpecialis familiarum devotio intra domeſticos parietes occultabat; viliſſimis inſuper opprobriis ea proſcindens, quæ multò, quàm ipſas comminuriones, barbaræ nationes tulerunt acerbiùs. Quapropter non ſemel, veneficorū præſertim indignatione odioque, mortis periculum adivit. Nihil tamen timuit qui jampridem mori lucrum computare cœperat. In campis & inter gelidas nives frequentiſſimè noctes exegit, ut cautè & velut ſtratagemate quodam profanos gentis conventus & idola detegeret, & ſubitâ impreſſione obrueret, exemplo RR. PP. Antonii Loçano Auguſtiniani & Franciſci Cano Dominicani, quorum antè meminimus, prodigus planè ſuæ ſalutis corporalis, ut animas Indorum etiam averſantium Chriſto lucrifaceret. Non extinguebant ardentem interiùs amoris ignem perſecutiones, ſed accendebant, & quantò magis illæ augebantur, tantò clariùs fortiuſque iſte ſe explicabat.

5. Quis credet ſequentia narraturo, niſi qui Spiritus Sancti, quo inſpirante fluit ut ros eloquium, & quo dictante volat per papyrum calamus, magiſterium agnovit? Inter tot, ut breviter perſtrinximus, negotia laboreſque, tàm multa, tàm diverſa, tàm variis idiomatibus ſcripſit, ut à nullo ſeu veterum ſeu modernorum temporum authore ſuperetur. Refert P. Antonius de la Calancha (a) oculatus teſtis (a) lib. 4. cap. 12. n. 4. præter illos, qui periêrunt, ſupereſſe in Bibliotheca noſtra Limenſi triginta duos juſtæ magnitudinis tomos, in folio duodecim, in quarto viginti. Complectitur iſtis libris quidquid eſt neceſſarium ad infidelium converſionem, & converſorum bonos mores; ſermones in omnia totius anni evangelia duplicatos triplicatoſque; Catechiſmos, caſus conſcientiæ; pſalmos, hymnos, pluraque exercitia ad Sanctorum Sacramentorum notitiam & dignam

ſuſceptio-

ſuſceptionem pertinentia. Omnes autem has ſingulaſque materias quatuor, quæ ibi habentur generales, linguis expreſſit eâ proprietate elegantiâque,ut ipſos etiam doctiſſimos indigenas ſuperârit. Vna eſt Caſtellana, altera *aymarà*, tertia *Chinchayſuyo*, quarta, quæ eſt inter barbaras per totam Peruviam generaliſſima, politiſſima, defœcatiſſimaque, *quichua*: ſecundæ uſus ad meridiem Cuzco *Chuquiſacam* uſque *Potoſiamq́*; latiſſime excurrit: tertiâ utuntur Limenſes viciniique, & quotquot indè *Quitum* uſque populi plurimis vaſtiſſimiſque Provinciis diſtincti interjacent. Æſtimat porrò idem P. Antonius de la Calancha eum, qui impreſſione Limenſi illos publicæ utilitati dare intenderet, non minori quàm centies trigeſies mille peſorum ſumptu illud conſecuturum: Actum autem acturum propter barbarorum idiomatum ignorantiam, quiſquis id prœlo Hiſpanico tentaret, præterquàm quòd omnes infrà quinquagies mille peſa non abſolveret.

6. Actam tàm glorioſè vitæ ſuæ ſcenam mortis glorioſioris epilogo in ipſis Apoſtolatus ſui exercitiis, velut ſtans armatuſque in bellis miles *Cajabamba* concluſit.

7. Dum in Provincia *Aymaraes* verſamur, duobus præcedentibus ejuſdem nominis tertium adjungam Ioannem Morejon, utì meritis non imparem, ita felicis exitus gloriâ comparandum. Parentes habuit *Medinâ del Campo* oriundos, ipſe Religionis Auguſtinianæ habitum in vetere Conventu Limenſi ſumpſit, eo maxime propoſito, ut, quod Auguſtinianos tanto profectu agere videbat, operam ſuam Indorum converſioni impenderet poſſet. Priùs tamen variis præceptis & mutationibus, quibus fortiùs velut vento agitatæ arbores radices ageret, eum Ordo exercuit, in quibus manifeſtis oſtenſionibus pœnitentiæ obedientiæque amorem comprobavit. Primò *Arequipam* deinde *Chuquiſacam* miſſus, poſteà *Guaquirram* & Prælatorum juſſu; & ſuâ, quâ converſioni Indorum inhiabat, voluntate pervenit. Eſt autem *Guaquirra* pagus, in quo ſub obedientia unius Prioris vivebant, quotquot in vicinis locis adducendis ad cõmune Chriſti ovile Indis Auguſtiniani inſudabant. Illuc ſub veſperum omnes Doctrinantes reverti mos tunc erat, arbitrantibus Prælatis hoc modo poſſe meliùs mutuis exhortationibus & exemplis ib. ſuſceptis laboribus animari, gentis edoceri genium, converſorum iniri numerum, & vivi ſollicitudine Prælati ſecuriùs. Rationes non negligendæ, niſi eas experientia fortioribus magiſque neceſſariis roborata ſuperaſſet. Quare temporis magiſterio ac penitiore populorum notitiâ conſultius poſtea judicatum fuit, in ſuis, etiam noctu; parochiis Doctrinantes remanere: Poſſe ita citiùs ægrotantibus ſuccurri, impediri nocturnos ac ſuperſtitioſos conventus ebrietateſque, in quibus frequentibus homicidiis & parricidiis, ut neque parentes filiique à mutuis eſſent cædibus immunes; ſeſe intertimebant: & violatâ, quam natura inſevit, ſanguinis reverentiâ, inceſtuoſis complexibus miſcebantur. Hæc ſi non penitùs, certè magna ex parte tolli poſſe Doctrinantium in locis ſibi commiſſis præſentiâ ac ſollicitudine.

8. Prior adhuc conſuetudo obtinebat, cùm *Guaquirra*, attributâ ejus curæ *Antabanbâ*, habitare cœpit. Ibi laxis deſiderii ſui habenis in injunctum aſſumptumque opus procurrens nullis laboribus fatigabatur. Notabilis caſtitas terrenarum rerum contemptus, & charitas obſequiorum in omnes, maximè ægros pauperesque ob multitudinem nunquàm quieta eum cunctis venerabilem reddiderant. Quem eorum erga ſe adfectum cùm non obſcuris indiciis intelligeret, admodùm prudenter eo uſus eſt, illorum magis quàm ſuâ ipſius utilitate; iſtâ enim illos & ſuaviùs

ſuaviùs ad fidei Catholicæ ſuſceptionem pellexit, & conſtantiùs, ne ſcelere apud Indos uſitato apoſtatarent, detinuit. Nihil enim in animos hominum aut penitiùs penetrat, aut trahit faciliùs, aut ligat fortiùs, quàm ex virtutum æſtimatione conceptus, & per eandem ſolidatus amor. Apud illos autem, qui averſantur, nullo labore proficias. Hoc poſterius cum planè caveret P. Ioannes, prius omni ſtudio fuerat conſectatus.

9. Fuit autem iſtud, quod dicturus ſum, charitatis ergà proximum poſtremum teſtimonium. Vocabatur è Conventu *Guaquircano* ut infirmæ *Antabanbenſis* confeſſionem audiret. Parùm illi erat noctem eſſe intempeſtam & obſcurã, eam denſiſſimus inſuper & veluti plenis urnis fuſus imber horridã reddebat, inflabatur ſubitis aquarũ incrementis torrens, qui *Guaquircam* inter & *Antabanbam* interjacet, ponticulus ipſe, quo torrens ſternebatur, debilis ac non niſi ex juncis patriis compoſitus, nulloque munitus manuum ſuſtentaculo. Verùm *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem neque flumina illam obruere.* (a) Nam etſi lapſante in lubrico inſtabilique ponte pede ſubjectus eum fluvius hauſerit ſuffocaveritque, in illius tamen charitatis indicium ſuper ipſas undas ſplendidiſſima lux ſupernatavit ſtetitque cum corpore. Etenim cùm P. Ioannes ne ſequenti quidem die, qui Dominicus erat, *Antabanbam* perveniſſet, inſolitas moras & abſentiam (erat enim ad opera ſua promptiſſimus & infallibilis) Indi mirati, miſerunt *Guaquircam* qui tardantem ad divina officia & infirmæ confeſſionem promoverent. Intelligunt hi eum noctu per ipſas illuc procellas properaſſe. Quare dolore anxietateque perfuſi hinc illucque in Sacerdotis ſibi chariſſimi perquiſitionem diſcurrunt, attamen fruſtraneo labore. Latuit aliquot diebus corpus, donec ſuaviſſima vox, quæque delectamenti ampliùs quàm horroris adferret, tranſeunti Petro Sacrarii Antabanbenſis præfecto, proprii nominis pronunciatione, acclamaret. Quam ille, cùm P. Ioannis eſſe non obſcurè cognoviſſet, eam multoties repetitam per montes & præcipitia ſecutus eſt, delatuſque ad fluvium noctu vidit ſuper ipſas aquas quinque luces in modum loculi diſpoſitas. Obſtupuit ad inuſitatum prodigium Petrus, magis etiam quando ab imo aquarum prodire audivit vocem dicentis: *Nuntia fratribus meis Religioſis, ut ablatum hinc corpus meum honorificè ſepeliant.* Stupore in gaudium commutato poſitiſque, ad notitiam ſi forte lux evanuiſſet, ſignis, velociſſimè ad Conventum *Guaquircenſem* pervolavit. Nuncio Petri gratiſſimo intellecto Religioſi multis Hiſpanis Indiſque comitantibus ſummo mane ducem Petrum ſequuntur, inveniuntque majori, incertum, admiratione an lætitiã, non tantùm ſigna à Petro conſtituta, ſed & ipſas, quas dixerat, luces. Accedunt propiùs, & novo miraculo, quale in S. Clementis vita legimus, (b) aquæ fluvii receſſerunt. Iacebat corpus exanime non aliis anchoris contrà præcipitem fluvii impetum quàm duobus lapillis, quorum unus palmæ dextræ manus, alter ſiniſtræ manicæ nigri habitus incumbebat, detentum. Extractum magnâ veneratione, ac feretro impoſitum ad *Guaquircenſe* Cœnobium detulerunt, ſepelieruntque pompâ, quâ potuerunt, maximâ, non tantùm propriâ incitati propenſione, ſed etiam Dei tàm lucido gloriæ teſtimonio eum honorantis exemplo.

(a) Cant. 8.

(b) ad 23. Novembr.

CAP VI

CAPVT XIII.

De laboribus & fructu Auguſtinianorum in Pucarani, ac imagine Sanctiſſimæ Virginis Purificatæ miraculis ibidem celeberrimâ.

1. ITER *Limâ Potoſiam* facientibus, poſtquàm Cuzcum tranſierunt, duæ ſe aperiunt viæ latiori paulatim ſpatio à ſe mutuo abeũtes, una per Provinciam *Chuquito*, altera per Provinciam *Omaſayos*: inter utramque lacus *Titikaca* (*a*) totius Peruviæ maximus, quique ſuâ circumferentiâ octuaginta leucas complecti creditur, interjacet, per ejus enim ripas hinc indè procurrunt. Vtrâ porrò ex duabus gradiaris, invenies loca cultu Deiparæ Virginis frequentatiſſima & miraculis clariſſima quibus præſident Auguſtiniani. Si per *Chuquito* pergis, occurrit *Copacabana*, ſi per *Omaſayos*, *Pucarani*, inſuper & Sanctiſſima Crux de *Carabuco*, quam ſicut vetuſtiſſimis traditionibus credunt illuc ab Apoſtolo (*b*) fuiſſe allatam, ita impensè venerantur indigenæ exterique, præſertim cùm indubitatis & plurimis miraculis ſit coruſca.

(*a*) De hoc lacu dixi lib. 1. cap. 1. num. 3 & 4.

(*b*) de hoc Apoſtolo vide lib. 1. cap. 5.

2. Locus, qui nunc *Pucarani*, olim Ingarũ temporibus dicebatur *Queſcamarca*, quod idem eſt ac locus ſilicum ex quorum venis forti concuſſione ignis educitur, ob magnam illic eorum copiam: ex illis tamen eliciendi ignis nullus genti uſus, quod & chalibe carerent & ignorarent fomitem; ſed lumen majori facilitate ex certis arboribus parvis ſtipitibus excutiebant; morẽ hunc etiamnùm poſteri ſervant. Silices ipſos dexterrimè politos, ut acie pares eſſent novaculæ, chalibi duritie, telorum ac haſtarum cuſpidibus præfigebant, facti propterea inimicis ſuis terribiles: ſoliti inſuper iiſdem venas ſibi aperire. Sciendum tamen *Pucarani* nomen primò fuiſſe attributum munimento, quod indigenæ contra irruptiones vexationeſque Indorum, quos *Pacaxes* dicunt, à quibus non animis ſed ſolâ numeroſitate ſuperabantur, erexerant. Inde etiam ad municipium *Queſcamarca*, quod quarto à munimento lapide aberat, appellatio *Pucarani* tranſlata vetus nomen *Queſcamarca* abolevit: ipſum autem municipium Prorex Franciſcus de Toledo ampliavit incoliſque auxit. A *Civitate pacis* (*c*) in *Chuquiago* ſeptem, à lacu *Titikaca* tribus circiter leucis diſtat, interjacet inter *Guarinam* & *Llacſam* ſeu *Loxam*, ei ab Occidente jungitur *Tiaguanaco* celeberrimum ſplendore ædificiorum, ipſam eorum materiam longè ſuperante arte, quæ lapides ſine calce aut aliquo bitumine ſibi cohærentes mirâ elegantiâ compoſuit. Atque ex hoc loco primum Peruviæ propagatorem fuiſſe exortum jucundâ inſaniâ fabulantur. (*d*) Ab Oriente altiſſimos, & qui continuo jugo totam Peruviam pervadunt multâ ſemper nive contecti, montes reſpicit ab illis non ampliùs quinque leucis diſtans. Vltra illos montes latiſſimæ *Chunchorum* (*e*) jacent Provinciæ calidæ admodùm, fertiles etiam fructuum, animaliumque, & multis & piſcoſis fluviis irriguæ, nondum tamen Domitæ, in quibus aves eſſe ſcribuntur tantâ plumarum varietate & pulcritudine, ut diverſorum ac formoſiſſimorum florum merum eſſe faſciculum arbitreris, atque ex horum decore cognoſci poſſit, debeatque laudari omnipotentia Creatoris.

(*c*) la Paz.

(*d*) vide lib. 1 cap. 1. num 4.

(*e*) de los Chunchos.

3. Municipium porrò *Pucarani* latitudinis Auſtralis decimum ſeptimum

timum gradum duobus tribuſve minutis excedit, ſitum eſt in ſpatioſâ planitie ſed ſterili inamœnâque. Non fert triticum aut arbores, ſed ſola quædam grana patria, inter quę præcipuum eſt quod *quinua* appellant ſynapi Europæo aliquanto majus, album, non rotundum, vividum ſalutiferumque, maximè quaſſatis corporibus. Incolæ præcipuâ veneratione montes colebant, eâque majori quo erant altiores. Eminebat inter omnes *Illimani Culcachata* uti faſtigio perpetuâ nive candido, ita ſacrificiorum frequentiâ ſumptuque. Huic ſitu cultuque proximus erat alius minor ac ſemper à nivibus liber, in quo munimentum *Pucarani* eſſe diximus. In hoc idolum conſtituerant *Colla* (a) ſimilitudine, ulnæ altitudine, cui continuis oviũ, cuniculorum, nonnunquàm, ut placatum haberent, infantium ſacrificiis litabant.

(a) Collas Indi ſunt ad ſeptemtrionale lacus *Titicaca* latus ſiti.

4. Agnatam *Pucaranitorum* idololatriam contumaciorem reddiderat cruentiſſimum Hiſpanorum inter ſe prœlium inter *Guarinam* & *Pucarani*, ſpectantibus barbaris & Chriſtianorum crudelitatem abominantibus, factum, ex quo nomen etiamnum campo (b) perſeverat. Cauſam prœlii dederat infamis Gonſalvi Pizarri ſequaciumque in ſuum Regem rebellio, & aliorum fidelitas. His præerat Didacus Centeno, cui jungebatur Epiſcopus Cuzcenſis Ioannes Solano: illis Gonſalvi Pizarri nomine Franciſcus de Caravajal proditionis & ſævitiæ monſtrum, qui licet numero Regiis multùm impares (c) illos tamen vicerunt non tàm propriâ virtute, quàm vitiis in bello non infrequentibus, Regiorum avaritiâ & hoſtium neglectu. Regii ſiquidem & multitudine ſuâ & primâ prœlii fortunâ, quâ rebelles pellebantur, ſecuri, quaſi partâ victoriâ, impedimenta hoſtium, nullo ordine, nullis conſtitutis exploratoribus aggrediuntur. In quam Regiorum incuriam intenti rebelles ſparſos huc illuc, prout quemlibet propria cupido aut ſpolii occaſio traxerat, Regios magno impetu adoriuntur funduntque, cæſis trecentis quinquaginta, cùm ex ſuis non ampliùs centum deſiderarent.

(b) *campo de la batalla.*

(c) Regii erant 1000. rebelles 500 vide lib. 3. cap. 4. num. 20.

5. Pervicaciam inſuper Indorum & à Chriſtiana fide averſionẽ miris artificiis fovebant venefici, & ſenſibilia oracula, quamquàm pleniſſima non obſcuris fallaciis, impedientes, ne eas Indi agnoſcerent, inveteratâ conſuetudine & novis ſemper dæmonum technis. Nam ſi quid oraculis contrarium accidebat, perſuadebant excœcatis hominibus vitio id proveniſſe immolatæ victimæ, aut indebitarum cærimoniarum, quas pro libitu ſtatuebant variabantque. Elevaſſe eam depreſſiſſeve celeriùs aut tardiùs ſimileſque nugis, ſacrilegium, ſi libitum erat fraudique opportunum, computabant, ſemperque aliquid ab indoctis Indis peccatum erat, nihil unquàm à peſſimis dæmoniis.

6. Hæc erant quæ gentem illam Religioni Catholicæ contrariam faciebant, præcipuè verò illa Chriſtianorũ in ſe mutuò ſævities, quam oculis ſuis perſpexerant. Quapropter omnis in primis irritus erat labor, quamquàm inſigni diligentiâ induſtriâq; ſemina Chriſtiani dogmatis ſpargerent Ioannes Calderon de Rojas & Petrus Sanchez Bernal ſæculares Sacerdotes viri à ſuo zelo plurimùm commendati. Quia tamen ſæpè plurium labor perrumpit, quo paucorum inutiliter fatigaretur, Præfectus Provincialis Auguſtinianorum redeunti per *Chuquiago* Proregi Franciſco de Toledo ſupplicavit, ut ſibi ſuiſque id operis committeretur, Curione, qui tunc erat Franciſcus de Saldivar, in propinquam commodioremque parochiam *Viacha*, tunc Auguſtinianis ſubjectam, tranſlato. Mutationem probavit roboravitque ſuâ authoritate Prorex. Anno itaque M.D LXXVI. Kalendis Ianuariis *Pucarani* poſſidere Auguſtiniani cœperunt. Præfectus verò Provincialis non tã novâ poſſeſſione quàm

occaſione

occaſione propagandę fidei,tollendorumque idolorum lætus contrà violentum hoſtem validum & diuturnâ ſimilium cum dæmonibus bellorum experientiâ edoctum Ducem Ioannem del Canto deſtinavit, qui ſucceſſorem habuit B. P. Ioannem de Saldaña (*a*) cum P. Nicolao Ximenez,qui divino Numine animoſi intrepidè idola comminuerunt,irriſerunt veneficorũ, quâ gloriabantur alioſque terrebant,potentiã,& manifeſtè convicerunt ſuperſtitiones non eſſe niſi inania dæmonum commenta. Difficillimam verò operam in perſuadenda auriculari confeſſione, diſſuadenda verò credulitate,quam de nocturnis avibus, bubonibus ſc. & veſpertilionibus habebant, locârunt. Si quæ alicujus ædibus inſediſſet, ſi quæ ante eas ceciniſſet, feralia eſſe omina arbitrabantur, aliquemque ex familia brevi eſſe moriturum, ut hos eadem, quæ veteres ethnicos Europæos,inſania exagitaret,

(*a*) vide ejus vitam lib. 12. ca. 3

Fedaq; fit volucris venturi nuntia luctus

Ignavus bubo dirum mortalibus omen.

7. Quapropter in tam difficilis belli ſocietatem Deiparam Mariam infidelitates, hæreſes,ſerpentis infernalis caput conterere ſuetam, adſciſcendam rati Auguſtiniani de aliqua ejus ſtatua *Pucarani* collocanda cogitârunt. Sciebant quantis in *Capocabanà* miraculis celebraretur quædam, quam Franciſcus *Tito Topangui* ex veterum Ingarum ſtemmate, majore devotione quàm arte ſculpſerat, & publico cultui *Capocabana* anno M. D. LXXXIII. exponi permiſerat. Intelligebant aliam ab eodem Franciſco majore nunc artificio eſſe perfectam;hanc P. Nicolaus Ximenez & P. Hieronymus Gamarra à Franciſco precibus obtinuerunt, & maximâ ſolemnitate *Pucaranum* tranſtulerunt anno M. D. LXXXIX.

8. Neque diſtulit auxilium ferre in auxilium vocata: tot tantiſque prodigiis dæmones duroſque infidelium animos oppugnare orſa eſt, ut per totam mox Peruviam hâc victoriâ celebris prædicaretur: dæmonem viſibili forma in Eccleſia *Pucaranenſi* præſentem,miſſo adeum cum baculo Laurentio Lluſco *Pucarani* oriundo & claudo, ſpectante mirantequę totâ multitudine, ejecit, (*b*. aliiſque quamplurimis naturæ potentiam ſuperantibus factis (*c*) averſos antè pervicaceſque animos compulit magis quàm pellexit, ad Catholicam fidem, ut rarus ſuperfuerit idololatra aut ſuperſtitioſus, Auguſtinianis non ſegniter occaſione cæleſtis favoris ad emolliendas ſuperandaſque barbarorum mentes utentibus.

(*b*) anno 1592.

(*c*) P Antonius de la Calancha lib. 4. ca. 14. 15 16. & 17. ſuprà viginti ſeptem enumerat, quæ ibi videri poterunt.

HISTO-

HISTORIÆ PERVANÆ

LIBER XVII.

Capitulum Peruviæ decimum quartum.

CAPVT I.

Acta Capituli.

1. P. M. Luiſio Lopez completo Officii tempore in Præfectura Provinciali per ſuffragia Comitiorum Limenſium, quæ anno M. D. LXXXVII. celebrabantur, ſucceſſit P. Ioannes de Sancto Petro: cui Definitores dati ipſemet Luiſius Lopez, P. Hieronymus Gavarrete, P. Rochus de Sancto Vincentio, & P. Martinus Sierra, quem & Romam ire tanquàm Definitorem voluerunt.

2. Decreta Patrum varia fuerunt prudentiſſimaque, ſed quia Provinciæ iſti ſpecialia, omittenda, quod & in aliis Capitulis feci; duxi. Provinciæ, quæ amplitudine ſuâ ſecundam in uno triennio viſitationem ſi non impoſſibilem, certè difficillimam faciebat, Præfecturam in poſterum niſi quarto anno finiri voluerunt: Priores non à Conventibus eligi, quod factum fuerat hactenus, ſed à Patribus Definitorii conſtitui, prout novis Ordinis Conſtitutionibus ſub Reverendiſſimo Patre Priore Generali Thadæo Peruſino anno M. D. LXXX. abſolutis diſponebatur: atque ex iiſdem Definitorium novenario Patrum numero conſtare, Præſidentis, Provincialis, Provincialis abſoluti, quatuor Definitorum, duorum Viſitatorum. (a)

(a) 3. par. cap 7 §. 6. noſtrarum Conſtitutionum.

3. Ordini adſcriptus eſt Conventus civitatis, *Guanuco*, quò ante tres annos coloniam deducere cœperat.

CAPVT II.

De monaſterio Guanucenſi.

1. PRIMA civitati *Guanuco* initia dedit Marchio Franciſcus Pizarrus anno M. D. XXXIX, die Virgini aſſumptæ ſacrâ, miſſo illuc Gomeſio de Alvarado Centurione, qui inde *Illactupac* cædibus fortiſque ex vicinis montibus poſt generalem Indorum contra Hiſpanos rebellionem graſſantem (quem Antonius de Herrera (b) *Illotopa* ſcribit vocatque tyrannum) fugavit. Metu hoſtis exempti & propinquæ vallis, quam *Pilco* fluvius irrigat, amœnitate pellecti, nondum biennio à fundatione exacto, anno videlicet M. D. XLI. ipſâ Purificationis ſolemnitate, in eandem vallem Petrus primùm Barroſo, deinde Petrus de Puelles Centuriones juſſu Vaſconis de Caſtro Peruviæ Gubernatoris civitatem tranſtulerunt, ad quam plurimi mox ditiſſimique ſibi ſedes

(b) dec. 5. lib. 3. ca, 19.

ſedes ſumpſerunt, egregiâ aëris temperie valliſque amœnitate illos advocante. Eſt hæc in decimo latitudinis auſtralis gradu, diſtatque Limâ verſus Septemtrionem leucis omninò quinquaginta, ſita non longè à verè regia Ingarum via. Dictu mirabile reputatur, quòd cùm totis quatuor menſibus cōtinuis Decembri, Ianuario, Februario, Martio (qui ibi ſunt menſes æſtivales) pluat, circunderurque montibus multâ ſemper nive & grandine contectis, magna tamen ſit terræ ſiccitas, tantuſque Solis menſibus hybernis Iunio, Iulio, Auguſto ardor, ut æſtu perire neceſſe eſſet, niſi continuum ventorum Orientalium refrigerium Deus providiſſet. Spirant hi quotidie infallibilitetque ab horâ meridiei duodecima ad quartam uſque veſpertinam, quo fit ut ſuaviſſimâ aëris temperie, maximè circa veſperam, perfruantur.

2. Terra ipſa mirum in modum eſt fœcunda, ut omni anni tempore in una parte eam præparent, in altera ſeminent, in alia metant & in horrea congregent. Quædam etiam arbores omni anni tempore dant fructus, præcipueque ficus, quarum una medietas maturis fructibus, altera gemmis, floribus, & proximis flori ficubus, palatū ſimul oculoſque dulciſſimè oblectant.

3. Miros hos benignæ naturæ luſus ſequantur quædam ejus monſtra. Didacus de Aguilar & Cordoua *Guanuci* Gubernator duo refert, (*a*) quæ ejus verbis adſcribam. *Cum anno* M. D. LXXI. *Guanuci eſſem, duo vidi oppidò admiranda. Exiſtenti mihi in hoſpitio Lliquilla ſeptem à civitate leucis remoto oſtenſa Inda fuit annorum viginti quatuor, quæ filiolam amiſerat adhuc infantulam, cujus quotieſcumq; illi memoria refricabatur, ſanguine illius mortem plorabat, cujus rei ipſe in eodem hoſpitio experimentum feci. Alterum fuit non minus prodigioſum, cùm in Guanucenſi civitate taurorum ludentium ſpectaculo tenerer, adoleſcentem vidi ætatis viginti annorum, cui perfectiſſima in vertice erat, qualem ſacerdotes ferre ſolent, corona. Rei inſolitæ cauſam percunctanti reſponſum fuit imprecatam id accidiſſe gravida matris, quæ ex Sacerdote conceperat concubitum negante.*

(*a*) in ſuo libro manuſcripto, cujus titulus eſt, *Soledad entretenida*, dialogo 5.

4. Tertium adjungo teſtimonio Iudicum & Religioſorum firmatum. Anno M. DC. XXXI. in pago *Arancay* territorii *Guanucenſis* ex Didaco de Tapia natum eſt monſtrum, duo habens, quorum alterum plorabat quieto altero, capita, quatuor brachia, totidem crura, duo pectora, utrumque ſexum, ac unicum dumtaxat ventrem: inſolentius multò quam illud de quo ſcribit S. P. Auguſtinus, (*b*) quod ſolis ſuperioribus membris erat duplex, inferioribus ſimplex.

(*b*) lib. 16. de civitate Dei cap. 8.

5. In hanc civitatem primò Auguſtiniani commigrarunt anno M. D. LXXXIV. P. M. Luiſio Lopez Provinciæ Præfecto, & deinde triennio pòſt inter monaſteria computari cœpit conſtituto primo ejus Priore P. Didaco de Montoya in quo pro palma prudentia obſervantiaq; magno ſplendore certabant. Hujus ſodaliumque ejus optimis moribus & ſedulâ inſtructione pellecti habitatores ſubita monaſterio incrementa ſuâ liberalitate dederunt. Præ omnibus emicuerunt Didacus Alvarez & Elizaberha de Figueroa conjuges, quorum proinde non-ſtrictim prætereunda eſt mentio.

6. Hanc porrò Elizaberham mundo ediderunt Gaſpar de Vega & Olalla Velaſquez parētes utrimque nobilitate illuſtres. Illa certè nobilitatem generis eximiâ corporis pulcritudine longè ſuperaverat, hâc tamen modeſtis moribus ſuperior, quam primis ſibi nuptiis copulavit nobilis vir Bartholomæus de Taraçona inter primos *Guanuci* fundatores præcipuus, à quo Indos de *Guari* in *Conchucis* hæreditavit. Mortuo ſine prolibus Bartholomæo eam ſibi uxorem ſumpſit Didacus Alvarez, de quo loquimur, Salmanticâ oriundus

oriundus genere nobilis, qui Præturas *Cuzci*, in Provincia *Chachapoyas*, *Guanuci*, *Potoſiq́* adminiſtravit. Potoſiæ autem cum agerer, extinctus eſt Bartholomæus, ſed cum mortis nuntio acçendi in fibris Didaei cœpit caſtus amor & deſiderium potiundæ viduæ, cujus formam virtuteſque jampridem animo, *Guanuci* Prætor cùm eſſet, altè impreſſerat. Quare abdicata Præturâ *Potoſienſi Guanucum* redit obtinetq́ue Elizabetham conjugem, necquidquam ab hujus matrimonii fælicitate deſiderari poſſe videbatur quàm prolis ſolatium humanis ſemper votis ardentiſſimè petitum, ſed quod Dei cultum ſi non negligit, certè cum prolis ſollicitudine plerumq́; dividit, ſemper autem impedit eleëmoſynarum abundantiã, neceſſitate & debitâ illius educatione collocationeque ſibi adſcribentibus, quod aliàs libertimè potuiſſet in pauperes erogari, ut non-rarò major ſit Dei benignitas piis conjugibus ſcbolem negàre quàm concedere. Vt uno verbo dicam, nonne ſanctiùs, addo etiam, nonne gloriosiùs atque ad nominis perpetuitatem utiliùs Ioannes Patritius Romanus atque ejus uxor Beatiſſimam Virginem Dei matrem voto hæredem ſcripſerunt (a) quàm prolem ſucceſſione reliquiſſent?

(a) in breviaro Romano 5. Auguſti.

7. Ita cùm liberos non ſuſciperent Didacus & Elizabetha, à cælo precibus conſilium quæſiverunt, quod in opus opes ſibi largiſſimè conceſſæ optimę callocarentur. Et primò quidem fixum apud illos fuit nulias in Hiſpaniam tranſmittere, aut ibi condere ſtemmatis ſui nominiſq́ue monumentum, ſervitutum potiùs conſanguineorum ſolatio gloriæq́ue, quàm indigentium neceſſitati, ſed magis Peruviæ, ubi iis aucti fuerant, commodis indigentiæq́ue conſulere decreverunt. Quæ cùm non major corporum eſſet, quàm animorum, illos maximè alere ſtuduerunt qui utriq́ue ſuccurrere poſſent & vellent. Auguſtinianis annis aliquot veſtitum, victum, medicinas, tùm quidquid ſeu in monaſterio ſeu Eccleſia erat neceſſarium, ſubminiſtrârunt eâ charitate, ut, ne ipſi à ſpiritualibus exercitiis aut barbarorum converſione avocarentur, coctos in ſuis ædibus cibos deferri curarent ad monaſterium, quod ipſi extruxerunt magnificentiſſimum, adjectis copiosè annuis cenſibus, ut privati opes excedere credi poſſet: certum cenſum conſtituerunt duodecimq́ue ſervos, ſemper ut aliquid ædificaretur, ornareturve. Fundos Ordini donâverunt ampliſſimos, quorum annui, qui percipi poſſunt, proventus decies mille peſis non ſunt inferiores. Sacellum in carcere, in quo ad ſolatium captivorum Auguſtiniani Sacrum ſingulis dominicis & feſtivis diebus celebrarent, & cùm opportunum eſset, eorum confeſſiones audirent, cum ducentis quinquaginta peſis cenſus perpetui erexerunt; conſtitutis inſuper quadringentis annuè peſis humaniores literas profeſſuro, quem ex ordine noſtro eſſe voluerunt. Mille annuè peſa ordinârunt pauperibus Indis ad ſolutionem tributorum, quibus immaniter gravabantur, in ſubſidium futura: mille & ducenta duabus in annos ſingulos pupillis *Guanuco* oriundis, prælatis tamen Elizabethæ conſanguineis, in matrimonium collocandis. In quos fines prætereà ipſimet non rarò duo, tria, quatuor, aut quinque peſorum millia erogabant tali vultus hilaritate, illiſq́ue ſermonis illecebris, ut ad rurſùm petendum invitarent. Nulli ab ipſis eleëmoſyna negabatur, habebantq́ue famulum, qui de ſtatu pauperiorum, & quos pudor, ne inopiam detegant, cohibet, ſtudiosè inquireret & deferret. Copioſa item dona in vicinas *Guanuco* Provincias pauperibus & oppreſſis Indis mittebant, hâc ſuâ liberalitate exacerbatos eorum animos non parùm mitigantes præparanteſq́ue ut faciliùs Evangelicæ doctrinæ ſemen cũ fructu admitterent:

rent: ut non tantùm propter ingentia in Auguſtinianos collata beneficia, ſed & ob ſuppetias ad Indorum converſionem latas meritò ſibi in hac hiſtoria locum expoſcant.

8. Cùm tot operibus bonis communi concordique voluntate vitam optimi conjuges aliquamdiu egiſſent, Deus promiſſionis miſericordibus à ſe factę memor poſſeſſione æternæ vitæ beare Elizabetham voluit, ita enim ex hac vita exceſſit, ut non obſcurè meliorem inchoare cognoſceretur: ſolùs eâm paupe-rum tanto ſolatio deſtitutorum planctus revocare voluiſſet.

9. Verùm Didacus charâ conjuge orbatus illius pro pauperibus euram ſuæ copulavit, ut duplici nunc ſolicitudine pro illis teneretur. Et obſerva, amabo, hujus ſollicitudinis induſtriam. Duas in ædibus ſuis capſas habebat, in unam duodecim, in alteram decem peſorum millia immittens. Illa, ut eorum mutuo honeſtarum perſonarum ignominiam, carceres, expenſas, quæ propter debita Magiſtratuum ſententiâ non infrequenter irrogantur, prohiberet, erant deſtinata, adeò ut hic eſſet Mons pietatis omnibus promptiſſimus nullum exigens luctum: his pauperum, quos verecundia ad petendum mutos reddit, inopiam ſublevabat, ſuccurrebatq; indigentibus Religioſis. Cùm eleëmoſynæ ſummam exhauſerant, alia decem millia in eoſdem uſus à Didaco ponebantur. Eâdem munificentia reparabat, ſi quid ex priori capſa aliquorum reſtituendi quod mutuo acceperant impotentia conſumpſiſſet.

10. Accidit autem, ut, cùm multis ſimul concurrentibus neceſſitatibus non exiguas ſummas ex ſecunda capſa extraxiſſet, his quippiam in capſa ſupereſſe miratus, rationem inierit expenſarum, quæ decem millium peſorum ſummam ſuperabant; nihil tamen, cùm pecunias in capſa reliquas numeravit, ex eadem ſummâ invenit imminutum, quaſi Deus vinci ſe hominum liberalitate nollet. Miraculum Religioſorum & pauperum cauſæ eùm Didacus adſcriberet, illud mox Priori noſtro *Guanucenſi* & Confeſſario cum divinæ benignitatis laude narravit.

11. Cum in infirmitatem incidiſſet, eam ſibi ſupremam fore ratus, duodecim illa peſorum millia in pauperes Indos, viduas, orphanos, captivos diſtribuit, nullâ magis ſolicitudine anxius, quàm ſi non alicujus inopis eſſet oblitus: ſi quis memoriæ occurriſſet, ad eum deferri mox eleëmoſynam curabat. Vi morbi extra rationis uſum abreptus, nihil, quàm quod integer curaverat, agere videbatur, in has voces erumpens, *Statim detur iſti pauperi, mittatur ad carceres, nondum eſt hoſpitali miſſum? iſtudne quod dixeram Auguſtinianis datum?* Quibus cùm paroxiſmi jungerentur, eas agonizantis eſſe Religioſi arbitrati officio extremarum precum adeſſe exceſſuro ſatagebant. Ille ſtudium eorum animadvertens, *differte*, ait, *tantiſper orationes iſtas, donec quæ ſuperſunt, juſſero pauperibus erogari; veſtri vos officii poſteà monebo.* Erogavit. Mox Crucifixum ſibi dari poſtulans, *aſperge me*, dixit, *Prior aquâ benedictâ, eleventq; altiùs caput ut in oſcula Chriſti* ſit promptius, & adfixo lateri Chriſti ore, eâ quiete, quali in contemplationem duci animæ optimorum ſolent, exceſſit octuagenarius, relictâ poſt ſe virtutum memoriâ, quam nulla unquàm ætas in Peruvia ignorabit.

CAPVT III.

Miracula Sancti Nicolai Tolentinatis Guanuci facta.

1. MIRACVLVM jam haberetur aliquẽ eſſe locum nullo S. Nicolai Tolentinatis miraculo illuſtrem. Numerant certè *Guanucenſes* ab ipſo Auguſtinianorum adventu plurima, duo autem in monumentis Peruviæ, quæ habere potui, narrata inveni recenti memoriâ facta.

2. Anno M. DC. XXX. Ioannes de Vega Curio xenodochii & Vicarius *Guanucenſis* civitatis deſperatâ ad vitæ terminum infirmitate trahebatur, munieratque ſe ad tranſitum Eçcleſiæ Sacramentis iſti tempori opportunis. Ideo tamẽ ipſe nondùm ſpem omnem abjecerat, quòd magni Thaumaturgi S. Nicolai de Tolentino recordaretur: hunc ergò in patrocinium advocavit, petivitque ab Aſcetarcha ejus ut imaginem ad ædes ſuas deferri ſineret. Obtinuit, & frequentiſſimo comitatu ac plurimis tædis muſicisque inſtrumentis deferri curavit. Præſentem veneratus, mox cęlici hujus archiatri opem ſenſit, ſanus factus validuſque antequàm imago ex ædibus ad monaſterium referretur. Ille in gratitudinis teſtimonium auream S. Nicolao catenã ac ornamentum ſumptuoſiſſimum obtulit, ditans ejus ſacellum quadringentis annuè peſis, & ibidem deligens ſuę ſepulturæ locum.

3. Iſtud magnum fuit & privatum; quod ſequitur, maximum publicumque, ac ſimile prorſus iſti quod in *Potoſia* de S. P. Auguſtino deſcripſimus. (a) Parem *Guanuci* calamitatem anni integri ſicciras invexerat; mortiferis puſtulis paſſim clades graſſabatur, ſuperabat humana omnia media mali magnitudo. Recurritur ad cælites & communi civium conſilio ſchedæ ampliùs centum inſcribuntur nominibus Sanctorum quos frequentiùs hominum neceſſitatibus opitulari experientia docuiſſet: ex quibus quę primò fuit extracta, Sancti Nicolai Tolentinatis nomen continebat. Inſtituitur in ejus honorem eodem veſpere proceſſio comitante non exiguo flagellantium numero, quam nondum finierant, cum accelerare reliquum viæ pluviæ cadentis abundantia juſſit, deſiîtque illâ ipſâ hebdomade tota puſtularum per civitatem infirmitas.

(a) lib. 16. cap. 4 nu. 11

HISTORIÆ PERVANÆ

LIBER XVIII.

Capitulum decimumquintum.

CAPVT I.

Actâ Capituli.

1. ELAPSO Præfecturæ Provincialis, quam tertiò in Peruvia geſſerat P.M. Ioannes de Sancto Petro, termino, eodem convocante nova Cuzcum Comitia indicta ſunt, ſed non eâdem, quâ præcedentia hactenus, tranquillitate peracta, potentiâ ſæcularium libertatem ſuffragiorum ſupprimente, quo nihil poteſt accidere ulli Religioni triſtius, dùm vident à ſe violentè eripi unicum, quod poſt omnium terrenarum rerum ac propriæ inſuper voluntatis abdicationem reſtat, ſolatium, jus videlicet liberum electionum, quibus talem deputent ſibi rectorem, quem ſuæ Religioni moribuſque judicant aptiſſimum; quique ſuorum benevolentiâ provocatus patrem ſe illis monſtrare mâlit quàm judicem, & æſtimare *ſe non poteſtate dominante ſed charitate ſerviente felicem.* (a) Verus paſtor, qui per oſtium in ovile ovium intravit, (b) eas placidâ ſollicitudine educit, non diſcerpit immiti imperio, quo plerumque intolerabiles ſunt, qui aliundè, vi ſcilicet & intruſione magnatum aut monaſticarum legum conculcatione aſcenderunt, fures potiùs facti & latrones quàm paſtores, qui non veniunt niſi ut furentur, mactent, & perdant. Infelix prorſus Religioſorum, quibus invitis tales obtruduntur, conditio & ipsâ ſæcularium tribulatione deterior, dùm fugatâ charitate hinc perpetuis minis ac vindictâ torvus imminet Prælatus, indè ſubditi ſervile graviſſimumque jugum ferre coguntur aut excutere. Et abſint ſanè hæc ab obtruſis Superioribus ob eorum probitatem prudentiamque incommoda, uti abfuiſſe in his noſtris Comitiis mox videbimus, defuiſſe tamen in ipsâ eorum tali conſtitutione fas æquumque nemo negabit.

(a) S.P. Aug. in regula. (b) Ioan. 10.

2. Patrum igitur ſuffragiis ad Provinciæ Præfecturam petebatur P.M. Rochus de Sancto Vincentio, niſi duobus ante electionem diebus ſollicitatione conſanguineorum P. M. Ioannis de Almaraz Limâ literæ fuiſſent allatæ, quibus P. M. Rochus obſequii regii obtentu nullâ dilatione Limam vocabatur. Non poterat dolus Patres Comitiorum latere, quia tamen earum ſcriptor potentiâ æquè ac ferociâ Peruviam terrebat opprimebatque, metu gravioris mali præeſſe Provinciæ P. M. Ioannem de Almaraz voluerunt IX. Kalendas Julias (c) anno M. D. XCI. adjunctis ei Definitoribus P. M. Alphonſo Pacheco, P. Ioanne Ramirez, P. Martino de Sepulveda, P. Nicolao de S. Maria. Novus Viſitatorum Magiſtratus

(c) 23. Iunii.

ſtratus P. M. Ioanni de Sancto Petto & P. M. Rocho de Sancto Vincentio fuit collatus.

3. Novas Conſtitutiones ab undecimo (a) curâ R.mi Patris Thadæi Peruſini Prioris Generalis Romæ abſolutas receperunt, ſupplicatione decretâ ad eundem R.mum Patrem ut in paucis, quæ in iſto mundo obſervatu erant impoſſibilia, diſpenſaretur.

(a) videlicet anno 1580.

4. Domum Sancti Philippi de *Chiſgon*, quæ diei unius itinere abeſt *Guamachuco*, Prioratum eſſe voluerunt ac præeſſe in eodem P. Petrum de la Fuente. Indorum, quos fide Chriſtianâ imbuũt, pecudum quas alunt, &, quos colunt, agrorum, magnam ibi Auguſtiniani copiam habent, quò ipſa loci amœnitas non parùm invitat, ideò major, quòd ejus lambat latera magnus nominatuſque in Indiis fluvius *Marañon*. Admiſerunt inſuper monaſteria *Tarija Naſca*, *Cañete*, & Dominam Noſtram *Copacabana* miraculis claram.

5. Hòc anno M. D. XCI. magnis virtutibus taræque P. M. Luiſii Lopez, cuius non ſemel ſuprà meminimus, doctrinæ præmium Philippus II. Hiſpaniarum Rex decrevit, *fluvii argentei* (b) & *Paraguay* Epiſcopatum (quem ſequẽtia tempora in duos diviſerunt) addito mandato ut inquietos *Charcas* nomine ſuo componeret. Nunquàm ille, licèt ſtudioſiſſimus virtutum religioſarum cultor, magis eas quàm in Epiſcopatu exprimere fuit obſervatus. Iudicabat nimirùm cum honoribus onera, & cum donis rationem creſcere donorum, ideoque gravem eſſe omnem Prælaturam. Quantò verò ſe magis humilis Epiſcopus deprimebat, tantò eum amplioribus augere honoribus Rex ſatagebat, anno etenim ſequenti eum ab hac infula (c) ad honoratiorem *Quitenſem* tranſtulit, ad priorem (d) aſſumpto P. M. Ioanne de Almiraz, qui ſuâ morte adventum literarum Regiarum in Peruviam fœlix prævenit. (e)

(b) Rio de la Plata.

(c) 1592.

(d) *fluvii argentei & Paraguay*

(e) vide infrà cap. 4.

6. Appulerat anno M. D. XC. in Peruviam cum poteſtate Vicarii Generalis præclariſſimus vir P. M. Gabriel Saona, adduxeratque ex Hiſpania pro Provincia *Quitenſi P. Ioannem de Vaſcones*, *P. Rodericium Martel*, *P. Didacum de Medina*, *P. Didacum de Arenas*, *& P. Antonium de Ciſneros*, virtutibus omnes inſignes & ad opus prædicationis Euangelicæ animoſos, quos cum opportunis ſtationibus diſtribuiſſet viſitaſſetque non interrupto labore Peruviam, prætulit importunis honoribus quietem religioſam, & petitâ in Conventu Limenſi cellulâ torum Provinciæ onus in humeros novi Atlantis P. M. Ioannis de Almaraz reclinavit.

CAPVT II.

De monaſterio de Tarija.

DVM *Tarijam* nominamus, extremos Peruviæ verſus Auſtrum terminos, ad quos hactenus Hiſpaniarum Rex imperium promovit putemus. Habet autem *Tarija* parem ferè cum *Chuquiſaca* lõgitudinem, latitudinem verò Auſtralem aliquãro majorem: nam cùm *Chuquiſaca* ſit in latitudine graduum viginti unius & medii, *Tarija* ſub ipſo eſt tropico Capricorni vel etiam extra eum excurrit manifeſto Didaci Mendez utriuſque pęnè latitudinem æquantis errore. Etenim cùm *Chuquiſaca Tarija* ſit ampliùs ſeptuaginta leucis meridionalior, conficianturque ſeptendecim leucæ cum media gradum unum, elicitur non obſcurè *Tarijam* habere latitudinem quatuor gradibus aliquotque minutis, quàm *Chuquiſacam*, majorem, ideoque ultra vigeſimum quintum & medium 1.

medium gradum ab Æquatore in Auſtrum recedere, à Tropico Capricorni ultra gradus plùs minùs duos: in tabulis tamen coſmographicis intra Tropicum notatam *Tarijam* invenio.

2. Hanc Regi Ioannes Porcel de Padilla pactus cum eo titulum Gubernatoris perpetui ſubjecit. Sita eſt in valle, quam undique montes cingunt, amœna, aëre temperata, & admodùm fertili tritici maiziſque: uti paſcuis ita pecude abundat pinguiſſima: duo prope eam fluvii naſcuntur, qui primò inter ſe deinde aliis juncti ſub nomine *Pilcomajo* in maximum *Argenteum* (a) ſe exonerant.

(a) *Rio de la Plata.*

3. Quia verò nihil erat fervori Auguſtinianorum diſſitum, ad extremos hos, barbaros & crudeles populos penetrare voluerunt, fructum non ex gentis ferocitate ſed ex ſuâ fiducia & charitate metientes. Factum id anno M. D. XCII. P. M. Ioanne de Sancto Petro poſt mortem P. M. Ioannis de Almaraz Provinciam regente. Hic P. Andream de los Rios & P. Franciſcum de Ervas omnium illuc primos deſtinavit, illum Prioris, hunc Concionatoris munere, qui eorumque ſequaces ex loco non divite plus ſpiritualis quàm temporalis fructus, quem etiam deſiderantiùs quærebant, collegerunt: impigro tamen labore ſurrexit monaſterium ædificiis moderatum.

CAPVT III.

De monaſteriis Naſcenſi & Cañetenſi.

RECEDIT *Naſca* ab Æquinoctiali in auſtrum ſecundum tabulas in novo Atlante per Guilielmum & Ioannem Blaeu anno M. DC. XXV. edito gradibus quindecim, ſecundum P. Antonium de la Calancha quatuordecim & medio. Aliquantò *Naſcâ* Auſtraliùs terræ terminâtur, quas *Iungas* barbari, *llanos* Hiſpani, appellant, nos planities dicere poſſumus à pluvia immunes. 1.

2. Huc coloniam Auguſtinianorum deduxit tertiâ Provinciali Præfecturâ finiente anno M. D. XCI. P. M. Ioannes de Sancto Petro, eſtque ibi Religioſorum unica. Illam primò Vicarius rexit P. Chriſtophorus de Vera: proxima autem Comitia in monaſterium adſcripſerunt, P. Rodericio de Valentia cum officio Prioris præeſſe juſſo. Fundum ædificando monaſterio liberali manu tribuit Garcia Naſca Indus Auguſtinianis propter ſingulares eorum virtutes profectuſque devotiſſimus.

3. Quod modò *civitatem de Cañete* ob Marchionis de Cañete Proregis, qui eam fundavit & colonis Hiſpanis auxit, memoriam dicimus, antiquitas *Guarco* nominavit. Habet latitudinis Auſtralis tredecim gradus minutaque decem, de qua in hunc modum ſcripſit Antonius de Herrera. *Civitas de Cañete aut de Guarco à valle in qua ſita eſt, Limâ verſus meridiem abeſt viginti quinque leucis, leuca & media à Mari: Agros vicinos fertiles habet tritici, quo non præſtantius fert tota quàm latè extenditur*

tur Peruvia , quodque magnâ copiâ in Terram firmam avehitur. Limâ ad hanc vallem proficiſcentibus priores occurrunt valles Chilca & Malla. In priore nunquàm pluit , neque ullus eam fons , torrens , aut fluvius irrigat , frugibus tamen fructibuſq; abundat ſolo deciduo è cælo rore humectata. Piſces halecibus non abſimiles ſed illis minores (Sardinas vulgò appellant) magno numero incolæ extrahunt , & cum ſingulo maizii grano unum duove capita defodiunt ubertim per hunc humorem fructificante. In vallem Malla Didacus de Almagro & Franciſcus Pizarro convenerunt, conceſſo mutuarum difficultatum arbitrio Patri Bobadilla Mercenario. Per eam labitur magnus fluvius quo variis locis velut ad amœnitatem refrigeratur. Quinque leucis remotius fluvius eſt Guarco in valle cognomine rerum omnium fertiliſſima , ubi indigenæ annos continuos quatuor magno animo fortitudineq; contra Ingas bellum ſuſtinuerunt , atque in ſui defenſionem alterâ medietate auxerunt civitatem , quam dixere Cuzco , erecto inſuper in victoria triumphum non exiguo in ipſo maris litore munimento, quod ipſas , quibus impetitur , undas contemnit ſpumanteſq; rejicit. Sextâ à Guarco leucâ vallis Chincha jacet famoſa amœna & fertilis ; ubi in loco templi Solis, quod Indi habebant in monaſterio Virginum, Cœnobium ædificârunt Dominicani. Hactenus Antonius de Herrera.

4. Munimenti illius admirationem augebit ipſa operis ſtructura nullâ calce aut bitumine , ſed ſolâ ſectorum lapidum proportione ſolidata , ad quam ipſi etiam Europæi obſtupeſcant. Ex illo exiguæ ſuperſunt reliquiæ lapidibus ad templa & domos Limenſes tranſlatis. Facit etiam Limæ vicinitas & populi in ea frequentia , ut *Civitas Cañete* , licèt in delicatiſſima & optimorum per totam Peruviam fructuum feraciſſima valle conſtituta , non tantùm non incolis augeatur ſed decreſcat, pleriſque præ delectabili ſanaque ſolitudine aulicos ſplendores magnarumque urbium pompam & tumultus æſtimantibus.

5. Quantum in convertendis vallium *Chilca* & *Malla* incolis, qui idolatriæ & cærimoniarum gentilicarum pręceprores habebantur, deſtruendaque *Pachacamac* præcipui apud ipſos idoli veneratione operæ collocârint Auguſtiniani, alibi memoravimus. Iidem nunc ſuppetiarum loco ad conterendas infidelitatis reliquias & firmandum nutriendumque Veri Dei cultum præcedentibus ſui Ordinis ſociis acceſſerunt , diſtributâ tamen , ut omnibus faciliùs præſto eſſe & celeriùs ſuccurrere poſſent , in *civitate Cañete* ſtatione , & executi ſunt ſedulò ob Dei amorem , quod aſſumpſerunt , opus.

CAPVT IV.

Vita & mors P. M. Ioannis de Almaraz.

PARENTES habuit P. M. Ioannes de Almaraz I.
notæ apud Salmanticenſes nobilitatis Alphonſum de Almaraz & Leonorâ Portocarrero. Ille ad Terram firmam Præfectus miſſus eam adminiſtravit , factus poſteà ibidem , deinde Limæ ærarii regii numerator. (a) Hæc marito mortuo cum filia Mencia de Soſa Franciſci Ferdinandi Giron vidua , celebri & primo Sanctimonialium in Peruvia monaſterio , quod Limæ eſt , initium dedit ſub titulo *de Incarnatione*. (b) Ioannes autem Ordinis Auguſtiniani habitum ſumpſit in vetere Limenſi Cœnobio anno M. D. LV. menſis Maii die XIX. Ab ipſo Religionis ingreſſu tanto ſtudio virtutem ac Doctrinam eſt proſecutus, ut incertum eſſet, in qua progreſſus feciſſet ampliores. Virtutes juvenem adhuc, velut jam emeritum, Novitiorum inſtitutioni , quodque mireris magis, in vetere Conventu Limenſi

(a) Cõ:ador.

(b) lib. 7. cap 5 nu 2. & ſeqq.

Limenſi præfecerunt. Per doctrinam in Vniverſitate Limenſi Sacræ Scripturæ cathedram diſputationum certamine anno M. D. LXXXI. obtinuit, quam,cum quadriennalis ante & poſt eum fuerit, ad vitam illi Rex Catholicus conceſſit: magno raræ in eo ſcientiæ argumento. Officia geſſit minima, mediocria, maximaque, nullibi ſibi diſſimilis, ubique prudens,ut ſuo exemplo doceret,quanto profectus diſcrimine etiam minima à prudentibus imprudentibuſque adminiſtrentur, nec ſupervacuam eſſe curam Superiorum in nullo delectum negligentium.

2. Virtutibus cum plurimis excelluerit, præcipuarum nomina hæc ſunt, ſedula oratio,ardens charitas, pœnitentia quamquam obeſo ſemper corpore,auſtera,obedientia ſingularis, & quæ hujus mater eſſe ſolet profunda humilitas, ſine qua nemo oſtendat obedientem. Affabilitatem faceriis ita ſuaviter aſperſit ut ob hoc amabilior cunctis videretur nihil virtutibus diſcederet. Mulierū fugam præcipuū caſtitatis munimentum ſoverē tenuit,ut earū etiam confeſſiones,quantum charitas patiebatur, declinaret, quare & virginitatem ſervavit perpetuam, prout ipſe jubente confeſſario vicinus morti detexit, gloriæ Dei inimico eam corpore conſervantis, non ſuæ intentus.Injurias ſibi illatas non diſſimulate tantùm ſed ſeriò ignoſcere ſolitus, cuidam ſibi vindictam cum Provinciæ Præfecturam accepiſſet,ſuadenti, reſpondit, *Abi nunquamq; ad hanc cellam redi: Deum ego toties peccatis meis propitium habui, & cogitabo de vindicta offenſarum quas ab alius, forte interdum juſtè,paſſus ſum?* Deinde conjectis in Crucifixum, quem libris ſemper menſæque ſuperpoſitum habebat, oculis, *Rogo te*, ait, *benigniſſime Domine per ſacra tua vulnera ne permittas ut fultus officii, quod gero, authoritate me vindicem de inimicis: fac potiùs illos ut amem*, *omniq; officii genere praeveniam.* Laudanda in omnibus, neceſſaria in Superioribus ultionis moderatio, niſi ſe parem ſubditis haberi velit certâ regiminis ruinâ & monaſterii confuſione. Debitas reprehenſiones juſtaſque pœnas, quamquàm ægrè, admittit tamen innata omni humano generi ſuperbia, quæ ſi videat publicas leges in privatæ injuriæ ultionem à Magiſtratibus detorqueri aut adſumi;inſurget, depoſitâque erga eos, qui nihil jam veri Magiſtratus quàm titulum gerunt, veneratione, æquales putabit, & licentiùs bacchabitur, nullâ ut plurimùm calamitate mitiganda. *Ideo miſericordiſſime Deus per eadem ſacratiſſima vulnera obteſtantem audi,& fac, ut hoc P. M. Ioannis de Almaraz, imò tuo exemplo omnes omnium Religionum Superiores charitatis magis quam vindictæ memores, injuriarum ſibi factarum obliviſcantur,exuletq; ubique tam pernicioſum malum.*

3. Cum viſitationis munus obeundo *Trugillum* perveniſſet in infirmitatem incidit, cujus moleſtias ad exemplum tulit patienter, notatus etiam devotione in extremorum Sacramentorum ſuſceptione: neque priùs quàm tunc virginitatis confeſſionem mandatum Confeſſarii extorſit. In extaſim diuturnam (febris acceſſum aut mortis prælu dia in initio circumſtantes interpretabantur) ductus,& poſt multos ſudores & triſtes anxietâtes ex ea reductus, apertos in cælum oculos dirigens ſerenâ fronte exclamavit, *Ad purgatorium Domine? ad purgatorium? Sis ſemper benedictus. Eamus,etenim locus pacis eſt.* Poſt hæc Crucifixum oſculatus exceſſit Nonis Aprilis anno Verbi incarnati M.D.XCII. ætatis ſuæ circiter LXX. monaſticæ profeſſionis XXXVII. Nondum decem in Provincialatu exactis menſibus infulâ Epiſcopatus *Argentei fluvii a*)ſeu *Peraguay* eiRex deſignavit, nonquā ipſe geſtavit,mortuus priùs quam in Peruviā Regiæ ſuper eo ex Hiſpania literæ deferrentur. Et fuit forte hoc in cumulo felicitatis repo- (a) Rio de la Plata.

CAPVT V.

P. M. Ioannis de Sancto Petro elogium.

1. CLAVDAT hos de Peruvia Auguſtiniana libros P. Ioannes de Sãcto Petro perfecti Religioſi ſimul atque optimi Prælati idea digna quam cæteri inſpiciant imitenturque. Ejus mihi natales nulla monumenta prodiderunt, animum certè habuit generoſum quem nulla pericula terruerunt, nulli labores fatigârunt. Non illum immenſa Peruviæ diſtantia, non maria interjecta ignotaque adhuc, non populorum barbaries ac contra Hiſpanos irritatio, non Hiſpanorum bella civilia avocare potuerunt quin illuc ſolo Dei amore & deſiderio convertendorum infidelium incitatus inter primos tranſmitteret, (a) prodigus propriæ ſalutis ut plures à mortali cæcitate & putredine liberarentur.

2. Cum in Peruviam appuliſſet, vix annum Limæ rebus Ordinis, pro quo Procuratorem Generalem agebat, ſtabiliendis, addiſcendæque barbaræ linguæ impendit, cùm Apoſtolatum ſuum apud *Guamachucenſes*, ferox & incultum hominum genus, exorſus eſt, obivitque eâ laborum tolerantiâ, iſtâ induſtriâ, illo fructu prout in vita P. Ioannis Ramirez (b) & P. Antonii Loçano, (c) cum quibus ſtudia ſua conſiliaq; habebat communia, prolixè deſcripſimus. Etenim non doctrinâ tantùm Euangelicâ ſed legibus inſuper politicis populum agreſtem ex cavernis ſilviſque extractum ac in pagos diſtributum imbuerunt, exſtructis ornatiſque Eccleſiis, quæ muſico cantu & inſtrumentis perſonabant, ut nihil de Europæis ſolemnitatibus deſideraretur. Tam inſolitâ gaudii manifeſtatione, ſi quem puerum baptizaſſet, ſi quem convertiſſet Indum, exultare ſemper viſus eſt, ut crediderit ſtultum qui ſanctum eſſe ignoraſſet.

3. Tanto hæc ardore proſequebatur, ut ne ipſis quidem Comitiis Provincialibus, quæ Limæ anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo celebrabantur, avocaretur. Ajunt honorum officiorumque horrorem non parùm huic abſentiæ fuiſſe opitulatum. Verùm nullis ſe ſatis latebris tegit, nullo locorum ſpatio ſufficienter ſeparat, qui à Deo vocatur. Suffragiis enim præſentium abſens (diſtat *Guamachucum* Limâ centum ampliùs leucis) atque illa ipsâ hora prædicatione occupatus in Provinciæ Præfectum eligitur, incertum an P. Ioannis, an Patrum ſuffragantium pro humilitate certamine majore. Magna Reip. felicitas eſt in qua nullus magiſtratum affectat, nam pleraque quæ homines injuſtè faciunt, ambitionem comitantur, quæ omnia excluſerat Provincia mala quæ ambitionem excluſerat. Nec admitterent illa unquàm quin fugatâ mox pace omnia turbentur: alter in alterius exitium aut per compendium aut per ambages ducitur, tunc maximè quæſtuoſus cum alium aut obruerit contumeliis aut potentiâ ſuppreſſerit. Majori aut æquali omnis ambitioſus gravatur, minori gravis.

4. Aberat longè hæc animorum laniena à ſancto illo conventu in quo humilitas charitaſque imperabant, & in quo ſinguli, dum pro Provincia & aliorum honoribus erant ſolliciti, à ſe illos amoliebantur, ut fuerit neceſſe, cui Præfectura daretur, abſentem quærere. Et miſſi ſunt, qui non tantùm illam P. Ioanni deferrent ſed Præſidis P. Antonii Loçano mandato ad acceptandum obligarent. Ipſe quidem tantò dig-

(a) lib. 4. cap. 2.
(b) lib. 5. cap. 8.
(c) lib. 14. cap. 10.

nior officio fuit habitus, quàtò alienior nō dico ab affectatione ſed ab affectationis omni ſpecie cognoſcebatur, de neophitis occupatus Indis, dū à remotiſſimis Comitiis, nō-modico eorum incōmodo, acceſſitur & expectatur. Ingemuit tamen inter vora congratulantiū ad ſolum Prælaturæ intuitum, plus in ea oneris quàm honoris, pœnæ quàm gloriæ, negotii quàm oblectamenti, periculi quàm fructus conſiderans; arbitratus inſuper ſe non judicaturum, ſed judicandum ſeverius accedere, quo ſolo omnis Eccleſiaſtici honoris adeundi ſuffocatur appetitus.

5. Ita inter mandatum horroremque fluctuantem firmavit mandati religio, ipſe verò regimen, cui obluctari poſt præceptum non poterat, declinare cogitans, Patribus expoſuit quàm neceſſe eſſet aliquem cum præcipua authoritate proficiſci in Hiſpaniam Italiamque, ut in hac (a) apud Pontificem Summum pro Reliquiis, Iubilæis, privilegiis, & nonnullorum, qui Indos tangebant, caſuum explicatione ageret: in illa (b) Regem de ſtatu Peruviæ informaret, regia peteret ſubſidia, adduceret Religioſos novę ampliſſimæque meſſi aptos. Fecerunt hæc non futilium rationum momenta ut Patrum calculis ipſe P. Ioannes à Sancto Petro, qui pro omnibus Orator in Europam mitteretur, opportunus judicaretur, lætitiâ ejus non vulgari, cui æſtus & pericula animi, ſine quibus Magiſtratus non geruntur, omnibus maris æſtibus & itinerum longiſſimorum periculis erant difficiliora. Non tamen ante medium Februarium anni M. D. LIX, quòd nulla in Hiſpaniam claſſis ſolveret, proficiſci potuit. Quod ante profectionem dabatur tempus, viſitationibus aliiſque ſuæ Præfecturæ muniis impendit raro prudentiæ, paupertatis & in laboribus tolerantiæ exemplo, ut in ipſo non obſcurè pateret utiliùs ut plurimùm præeſſe qui prælaturam fugerunt.

(a) Italia.

(b) Hiſpania.

6. Ex Europa in Peruviam anno M D LXIII redux ſequentia munia geſſit, Definitoris & Prioris Trugillenſis, anno M. D. LXVI. Prioris rurſùs Trugillenſis & illius territorii Viſitatoris; anno M. D. LXVII. Præfecti Provincialis; anno M. D. LXXI. Definitoris, fuit etiam tunc deputatus qui cum P. Hieronymo Guevara ad Comitia Generalia Romam iret; anno M. D. LXXIX. Definitoris & Prioris Guadalupenſis; anno M. D. LXXXI. Præſidis & Prioris Chuquiſacenſis; anno M. D. LXXXIV. Definitoris & Prioris Limenſis; anno M. D. LXXXVII. Præſidis, fuitque tunc, non obſtante illa dignitate, in Provincialem tertiâ jam vice electus, novis Conſtitutionibus, quibus illud vetatur, nondum in Peruviam allatis; anno M. D. XCI. Viſitatoris, ſucceſſitque, qui P. M. Ioanne Almaraz in Provinciali Prælatura extincto, Rector Provinciam adminiſtraret. Monaſteria fundavit ſeu Provincialis ſeu Localis Prior omninò undecim, *Limenſe, Guamachucenſe, Trugillenſe, Cuzcenſe, Parienſe, Guadalupenſe, Guanucenſe, Copacabanenſe, Tarijenſe, Naſcenſe, Cañetenſe*, pro quibus inexplicabiles labores devoravit, quos æſtimabunt non-difficulter quorquot aliquando cœnobiorum incunabulis adfuerunt. Nihilo ſegniùs ab illo in adultis jam cœnobiis actum, qui ſciret malè ad requiem & oblectationes geri officia, & licèt ſocordiâ ſui amantium Superiorum damna in ſpiritualibus juxtà ac temporalibus obveniant monaſteriis plurima, nullum tamen eſſe æſtimabilius, quàm quod ipſæ eorum animæ patiuntur.

7. Quot & quàm longa martyria ſuſtinuit, qui toties tantoque tempore Officiorum jugo ſupponere colla juſſus fuit. Profuerint proculdubio illi ad martyrii gloriam tolerati apud feroces & infideles gentes labores & pericula paſſionum, ſed multò illi graviores Prælaturæ fuerunt. Omnes tamen ita geſſit, ut nulla unquàm in Provincia

Provincia major pax, nunquàm malor ad virtutes ardor, quàm illo gubernante, fuerit. Sed nec ullus perfectiùs veri gubernatoris virtutes in ſe expreſſerat.

8. Erat ſiquidem in eo amor erga ſubditos omnes ſingularis, ſedula infirmorum cura, in dandis neceſſariis liberalitas, ut eâ ad petendum ultrò invitare videretur, cum omnibus affabilitas, virtuoſorum veneratio; nec aliter quàm pro virtute officia diſtribuebat: ſui mortificatio, ſumma morum modeſtia, virginalis caſtitas, ſeria minimarum etiam conſtitutionum obſervatio, mixta benignitati ſeveritas in omnibus culpis, præterquàm ſi quis verbulo, quod redolere impudicitiam poterat, muſſitaſſet, contrà hunc ſemotâ omni clementiâ inſurgebat. Frequens ex Sancti Patris ſui regula inculcabat, ***In inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus motibus veſtris nihil fiat quod cujuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.*** Eratque ejus tam ſeverus exactor, ut ne vultum quidem indignantis ferret, qui indecorè motus fuiſſet aut quippiā geſtaſſet. His omnibus junxerat aſſiduæ ſtudium orationis quâ nihil eſt ad conſervandas Religiones potentius. Vt mirum non ſit hominem omnibus iſtis virtutibus ornatum feliciſſimè imperaſſe.

9. Tandem octogenarium ſuprema infirmitas invaſit, quam tulit exemplo patientiæ. Acceſſitoque P. M. Rocho de Sancto Vincentio Conventus Limenſis poſt promotum ad infulam Epiſcopalem P. M. Luiſium Lopez, qui ejus Prioratum gerebat, Aſcetarchæ ſigilla Provinciæ & quidquid ad ſuos uſus habebat, reſignavit. Habebat autem peſa non amplius ſeptuaginta unum qui nunc quartùm Præfecturam Provinciæ adminiſtrabat. Præſentibus verò Confratribus, ac optimi patris abſceſſum lugentibus ultimùm in hunc modum eſt locutus, ***Sit ad Dei gloriam non laudē meam quod octuaginta, quibus vixi, annos ejus beneficio exegerim nullo unquàm operis cogitationiſve contrà caſtitatem peccato: concordiam ſervate, & Deum, qui vos ſemper protegat, pro me orate.*** His dictis exſpiravit incipiente anno M. D. XCIV. Prælatorum æquè ac Religioſorum norma, cujus obitum multis Provincia annis luxit.

10. Addendæ hîc eſſent P. M. Luiſii Lopez laudes, celeberrimuſque Deiparæ in *Capacabana* cultus & miracula, ſi prolixiora de iis, quàm quæ in Superioribus dicta ſunt, monumēta recepiſſemus. Dabunt fortè ea tempora ſequentia Patrumque noſtrorum Perüanorum, quorum gloriæ hoc opus ſcripſi, ſtudia, quæ nobis erunt gazis omnibus gratiora. Hactenus Perüana Provincia Caſtellanæ ſubfuit, à cujus juriſdictione eam Reverendiſſimus Pater Generalis Andreas Fivizanus literis ſuis anno M. D. XCII. die menſis Auguſti XXV. Romæ datis poſt longa ejus encomia exemit. Vbi & nos libros noſtros finimus, donec nova ex Peruvia documenta mittantur. Sit ad Dei, Deiparæque ac S. P. Auguſtini gloriam omnis noſter labor. Amen.

F I N I S.

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM.

LIBER I.

De Origine gentis, moribus, regimine, religione, & qualitatibus terræ.

CAPVT I. De origine gentis. fol. 1
Caput II. De Perüonorum morbus. fol. 4
Caput III. Modus coſtigandi delicta in Peruvia. fol. 8
Caput IV. De Religione. fol. 10
Caput V. An Perüanis non fuerit annunciatum Euangelium paulò pòſt Chriſti mortem. fol. 15
Caput VI. De Veneficiis, auſpicibus & ſortilegis. fol 17
Caput VII. De ſitu, excellentia, aliiſq; qualitatibus Peruviæ. fol. 18
Caput VIII. De Ingis ſeu Regibus Peruviæ. fol. 21
Caput IX. Quom benè Peruvia par ſuos Ingas gubernaretur, deducitur ex clauſula teſtamenti quam refert P M. Antonius de la Calancho. fol. 32

LIBER II.

De ſubjectione Peruviæ per Hiſpanos.

Caput Primum. Prima Hiſpanorum de Peruvia notitia ac rotio appellationis. fol. 33
Caput II. Proficiſcitur Franciſcus Pizarro in Hiſpaniam & redit Ponomam. fol. 41
Caput III. Secunda Franciſci Pizarro in Peruviam expeditio. fol. 43
Caput IV. Tendit Hiſpanorum exercitus Cojamalcam quaſiturus Atogualpam. fol. 46
Caput V. Hiſpanorum cum Atagualpa conflictus & hujus captivitas. Guaſcaris & Atogualpæ mort. Imperii occupatio. fol 48
Caput VI. Didacus de Almagro in Chili proficiſcitur. fol. 60
Caput VII. Indorum per totam Peruviam rebellio & belli civilis inter Hiſpanos initia. fol. 62

LIBER III.

De Hiſpanorum bellis civilibus.

Caput Primum. Seditiones cadeſq; inter Pizarros & Almagros. fol 67
Caput II. Didaci de Almagro junioris & Chriſtophori Vaſconis de Caſtro Præfecturo & bella. fol. 77
Caput III. Infelix Blaſconis Nuñez. Vela Primi Peruviæ Proregis imperium; ejus mors; & Gonzalui Pizarri rebellio. fol. 85
Caput IV. Gonzalvi Pizarri tyrannis, clades, mors. Licentiati Petri de Gaſca Præfectura & Victoria. fol. 98

LIBER

LIBER IV.

De ingreſſu Auguſtinianorum in Peruviam.

Caput I. Quorum ſtudio operâq́ facta ſit prima Auguſtinianorum in Peruviam miſſio. fol. 109
Caput II. Qui fuerint primi ex Ordine noſtro Peruviæ Apoſtoli. fol. 112
Caput III. Litera regia quibus imperatur ut Auguſtinianis ære regio monaſteria templaq́ ædificentur. fol. 114
Caput IV. Abſceſſus noſtrorum ex Hiſpania; & ſuprema eis à Praefecto Provinciali Franciſco Serrano præcepta data. fol. 115
Caput V. Adventus eorum in Peruviam. fol. 119
Caput VI. Temporis, quo Auguſtiniani Peruviam ingreſſi ſunt, opportunitas. fol. 120
Caput VII. Mox ab Auguſtinianorum ingreſſu cœpta eſt Prædicatio. fol. 124
Caput VIII. Quam ibi vitam vixerint Auguſtiniani. fol 126
Caput IX. Qui ex Provincia Mexicana præcedentibus acceſſerint. fol. 132

LIBER V.

Duo prima Capitula ab Auguſtinianis in Peruvia celebrata.

Caput I. Prima Comitia Provincialia in Peruvia. fol. 133
Caput II. Inſtructiones ituris ad Infidelium converſionem à noſtris data. fol. 136
Caput III. Vita Beati P. Ioannis Eſtacio vel de San Eſtacio; Ego Statium, aliorum exemplo, appellare cœpi. fol. 138
Caput IV. Moritur Prorex: nova in de bella exurgunt. fol. 147
Caput V. Quid durantibus illis tumultibus egerint Auguſtiniani. fol. 149
Caput VI. Capitulum Provinciale Secundum. fol. 150
Caput VII. Vita Venerabilis Patris Andreæ de Salaçar ſive à Ieſu. fol. 152
Caput VIII. P. Ioannes Ramirez. fol. 157.
Caput IX. P. Hieronymus Melendez. fol. 166
Caput X. Memoria RR. PP. Didaci Palomino, Ioannis de Sancta Magdalena, Balthaſaris Melgarejo, Ioannis Chamorro, & Franciſci de Frias. fol. 168

LIBER VI.

De Civitate Limenſi & Auguſtinianorum in ea Monaſterio.

Caput I. De origine, appellatione, ſitu, magnificentia Civitatis, & genio Civium. fol. 173
Caput II. Deſcriptio Monaſterii noſtri Limenſis. fol. 177
Caput III. De Statua Beatiſſimæ Matris Gratiæ. fol. 178
Caput IV. De Crucifixo Miraculoſo in Conventu noſtro Limenſi facto ad ſimilitudinem Crucifixi Burgenſis: Et ſimul de Vita virtutibuſq́ P. Antonii de Monte Arroyo. fol. 182
Caput V. Quædam Crucifixi Limenſis miracula. fol 190
Caput VI. Miracula interceſſione S. Nicolai de Tolentino Limæ facta. fol. 193
Caput VII. De imagine S. Ioannis Sagûtini Limæ miraculis celebri. fol. 197
Caput VIII. Succeſſus aliquot notabiles qui Limæ acciderunt. fol. 198

LIBER VII.

Capitulum Peruviæ tertium ./. ab anno 1557. uſque ad 1560.

Caput I. Capituli acta decretaq́. fol. 202

Caput II. Secunda Auguſtinianorum in Peruviam trajectia. fol. 203.
Caput III. Auguſtinianorum intereà in Peruvia occupatia, nominatim P. Antonii Baeza & P. Franciſci Triſtan. fol. 205
Caput IV. P.M. Ioannis de Sancto Petro Præfecti Provincialis ſedulitas & profectio in Hiſpaniam. fol. 209
Caput V. Fundatio primi Religioſarum in Peruvia Monaſterii, Incarnationis dicti. fol. 211
Caput VI. De aliis Monaſteriis Religioſarum per perſonas Ordinis Eremitarum S. P. Auguſtini fundatis. fol. 222
Caput VII. De Rege ſeu Inga Sayri Tupac ejuſq; conjuge ad fidem Catholicam per P. Ioannem Bivero Auguſtinianum converſis. fol. 225
Caput VIII. Seditio à P. Ioanne Bivero detecta. fol. 229
Caput IX. Vita R. P. Ioannis Bivero. fol. 230

LIBER VIII.

Capituli quarti triennium.

Caput I. Celebratio Capituli. fol. 233
Caput II. De Provincia de los Conchucos, habitantium idololatria & moribus, & quinam primi fuerint fidei Catholicæ apud eos annuntiatores. fol. 234
Caput III. Vita P. Ioannis de Pineda. fol. 237
Caput IV. De Monaſterio noſtro Trugillenſi. fol. 241
Caput V. De Monaſterio noſtro Cuzcenſi. fol. 251
Caput VI. Duo ſucceſſus notabiles, qui Cuzci acciderunt. fol. 257

LIBER IX.

Capituli quinti trienniũ, id eſt ab anno 1563. uſque ad 1566.

Caput I. Acta Capituli. fol. 260
Caput II. P. Petri de Cépeda breve elogium. fol. 261
Caput III. De Monaſterio Chuquiagenſi. fol. 262
Caput IV. De Monaſterio Tapacarenſi. fol. 264
Caput V. Quantâ diligentiâ noſtri prædicaverint habitatoribus municipii Anco anco; eorum obſtinatio & punitio. fol. 265
Caput VI. De Monaſterio Chuquiſacenſi. fol. 267
Caput VII. De Monaſterio Religioſarum Ordinis Erem. S. Auguſtini Chuquiſaca. fol. 270

LIBER X.

Capitulum Sextum.

Caput I. Acta Capituli. Tomo Secundo. fol. 1
Caput II. Venerabilis P. Andreæ de Sancta Maria ſeu de Ortega Vita. Tomo Secundo. fol. 2
Caput III. Elogium P. Franciſci del Corral. Tomo Secundo. fol. 5
Caput IV. De Monaſterio Pacaſmayenſi ſeu noſtra Domina de Guadalupe. Tomo Secundo. fol. 9
Caput V. Elogium R. P. Dominici de Guaycolea, & miraculoſa mortis ejus dilatio. Tomo Secundo. fol. 25
Caput VI. P. Franciſci de Monroy encomium. Tomo Secundo. fol. 27
Caput VII. Reverendiſſimus P. Hieronymus de Eſcabar Epiſcopus de Nicaragua breviter laudatus. Tom. Secundo. fol. 28
Caput VIII. R. P. Franciſci Velaſquez vita. Tomo Secundo. fol. 29

LIBER XI.

Capitulum Septimum.

Caput I. Acta Capituli. Tomo Secundo. fol. 31
Caput II. De incremento quod fides hoc quadriennio in Peruvia per Auguſtinianos accepit. Tom. Secundo. fol. 32
Caput III. R. P. Franciſci Martinez de

de Biedma admirabilis Vita. Tomo Secundo. fol. 37

Caput IV. Duæ Epiſtolæ. R P. Franciſci Serrano Caſtellæ Provincialis hoc tempore ad Provinciam Peruanam ſcriptæ. Tomo Secundo. fol.42

Caput V. Novorum Apoſtolorum ex Hiſpania in Peruviam profectio. Tom. Secundo. fol.44.

LIBER XII.

Capitulum Octavum.

Caput I. Acta Capituli. Tomo Secundo. fol. 45

Caput II. De prædicatione Auguſtinianorum in Provincia Paria, Monaſteriis ibi erectis, & de opulentiſſima fundatione facta à Laurentio de Aldana, atque Auguſtinianorum curæ ab eodem commiſſa. Tom Secundo. fol.46

Caput III. Vita, glorioſaq; mors B. P. Ioannis de Saldaña. Tomo Secundo. fol. 52

Caput IV. De Provinciis Cotabanbas & Omaſayos Ordini noſtro attributis. Tomo Secundo. fol. 54

Caput V. Mirabilis converſio, vitaq; P. Ioannis Maldonado. Tomo Secundo. fol. 55

Caput VI. Quid in Hiſpania ac Romæ fecerit P. Didacus Guitierrez. Tomo Secundo. fol 57

Caput VII. Limenſis Cœnobii ſitus mutatur. Tomo Secundo. fol.59

LIBER XIII.

De cõverſione Vilcabanbæ per Auguſtinianos, baptiſmo duorum Ingarũ, apoſtaſia unius, & utriuſq; tragica morte, ac de illuſtri martyrio P. Didaci Ortiz proto-martyris Peruviæ, &c.

Caput I. Quædam præmittuntur, ut ſolidior ſit ſequens Hiſtoria. Tomo Secundo. fol 61

Caput II. Auguſtiniani prædicant fidem in Vilcabanba convertuntq; Monarchiæ Perüanæ Ingam ſeu Regem. Tomo Secundo. fol 62

Caput III. In Vilcabanbam etiam P. Didacus Ortyz ingreditur. Tomo Secundo. fol 66

Caput IV. Dæmonem, combuſto præcipuo eius adoratorio, P. Marcus & P. Didacus Puquiurâ ejiciunt. Tomo Secundo. fol 71

Caput V. Infelix Ingæ mors, & P. Didaci glorioſum per multa tormentorum genera martyrium. Tom. Secundo f.75

Caput VI. Prodigia mortem B. P. Didaci ſecuta, & tremenda Dei in Vilcabanbenſes vindicta. Tomo Secundo. fol. 83

Caput VII. Irrumpit in Vilcabanbam Hiſpanus exercitus, capitur Inga, baptizatur per R.mum Auguſtinum de Coruña ex Ordine Auguſtiniano Epiſcopum de Popayan, & à prorege Franciſco de Toledo capitis condemnatur. Tomo Secundo. fol 86

Caput VIII. Mors P. Marci Garcia. Tomo Secundo. fol 91

Caput IX. Tranſlatio corporis B Martyris P. Didaci ex foſſa in quam illud idololatræ projecerant, & varia ejuſdem miracula. Tomo Secundo. fol 92

Caput X. Proto martyris Perüani corpus Cuzcum tranfertur & honorificè collocatur. Quædam eius ibi miracula. Tomo Secundo. fol.95

LIBER XIV.

Capitulum nonum & decimum.

Caput I. Acta Capituli noni. Tomo Secundo. fol. 98

Caput II. Vita P. Luiſij Alvarez de Toledo. Tomo Secundo. fol 98

Caput III. Propagationis fidei Catholicæ & Ordinis Auguſtiniani in Regno Quitenſi ſuccincta narratio. Tomo Secundo. fol. 106

Caput IV. De monaſterio noſtræ Domi-

na de O. Tomo Secundo. *fol.* 110
Caput V. De Monaſterio S. Catharinæ in Valle Cliſenſi. Tomo Secundo. fol. 110
Caput VI. De Monaſterio Arequipenſi & miraculis quæ ibi operatus eſt B. Ioannes Seguntinus. Tomo Secundo. fol. 111
Caput VII. Acta Capituli Decimi. Tomo Secundo. *fol.* 113
Caput VIII. Breve P. M. Luiſij Proſperi Tinto encomium. Tomo Secundo fol. 113
Caput IX. Mirabilis Vita, actiones heroïca, honores oblati, & miracula P. Auguſtini de Coruño ex Ordine Auguſtiniano Epiſcopi Popayanenſis. Tomo Secundo. *fol.* 114

LIBER XV.

Capitulum Vndecimum.

Caput I. Acta Capituli. Tomo Secundo. fol. 125
Caput II. De Provincia Novi Regni ejuſq; incremento ac Monaſteriis. Tomo Secundo. *fol.* 125
Caput III. Exordium Monaſterij Sanctæ Crucis juxta Cartagenam, vulgò dicti, Puppis triremis, Et de miraculoſo Crucifixo Monaſterij noſtri Meridenſis. Tomo Secundo. *fol.* 126
Caput IV. P. Ioannes Peccator breviter laudatur. Tomo Secundo. *fol.* 129
Caput V. De fundatione Conventus Oropeſenſis in Cochabamba, & de Provincia Aymáraes per Auguſtinianos Chriſtianâ doctrinâ inſtituto. Tomo Secundo. *fol.* 130
Caput VI. De P. Michaële de Carmona, & notabilibus Reliquiis & indulgentiis per ipſum Roma procuratis ac in Peruviam miſſis. Tomo Secundo. fol. 132
Caput VII. P. Didaci de Arana & P. Auguſtini de Vargas miranda converſiones. Tomo Secundo. *fol.* 135
Caput VIII. P. Boltbaſaris Mexia memoria. Tomo Secundo. *fol.* 138

LIBER XVI.

De his quæ in Provincia Perüana contigerunt ab anno 1582. uſque ad annum 1587. quo tempore duo Capitula Provincialia comprehenduntur.

Caput I. Capitulum duodecimum. Tomo Secundo. *fol.* 139
Caput II. Moritur P. Andreas de Villa-Real Prior Provincialis. Tomo Secundo. *fol.* 140
Caput III. Capitulum decimumtertium. Tomo Secundo. *fol.* 140
Caput IV. De Monaſterio Potoſienſi. Tomo Secundo. *fol.* 141
Caput V. Quadam S. Nicolai de Tolentino Potoſia miracula: & horrendæ ibidem blaſphemiæ exemplum. Tomo Secundo. *fol.* 145
Caput VI. De Monaſterio Valverdenſi in Valle Ica. Tomo Secundo. fol. 148
Caput VII. Miraculum S. P. Auguſtini. Tomo Secundo. *fol.* 148
Caput VIII. Miracula aliquot S. Nicolai Tolentinatis. Tomo Secundo. fol. 149
Caput IX. Miracula S. Ioannis Sahaguntini. Tomo Secundo. *fol.* 151
Caput X. Vita B. P. Antonii Loçono, magni Peruviæ Apoſtoli. Tomo Secundo. *fol.* 153
Caput XI. De Monaſterio Zeñacenſi, & factis ibidem per S. Nicolaum miraculis, nec non memorandis pœnis quas Deus ſumpſit ab his, quorum aliqui famam Religioſo eripuerant, alii vitam. Tomo Secundo. *fol.* 159
Caput XII. P. Ioannis Riberos. P. Ioannis Cajica, & P. Ioannis Merejon elogia. Tomo Secundo. *fol.* 161
Caput XIII. De laboribus & fructu Auguſtinianorum in Pucorani, ac imagine Sanctiſſimæ Virginis Purificatæ miraculis ibidem celeberrimâ. Tomo Secundo. *fol.* 165

LIBER